8. hh. D. 11

H

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
8
44 D
M
11

§ 382—385

C. 2
S. K
O. 4
N. I. 4

Digitized by Google

8, 44. II. 44

Digitized by Google

Digitized by Google

8. 44. D. 11

VERITATES PRACTICÆ,

EX VITA DOMINI IESV, SANCTORVMQVE GESTIS IN SINGVLOS ANNI DIES.

LEGENDÆ, CONSIDERANDÆ, PRÆDICANDÆ.

OPVS QVADRIPERTITVM.

PARS PRIMA, PARS HYEMALIS.

A Dominica j. Aduentus, ad Septuageſimam.

Authore P. Ivliano Haynevfve, Societatis Iesv Sacerdote.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

COL. S. BONAVENT...

ROTHOMAGI,

Sumptibus Richardi Lallemant, Illuſtriſſimi Archiepiſcopi & Collegij Societatis Iesv Typographi.

M. DC. LII.

CVM PRIVILEGIO REGIS, ET APPROBATIONE DOCTORVM.

Digitized by Google

INCREATÆ ET INCARNATÆ VERITATI.

TIBI, ô Increata & Incarnata Veritas; Tibi hoc debetur opus; Tibi referri debent hæ Veritates practicæ. Cui enim iuſtiùs quàm illi, à quo ſunt ſingulæ veritates creatæ: in quo conquieſcunt omnes: & ad quem tendunt vniuerſæ? Atenim cùm ſis Vnigenitus Dei Filius, Homo factus, Tu ille es, à quo velut à fonte manant; in quo velut in centro ſiſtunt; & ad

quem velut ad ſuum finem conſpirant. Tibi ergo has deberi Tibique referendas omnes, vna eſt omnium certiſſima veritas. Et illæ quidem ſicut à Te ſunt, vt cognoſcantur; ita ſint, oro, vt amentur. Sicut in Te ſunt æternus ſplendor & ardor, ita in nobis ſemper reſplendeant & ardeant. Sicut ad Te diriguntur affectu, ita & effectu perueniant.

PRÆFATIO.

QVOD dixit Pſaltes Regius : *Diminutæ ſunt Veritates à filiis hominum* , Pſ. 11. duplicem habet ſenſum qui in vnum & eundem recidens , Veritatem proponit valde conſiderandam. Primus eſt , quod cùm fidei Veritates partim ſint ſpeculatiuæ, partimque Practicæ, ſic diminuuntur ab hominibus vt qua parte ſunt ſpeculatiuæ, teneantur ; non quà ſunt Practicæ.

Secundus eſt, *Diminutæ ſunt Veritates ſeu fidelitates,* Id eſt, fideles imminuti ſunt, iam pauci ſunt qui credant fide diuina, & quibus credatur fide humana. Ex quo duplici ſenſu,hic vnus eruitur, quod defectu fidei deficiat Sanctitas quæ eſt neceſſaria ad Salutem , Vnde & ſalus omnium damnoſe periclitatur ; quamobrem & ipſe Dauid ſibi timens : *Saluum me fac,* inquit, *Domine,quoniam* Ibid. *defecit ſanctus , quoniam diminutæ ſunt Veritates à filiis hominum :* quaſi diceret, perij ſimul cum aliis, niſi me ſingulari ſerues gratia : quia hoc inter homines tam frequens & commune malum eſt, diminuere Veritates, & quam quiſque velit partem, admittere ; vt vix vllus vniuerſas admittat, vix vllus integrè credat, neq; recogitet in quo verſetur ſalutis periculo.

Quod confirmat ex his quæ addit : *Vana loquuti ſunt vnuſquiſ-* Ibid. *que ad proximum ſuum , labia doloſa in corde , & corde loquuti ſunt :* id eſt , ſic ſe mutuis inter ſe colloquiis omnes prouocant ad diminuendas Veritates , vt malignè quidem & doloſe loquantur loquentes contra Veritatem : quia tamen ſic omnes loquuntur, nullus aduertit ad dolos, & ſic miſerè pereunt.

Sic & alius Propheta grauiter : *Corruit in platea Veritas, & facta* Iſ. 59. *eſt Veritas in obliuionem, & qui receſſit à malo, prædæ patuit : & vidit Dominus , & malum apparuit in oculis eius, quia non eſt iudicium , & vidit quia non eſt vir , & aporiatus eſt ,quia non eſt qui occurrat.* Tale, inquit , malum eſt , vt prope mirum & ſtupendum videatur Deo, quod cùm omnes attingat homines , nullus tamen aduertat ad illud auertendum.

Hocipſum eſt quod Apoſtolus de Antiquis illis *qui cùm cogno-* Rom. 1. *uiſſent Deum , non ſicut Deum glorificauerunt , VERITATEM Dei,*

Digitized by Google

ait, ***in iniuſtitia detinent*** : non tollunt omnem Veritatem; credunt eſſe Deum, Deum eſſe immortalem & alia quædam ſpeculatiua: ſed quæ ſunt Practica, vt colere Deum vera pietate & ſanctitate vitæ quam commendat, non credunt, non profitentur, non id agunt: atque in hoc manifeſtam Veritati faciunt iniuriam, quia ſicut monſtrabat Veritas eſſe Deum, ita & demonſtrabat eſſe colendum: ſed quia illis facilius videbatur credere Deum quam colere, idcirco dimidiatam quandam Veritatis partem retinentes, reliquam velut captiuam, otioſam & inutilem detinuerunt.

Sic plane modò Chriſtiani; ſic Veritates diminuunt, ſic eas in iniuſtitia detinent; Facile quidem credent Chriſtum eſſe natum in præſepi, atque in cruce mortuum, cæteroſque fidei & Veritatis ſpeculatiuæ articulos, quia in his credendis nulla, aut vix iam vlla naturalis Concupiſcentiæ repugnantia: ſed an credunt ſic propterea natum & mortuum vt nos exemplo ſuo inſtrueret quod verbo docuit, fugiendos honores potius quàm quærendos; amandam potius paupertatem quam diuitias, & vitæ aſperitatem quam delicias? an ſic ex fide credunt ſibi æque neceſſariam eſſe humilitatem & diuitiarum contemptum, ſicut Chriſtum fuiſſe humilem, pauperem, & deſpectum? Certe id patet euidentiſſime quàm in hac Practica Veritatum parte deficiant; Tam pauci ſunt qui hæc reuera credant quàm multi ſunt quos pridem deflet Apoſtolus, *qui ambulant inimici crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt.* Quibus & ipſe Dominus exprobrat: *Quid vocatis me, Domine, Domine: & non facitis quæ dico?*

Phil. 3.

Luc. 6.

Quamobrem vt hæc tanta pernicies poſſet quoquo modo cohiberi, & cum diuina caueri gratia, ſic perſuaſum multis fuit, fore opportunum ſi Veritates illæ Practicæ fierent notiores, & ad captum, vſumque familiarem paratiores. Non defuerunt certe ex omni Eorum ordine qui alienæ vacant ſaluti quin dicendo ſcribendoue hoc ſtudium tam ſalubre ſuſciperent; & à nobis in hunc finem iam tentatum aliquid fuit in illis vernaculis meditationibus quæ de Chriſti vita ſanctorumque geſtis prodierunt: ſed cùm fuſiores eſſent & laxiores quàm vt his ſolis Veritatibus declarandis aſtringerentur, ſic viſum eſt, commode contrahi & renouari poſſe opus, dum hæ duntaxat Veritates Practicæ proponeren-

Digitized by Google

tur Legendæ breuius, Conſiderandæ facilius, & Prædicandæ vtilius.

Quia vero, vana illa quæ *loquitur vnuſquiſque ad proximum ſuum*, loquendoque diminuit diuinas Veritates vt dictum eſt, modo quodam tam ſuaui & humano pertractantur vt ipſa loqui videatur Ratio, totque cenſeantur in mundo leges & edicta, quot ſunt mundanorũ dicta pro diuitiis contra Paupertatẽ, pro deliciis contra Temperantiam, pro gloria & honore contra Humilitatem, pro carne denique & mundo contra Spiritum & Euangelium: Idcirco etiam aduerſus illos adumbratos mundi diſcurſus & effictas rationes vera & euidens Ratio fuit apponenda vt quod ait Apoſtolus, *omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo*. Rom. 3.

At quænam eſt vera & euidens Ratio niſi quæ RATIOCINATIO dicitur quæ duo ſignificat ad noſtrum propoſitum, id eſt, ad declarandas Veritates Practicas valde idonea. Primum eſt, cùm ex duobus rite pronuntiatis certa & manifeſta infertur Concluſio. Alterum eſt cùm vt ait ſanctus Auguſtinus, *diligens & conſiderata faciendi aut non faciendi aliquid, excogitatio adhibetur*. Atqui hoc ipſum eſt quod hîc agimus, hoc vnum quod intendimus & ſpectamus vt quid ſit ex lege diuina faciendum aut non faciendum diligenter excogitemus & conſiderate perpendamus. Propterea namque practicæ ſeu factiuæ Veritates dicuntur quia totæ in praxi & factis conſiſtunt; Vt verè autem Veritates eſſe conſtent & ſua luceant omnibus luce, quid aptius & quid accommodatius quàm vt forma illa obſeruetur quæ ex duabus rite & legitime præmiſſis propoſitionibus, illa infertur quæ Concluſio dicitur quòd veritatem in ſe concludat & notam faciat? Sic enim diuina iuuante Gratia, Intellectus conuincitur, voluntas attrahitur, appetitus cedit, & praxis ſeu actio ſequitur, quæ eſt ipſa Practica Veritas ſic per Ratiocinationem cognita, vt ſimul ſit perſuaſa, ſimul admiſſa, ſimul in actum deducenda quo ſe primum obtulerit agendi loco & tempore. L. de Immort. animæ.

Sic dilectus Apoſtolus: *filioli mei non diligamus Verbo, neque lingua, ſed opere & Veritate: in hoc cognoſcimus quoniam ex Veritate ſumus: ET IN CONSPECTV EIVS SVADEBIMVS CORDA NOSTRA*. Quaſi diceret, ſicut in hoc cognoſcimus quod in Veritate ſumus quando reuera operamur & agimus quod agendum 1. Ioan. 3.

eſt : ita etiam vt hanc veritatem cognoſcamus & faciamus, ſuadenda ſunt corda noſtra, coram Domino, id eſt, verus & ſincerus perſuadendi modus eſt adhibendus, quo fit vt non modo veritas à falſitate cognoſcatur, & virtus à vitio : ſed in illa etiam cognitione, magna perſuaſi cordis tranquillitas & quies perſentiatur. *Propterea*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *alæ ſunt auiculis vt effugiant laqueos : propterea Ratiocinationes hominibus,vt peccata fugiāt.*

Hom. 15. ad pop.

Quod autem ſanctus Paulus affirmat, *ſe Euangelizare non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti : & ſermonem ſuum fuiſſe non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*; Ac rurſus, *in captiuitatem velit redigi omnem intellectum, in obſequium Chriſti*; moneatque Coloſſenſes, *vt videant ne à quoquam decipiantur per Philoſophiam & inanem fallaciam.* Quod item ſancti Patres his affine dicunt, negantes locum eſſe argumentis vbi fides exigitur : nec ibi eſſe meritum vbi humana ratio præbet experimentum : Sic intelligenda ſunt hæc omnia, quando vel contra fidem ratio fingeretur ; vel quando plus rationi quam fidei, plus naturæ quam gratiæ tribueretur : vel quando denique ſophiſticè ageretur id eſt captioſè, malignè, doloſè quo qui loquitur modo, meritò à Sapiente odibilis dicitur. *Sed abſit à nobis hoc ſcelus vt recedamus à Domino & eius veſtigia relinquamus.* Semel ſit dictum, nos ratiocinatione ſic vti vt Fidei & Gratiæ, humana ratio ſeruiat & ſubiiciatur : non vt rationi Fides ſubdatur aut Gratia. Sicut naturalis inclinatio deſeruit Charitati, & aliis donis ſupernaturalibus, vt expreſſe docet ſanctus Thomas : Neque enim gratia naturam deſtruit ſed perficit : ſic autem eam perficit, dum in vſum & obſequium ſuum ita illam impendit vt quidquid eſt intellectus & voluntatis, totum eò refundatur vt fides & gratia magis colantur & valeant.

1. Cor. 1. & 2. *2. Cor. 10.* *Coloſſ. 2.* *Eccleſi. 37.* *Ioſue 22.* *1. p q 1. a. 8.*

Sic ipſe Apoſtolus Epiſcopum, aut alium verbi diuini miniſtrum, vult eſſe *amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* Quid eſt autem arguere & potenter exhortari, niſi vel conuincere falſitatis, & mendacij errantes à veritate ; vel conuictos ad veritatum praxim inducere ? Quo verò id potentiori modo fiet niſi quo euidentius & certius veritas patet, & quidquid ei opponitur, falſum, abſurdum, & nullum eſſe conuincitur ?

Titi. 1.

Nonne

Digitized by Google

Nonne ſic Idem Apoſtolus ſæpiſſimè ab vno conceſſo vel euidenti ad aliud non conceſſum & euidens argumentatur? vt cùm primæ Corinthiorum decimo quinto, probat futuram omnium reſurrectionem ex eo quod Chriſtus reſurrexerit: atque ibidem vt nobis perſuadeat portandam imaginem cæleſtis hominis, ſicut portauimus imaginem terreni; Nonne ſic aperte diſcurrit & ratiocinatur: Idcirco portauimus imaginem terreni, quia qualis terrenus, tales & terreni: Sed qualis cœleſtis, tales etiam eſſe debent cœleſtes. *Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* Sic Romanorum decimo tertio, vt perſuadeat abjicienda eſſe opera tenebrarum, nonne ſic euidenter diſcurrit: Die appropinquante abiiciamus oportet opera tenebrarum: Atqui dies appropinquauit: *Abiiciamus ergo opera tenebrarum.* Sic L.2.c.31. Idem paſſim in aliis epiſtolis de quauis pene materia, vt ſanctus L.4.c.4.20.26. Auguſtinus declarat in libris de doctrina Chriſtiana, vbi expreſſè ait hanc differendi artem, quam vocat *diſputationis diſciplinam, ad omnia genera quæſtionum quæ in literis ſanctis ſunt penetranda & diſſoluenda, plurimùm valere*; ac propterea vt quæ ſunt dubia, certa fiant, *ſic ratiocinandum eſſe*, ſic conuincendum errorem, ſic ſtabiliendam veritatem. Verba eius producentur commodius ſuo infrà loco.

Quod & Chriſto Domino fuit admodum familiare, non tantum quando cum Iudæis de ſua miſſione, de ſuis miraculis ac doctrina diſceptabat, vt videre eſt præſertim apud Ioannem à quinto capite vſque ad decimum tertium: ſed cum ſuis etiam agendo diſcipulis vt patet Mathæi decimo ſeptimo vbi concludens ex præmiſſis, ſe immunem eſſe à tributo perſoluendo, *Ergo*, inquit Petro, *liberi ſunt filij.* Et Marci decimo tertio dum ſuos ad vigilantiam vehementius exhortatur, nonne hic eſt apertus eius diſcurſus: Serui qui neſciunt aduentum Domini ſui debent vigilare. Sed vos neſcitis quando Dominus veſter venturus ſit. *Vigilate ergo: Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Sic expreſſa ſæpe Dominus rationali particula, ſæpe autem ſuppreſſa ſed inuoluta & complicata, de cunctis differebat. Quod illi tam frequens fuit vt ipſæ Euangelicæ Beatitudines in quibus ſumma Chriſtianæ ſimplicitatis conſiſtit, non alio proponantur modo, aut certe non aliter intelligantur eſſe Beatitudines quàm iſto ratiocinãdi modo.

Creduntur quidem ita eſſe quia Chriſtus dixit, ſed cùm ipſe

Digitized by Google

Dominus rationem adjunxerit qua volebat nos ſcire & intelligere quod dicebat: Ratio illa qua vtitur mera eſt ratiocinatio, aut nulla eſt ratio ſeu nulla eſt alioquin rationis intelligentia. *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, & ſic de aliis. At quomodo valere poterit iſta quā affert Ratio, aut quomodo propterea intelligamBeatos illos eſſe quos dicit, niſi mihi permittat ſic ratiocinari, Beati ſunt illi quorum eſt regnum cœlorum: vel qui poſſident terram. Sed regnum cœlorum eſt pauperum: ſed mites poſſidebunt terram. Ergo illi Beati. Ex quibus manifeſte vides quantùm hoc diſſerendi genus obſecundet Euangelio & gratiæ, cùm ſic magis Euangelicæ veritates eluceſcant & valeant.

Quod imprimis neceſſarium eſt perſuadendis Veritatibus illis Practicis quæ à mundo expugnantur, & in quibus exercendis maior eſt naturæ corruptæ repugnantia. Tunc enim opus eſt ardenti voluntate, quæ vt ſic ardeat oportet vt cum diuina gratia per intellectum magis ac magis illuſtretur & vrgeatur: quod aliter efficacius ordinarie loquendo non fit quam per attentam conſiderationem veritatis in ratiocinio repræſentatæ, vbi ſimul colligatæ notiones & motiua magis mouent cum Gratia quam ſi ſeorſim ſeu ſeparatim proponerentur.

Quid notius quàm Deum eſſe timendum & honorandum? & tamen quàm multi nec eum timent nec honorant? Quid illis facias & quid dicas ad hunc honorem & timorem prouocandum? Mal.1. Vide quid ipſe Deus faciat & dicat: *Filius*, inquit, *honorat patrem, & ſeruus Dominum ſuum. Si ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus, & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* Nonne hîc eſt aperta ratiocinatio? nonne ſic ſaltem neceſſariò aperienda eſt vt intelligatur, & vt intellecta vim & pondus ſuum habeat: Filius honorat, ſeu honorare debet patrem ſuum, & ſeruus Dominum. Atqui ego ſum pater veſter, vos filij mei: Ego ſum veſter Dominus, vos mei ſerui. Ergo me certe honorare debetis & timere; aut me negabitis veſtrum eſſe Patrem & Dominum; aut negabitis Patrem & Dominum eſſe honorandum & timendum à filiis, & à ſeruis; quæ poſtrema duo cum negari non poſſint, oportet omnino concludere Deum eſſe honorandum & timendum. Quem certè diſcurſum qui ſibi attente & diligenter coram Domino applicaret, aut illum oporteret eſſe Atheum vel inſanum, aut ad veri-

Digitized by Google

tatem amplectandam excitatum cum gratia quæ hoc facili medio vtitur ad ſeſe magis inſinuandam. Ac propterea ſic Deus ipſe nobiſcum in materia tam clara ratiocinatur, non modo vt ſic efficacius nos ad ſe attrahat, ſed vt doceat ſic in aliis minus notis caſibus proponendas & applicandas eſſe nobis Veritates, vt ſic ab eo attrahamur. *Videte & conſiderate vehementer.* *Ier. 2.*

Quæ quidem omnia ſic dicta velim non quaſi ad rigorem & cenſuram formæ illius Syllogiſticæ quæ in ſcholis exigitur, redigendum exiſtimem omnem noſtrum diſcurſum, quaſi non liceret vllam in propoſitionibus vel omittere vel poſtponere, vel mutare particulam; quaſi eſſent iidem prorſus termini, vel eodem orationis contextu ſemper proferendi. Non hoc inquam ſuſcipio, nec ſi ſuſciperem, perficiendum præſumo. Nemo ſanus ambigat multa præſupponi poſſe, ac ſubinde ex aliis alia colligi quæ commodiùs reticentur, vel breuius efferuntur. Satis proinde ad inſtitutum fore putauerim ſi ex morali ſubiecta materia formam illam educerem quæ diſcurſum probabilem ac fide dignum contineret quo Practica Veritas Deo bene juuante ſuaderetur: & in quo duntaxat diſcurſu ſi quid verborum deeſſet, tam facile ſuppleri poſſet à quouis, quàm facilè quiuis intelligeret, quid deeſſet.

Quod ſi tamen vni particulatim aut alteri tota iſta diſcurrendi ratio minùs æqua & commoda videretur, certe is abſtineat, ſed an illam propterea condamnabit quaſi non ſit omnino commoda nec expedita? Sicut enim iudicari non vult neque condemnari, quod ab iſtis diſſentiat; neque profectò is meritò iudicare aut condemnare poteſt ſic ſentientes. Hæc ſunt videlicet de quibus Sapiens: *Non omnia omnibus expediunt: & non omni animæ omne genus placet.* Hæc ſunt media & indifferentia de quibus Apoſtolus, *vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet:* Id eſt, vt ſancti Baſilius & Ambroſius interpretantur: *quiſque ſuo conſilio remittatur.* Quis enim neſcit quod ſancti Gregorij Romanus & Nazianzenus docent: *Non vnam eandemque cunctis rationem congruere, & ſæpe aliis officere quæ aliis proſunt?* *Eccleſi. 37.* *Rom. 14.* *Prolog. 3. partis 1. paſtor.*

Quamobrem in ea vellem eſſe animi moderatione & æquitate, vt qualecumque ſcribendi, loquendi, meditandiue genus vſurpem & commendem, ſic aliis commendatum velim, non quaſi illud præ omnibus ſit eximium & ſingulare: non quaſi alia manca ſint & imperfecta; non quaſi denique non eſſet *Spiritus ſapientiæ* *Sap. 7.*

Digitized by Google

1. Cor. 12. *vnus & multiplex, diuidens ſingulis prout vult:* Sed quaſi debitor, ne
1. Petr. 4. dicam *bonus diſpenſator eius gratiæ quam accepi, ſic aliis adminiſtrem,* vt videant an ea ſibi conueniat. Idcirco etiam diuerſa ſæpe ſubieci vno & eodem die diuerſis proponenda pro varietate locorum & perſonarum quibuſcum agitur. Atque in illo Indice quem de progreſſu Veritatum per triplicem perfectionis viam contexui, ſic inter ſe ordinantur Veritates, non quaſi certum & ſtatum earum ordinem velim ſtatuere, ſed quod ita videantur poſſe commodius ordinari.

1. Theſſ. 5. Sapientis autem eſt, quod ait Apoſtolus, *probare omnia, & quod ſibi bonum eſt, retinere.* Hæc ſapientia ſic Veritati Practicæ connexa eſt vt ab ea numquam ſit diſiungenda, proptereaque Sapiens
Prou. 23. dixerit, VERITATEM EME, ET NOLI VENDERE SAPIENTIAM.

SVMMA VERITATVM PRACTICARVM.

ET STATVS EORVM QVI SE IN ILLIS EXERCENT.

Ex S. Auguſtino, lib. 1. de Serm. Domini in monte. *Cap. 2.*

Qui omnes animi ſui motus componentes & ſubjicientes Rationi, id eſt, menti & ſpiritui, carnaleſque concupiſcentias habent edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita ſunt ordinata omnia, vt id quod eſt in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus quæ ſunt nobis beſtiiſque communia: atque idipſum quod excellit in homine, id eſt, Mens & Ratio ſubijciatur Potiori, quæ eſt ipſa Veritas, vnigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt niſi Superiori ſe ipſe ſubijciat. Et hæc eſt pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis: hæc vita conſummati perfectique Sapientis.

VSVS TOTIVS OPERIS MAGIS DETERMINATVS.

TRiplex totius operis deſignari poteſt vſus: Lectio, Meditatio, Concio. Quæ tria ſuo Timotheo commendabat Apoſtolus: *Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ. Hæc meditare, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis: hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* 1. Tim. 4.

Sunt itaque qui ſola lectione contenti non vltrà progrediantur: Quibus hoc vnum Sapientis ſit monitum, vt ſibi, quæ legunt, applicent: *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit: verbum Sapiens quodcumque audierit ſcius, laudabit; & ad ſe adjiciet*; Non ad alios, nec ad ſe jactitandum, ſed ad ſe cognoſcendum & ſe cognitæ veritati conformandum. Ne alioquin id accidat, quod de ſciolo quodam Iobi amico ſcribit S.Gregorius, *Dum ſequitur bonum, quo benè dicere appetijt; bonum quo bene viuere potuiſſet, amiſit.* Eccl. 21. L. in c. 36. Iob.

Qui verò Lectioni Meditationem ſimul aut ſeorſim iungat; quid ſit meditari veritatem, diſcat ab ipſa Sapientia. *Veritatem,* inquit, *meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur impium* ſeu impietatem; Id eſt, non leuiter, non præproperè, non tranſcurſim, ſeu penſiculatè, quantùm res exiget, ſuis omnibus dimetiar numeris & rimabor partibus, nihil vt me fugiat nos appenſum aut excuſſum. Non ore tantùm quaſi qui cibum ad ſolam guſtet delectationem; ſed ipſo gutture, quaſi qui ruminet, & ſalubrem ſolummodo nutritionem ſpectet. Vel ſic interpretare: Veritatem ſic mecum meditabor, quaſi tùm loquerer, & quaſi tùm agerem inter homines; vt cùm reipſa mihi loquendum & agendum erit cum hominibus, ſic veritatem loquar & profitear, quaſi tùm eam meditarer, aut ſicut illam fui meditatus. Vel quaſi diceres clariùs: Nullũ volo eſſe diſcrimen inter meditationem meam ac locutionem: inter conuerſationem meam cum Deo ac cum hominibus. Meditari volo coram Deo quod cum hominibus loquar: & hoc ipſum loqui volo cum hominibus, quod coram Deo meditatus fuero; ſicque tandem, propitio fiet Deo, vt ex illo frequenti fidelique vſu meditandi & agendi, tam firmum Veritatis Practicæ contraham habitum, vt ſi forte in quouis humano congreſſu con- Prou. 8.

Digitized by Google

trà ſe aliquid ingerat, ſtatim id aduertam, & velut ipſam impietatem non oderim modò, ſed deteſter; non corde tantùm, ſed & ipſis labiis, quaſi qui vnam profitetur Veritatem.

Hoc eſt ſapienter verèque meditari Veritates practicas, cùm ita praxim præcedit meditatio, vt ipſa meditationem ſequatur praxis: cùm ſic effectus affectum agendo ſequitur, ſicut affectus meditando ſequutus eſt intellectum: cùm ſic denique facienda præcogitatur veritas, ſicut reuera debet fieri, ſicque reuera fit, ſicut præcogitata eſt.

2. Theſſ. 2. Epheſ. 4. Hoc eſt *in his eſſe*, hoc eſt *ſibi attendere & doctrinæ*, hoc eſt *inſtare in illis*, hoc eſt *veritatem charitatis recipere*, ſeu *veritatem in charitate facere*, ſicut monebat Apoſtolus. Hoc eſt, vno verbo veritatem practicam verè meditari, nec aliter niſi falsò. Quod paucis, ſed efficacibus verbis S. Bernardus ſummo commendãs Pontifici: *Sume*, inquit, *exemplum de ſummo omnium patre, Verbum ſuum & emittente & retinente. Verbum tuum, conſideratio tua, quæ ſi procedit, non recedat: ſic progrediatur, vt non egrediatur; ſic exeat, vt non deſerat.* Sic in *intellectibus & conſilio manuum ſuarum* Scriptura paſſim dicit fieri, quidquid à quoquam fieri melius, & verius dici poteſt.

L. 2. de Conſ. c. 3.

Pſal. 77. Prou. 31.

Si quis porrò ad alios deriuare poſſit & velit, quod meditando hinc hauſerit, quia tale eſt opus, vt multis Authorum & præceptorum adminiculis egeat: Authorem inter cæteros, quem imitetur, ſibi proponat ſanctum Chryſoſtomum: quem vt imitetur faciliùs, atque in vſum ſuum has practicas veritates fructuosè poſſit conuertere, Præceptorem habeat Diuum Auguſtinum: cuius vel vnus liber, qui de doctrina Chriſtiana quartus eſt, hæc diuina ſubminiſtrat Effata & Monita, quæ compendiariò ſic ex ſingulis eius libri capitibus expreſſa ſunt, vt ſuis ipſe vnus loquatur verbis. Audi & vtere.

Cap. 1. *PRIMO expectationem legentium, qui fortè me putant Rhetorica daturum eſſe præcepta, quæ in ſcholis ſæcularibus & didici & docui, iſta prælocutione prohibeo, atque vt à me non expectentur, admoneo: non quod nihil habeant vtilitatis, ſed ſi quid habent, ſeorſum diſcendum eſt.*

C. 2. *NAM cùm per artem Rhetoricam & vera ſuadeantur & falſa, quis audeat dicere aduerſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem? illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem: iſti nec vera defendere, nec falſa valeant refutare? illi animos audientium in errorem mouentes impellenteſque dicendo ter-*

reant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter: iſti pro veritate lenti frigidique dormitent! Quis ita deſipiat, vt hoc ſapiat? Cùm ergo ſit in medio poſita facultas eloquij, quæ ad perſuadenda ſeu praua ſeu recta valeat plurimum; cur non bonorum ſtudio comparatur, vt militet veritati, ſi eam mali ad obtinendas peruerſas vanaſque cauſas in vſus iniquitatis & erroris vſurpant?

SI acutum & feruens adſit ingenium, facilius adhæret eloquentia legentibus & audientibus eloquentes, quàm eloquentiæ præcepta ſectantibus. Nec deſunt Eccleſiaſticæ literæ, etiam præter canonem in authoritatis arce ſalubriter collocatum, quas legendo homo capax, etſi id non agat, ſed tantummodo rebus quæ ibi dicuntur, intentus ſit, etiam eloquio, quo dicuntur, dum in his verſatur, imbuitur: accedente vel maxime exercitatione ſiue ſcribendi ſiue dictandi, poſtremò etiam dicendi quæ ſecundum pietatis ac fidei regulam ſentit. c. 3.

DEBET igitur diuinarum Scripturarum tractator & doctor, defenſor rectæ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere: atque in hoc opere ſermonis conciliare aduerſos, remiſſos erigere, neſcientibus quid agatur, quid expectare debeant, intimare. Vbi autem beneuolos, intentos, dociles aut inuenerit, aut ipſe fecerit, cætera peragenda ſunt ſicut cauſa poſtulat. Si docendi ſunt, qui audiunt, narratione faciendum eſt, ſi tamen indigeat vt res, de qua agitur, innoteſcat. Vt autem quæ dubia ſunt, certa fiant, documentis adhibitis, ratiocinandum eſt. Si verò qui audiunt, mouendi ſunt potius quàm docendi, vt in eo, quod iam ſciunt, agendo non torpeant, & rebus aſſenſum quas veras eſſe fatentur, accommodent, maioribus dicendi viribus opus eſt. Ibi obſecrationes & increpationes, concitationes & coercitiones, & quæcumque alia valent ad commouendos animos. c. 4.

ET hæc quidem cuncta quæ dixi, omnes ferè homines in iis quæ eloquendo arguunt facere non quieſcunt: ſed cùm alij faciant obtusè, deformiter, frigidè: alij acutè, ornatè, vehementer; illum ad hoc opus unde agimus, iam oportet accedere, qui poteſt diſputare vel dicere ſapienter, etiamſi non poteſt eloquenter, vt proſit audientibus. Qui verò affluit inſipienti eloquentia, tantò magis cauendus eſt, quantò magis ab eo in iis quæ audire inutile eſt, delectatur auditor, & eum quoniam diſertè dicere audit, etiam verè dicere exiſtimat. Hæc autem ſententia nec illos fugit qui artem Rhetoricam docendam putarunt: faſſi ſunt enim ſapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe ciuibus: eloquentiam verò ſine ſapientia, nimirum obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam. Si c. 5.

Digitized by Google

ergo hoc illi qui præcepta Eloquentiæ tradiderunt, in eiſdem libris in quibus id egerunt, veritate inſtigante coacti ſunt confiteri; veram, hoc eſt, ſupernam, quæ à patre Luminum deſcendit, ſapientiam neſcientes: quantò magis nos non aliud ſentire debemus, qui huius ſapientiæ filij & miniſtri ſumus? Sapienter autem dicit homo tantò magis vel minus, quantò in Scripturis ſanctis magis minuſve profecit. Non dico in eis multùm legendis memoriaque mandandis, ſed benè intelligendis & diligenter earum ſenſibus indagandis. Quantò ſe pauperiorem cernit in ſuis, tantò eum oportet in iſtis eſſe ditiorem, vt quod dixerit ſuis verbis, probet ex illis, & qui propriis verbis minor erat, magnorum teſtimonio dquodammodo creſcat: PROBANDO ENIM DELECTAT, QVI MINVS POTEST DELECTARE DICENDO.

c.6. *HIC aliquis forſan quærit, vtrum Authores noſtri quorum ſcripta diuinitus inſpirata canonem nobis ſaluberrima authoritate fecerunt, ſapientes tantummodo, an eloquentes etiam nuncupandi ſint? Quæ quidem quæſtio apud meipſum & apud eos qui mecum, quod dico, ſentiunt, facillimè ſoluitur. Nam vbi eos intelligo, non ſolum nihil eis ſapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri poteſt. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt quod illi loquuntur, ſimul intelligere, non eos aliter loqui debuiſſe. Illud magis admiror & ſtupeo, quòd iſta noſtra eloquentia ita vſi ſunt, per alteram quamdam eloquentiam ſuam, vt nec eis deeſſet, nec emineret in eis: quia eam nec improbari ab illis nec oſtentari oportebat, quorum alterum fieret, ſi vitaretur: alterum putari poſſet, ſi facile agnoſceretur.*

c.7. *QVIS enim non videat, quid voluerit dicere, & quàm ſapienter*
Rom. 5. *dixerit Apoſtolus* gloriamur in tribulationibus, &c. *Sicut ergo Apoſtolum præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus, ita quod eius ſapientiam ſecuta ſit eloquentia, non negamus. Sed fortè quis putat tamquam Eloquentem noſtrum, elegiſſe me Apoſtolum Paulum. Dicendum ergo mihi aliquid eſſe video, & de eloquentia Prophetarum; & ex illius Prophetæ libro potiſſimum hoc faciam, qui ſe paſtorem vel armentarium*
Amos 6. *fuiſſe dicit, atque inde diuinitus ablatum atque miſſum, vt populo Dei prophetaret.* Væ vobis qui opulenti eſtis in Sion, &c. *Hæc diuina mente ſunt fuſa & ſapienter & eloquenter, non intenta in eloquentiam ſapientia, ſed à ſapientia non recedente eloquentia.*

c.8. *SED nos etſi de literis eorum quæ ſine difficultate intelliguntur, nonnulla ſumimus elocutionis exempla, nequaquam tamen putare debemus imitandos eos nobis eſſe in iis quæ vtili ac ſalubri obſcuritate dixerunt.*

Sic

Digitized by Google

Sic quippe illi locuti ſunt, vt poſteriores qui eos rectè intelligerent & exponerent, alteram gratiam, diſparem quidem, verumtamen ſubſequentem in Dei Eccleſia reperirent. Non ergo expoſitores eorum ita loqui debent, vt tamquam ſe ipſi exponendos ſimili authoritate proponant: ſed in omnibus ſermonibus ſuis primitùs ac maximè, vt intelligantur, elaborent ea quantum poſſint perſpicuitate dicendi, vt aut multùm tardus ſit qui non intelligat, aut in rerum quas explicare volumus difficultate, non in noſtra locutione ſit cauſa quò minus tardiuſue, quod dicimus, poſſit intelligi.

SVNT enim quædam, quæ ſua vi non intelliguntur aut vix in- c. 9
telliguntur, quamuis planiſſimè dicentis verſentur eloquio, quæ in populi audientiam vel raro ſi aliquid vrget, vel numquam omnino mittenda ſunt.

EVIDENTIAE diligens appetitus aliquando negligit verba cultio- c. 10
ra, nec curat quid bene ſonet, ſed quid bene indicet atque intimet quod oſtendere intendit. Vnde ait quidam cùm de tali genere locutionis ageret, eſſe in ea quamdam diligentem negligentiam. Hæc tamen ſic detrahit ornatum, vt ſordes non contrahat. Sed de modo delectandi nunc non ago. De modo autem quo docendi ſunt qui diſcere deſiderant, loquor. Is autem eſt optimus, quo fit, vt qui audit, verum audiat; & quod audit, intelligat.

QVOD cum adepti fuerint (qui quæ diſcenda ſunt, ſcire deſide- c. 11
rant) ipſa delectabiliter veritate paſcuntur: bonorumque ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba: Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi aperire quod volumus, non poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus niſi patére quod clauſum eſt?

Sed quoniam inter ſe habent nonnullam ſimilitudinem veſcentes atque diſcentes, propter faſtidia plurimorum, etiam ipſa ſine quibus viui non poteſt, alimenta condienda ſunt.

DIXIT ergo quidam eloquens & verum dixit, ita debere dicere c. 12
eloquentem, vt doceat, vt delectet, vt flectat. Deinde addidit, docere neceſſitatis eſt, delectare ſuauitatis, flectere victoriæ, ſi nempe auditor amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas amplectatur; quod dolendum exaggeras, doleat; cùm quid lætandum prædicas, gaudeat; miſereatur eorum quos miſerandos ante oculos dicendo conſtituis, fugiat eos quos cauendos terrendo proponis; & quidquid aliud grandi eloquentia fieri poteſt ad commouendos animos Auditorum, non quid agendum ſit vt ſciant; ſed vt agant, quod agen-

Digitized by Google

dum eſſe iam ſciunt. Si autem adhuc neſciunt, priùs vtique docendi ſunt, quàm mouendi. Et fortaſſe rebus ipſis cognitis ita mouebuntur, vt eos non opus ſit maioribus eloquentiæ viribus iam moueri. Et ideo flectere neceſſitatis non eſt, ſi tantum docenti vel etiam delectanti conſentit auditor. Ideo autem victoriæ eſt flectere, quia fieri poteſt vt doceatur & delectetur & non aſſentiatur. QVID AVTEM ILLA DVO PRODERVNT, SI DESIT HOC TERTIVM?

SED neque delectare neceſſitatis eſt, quandoquidem cùm dicendo vera monſtrantur, quod ad officium docendi pertinet, non eloquio agitur, neque hoc attenditur, vt vel ipſa vel ipſum delectet eloquium; ſed per ſeipſa quoniam vera ſunt, manifeſtata delectant. Vnde plerumque delectant etiam falſa patefacta atque conuicta; neque enim delectant quia falſa ſunt, ſed quia falſa eſſe verum eſt; delectat & dictio, qua hoc verum eſſe monſtratum eſt.

c. 13. PROPTER eos autem quibus faſtidientibus non placet veritas, niſi eo modo dicatur, vt placeat & ſermo dicentis, datus eſt in eloquentia non paruus etiam delectationi locus. Quæ tamen addita non ſufficit duris, quos nec intellexiſſe, nec docentis elocutione delectatos eſſe profuerit; cum nempe id docetur quod agendum eſt, & ideo docetur vt agatur, fruſtra perſuadetur verum eſſe quod dicitur, fruſtra placet modus ipſe quo dicitur, ſi non ita dicitur vt agatur. Oportet igitur Eloquentem Eccleſiaſticum quando ſuadet aliquid quod agendum eſt, non ſolum docere, vt inſtruat, & delectare vt teneat; verum etiam flectere, vt vincat.

c. 14. IN populo autem graui de quo dictum eſt Deo, in populo graui laudabo te, nec illa ſuauitas delectabilis eſt, quâ non quidem iniqua diliguntur, ſed exigua & fragilia bona ſpumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna neque ſtabilia decenter & grauiter ornarentur. Eſt tale aliquid in Epiſtola beati Cypriani, quod ideo puto vel accidiſſe vel conſultò factum eſſe, vt ſciretur à poſteris quam linguam Doctrinæ Chriſtianæ ſanitas ab iſta redundantia reuocauerit, & ad eloquentiam grauiorem modeſtioremque reſtrinxerit, qualis in eius conſequentibus literis ſecurè amatur, religioſè appetitur, ſed difficillimè impletur.

c. 15. AGIT itaque noſter ille eloquens cùm & iuſta & ſancta & bona dicit; neque enim alia debet dicere, agit ergo quantum poteſt cùm iſta dicit, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur: & hæc ſe poſſe pietate magis orationum quàm oratorum facultate non dubitet, vt orando pro ſe ac pro illis quos eſt allocuturus ſit orator antequam Doctor.

Digitized by Google

Cum enim de vnaquaque re multa ſint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur, quis nouit, quid ad præſens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, niſi qui corda omnium videt? Et quis facit vt quod oportet & quemadmodum oportet, dicatur à nobis, niſi in cuius manu ſumus nos & ſermones noſtri? Ac per hoc diſcat quidem omnia quæ docenda ſunt, qui & noſſe vult & docere, facultatemque dicendi, vt decet virum Eccleſiaſticum, cómparet: Ad horam verò ipſius dictionis illud potius bonæ menti cogitet conuenire quod Dominus ait: Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. *Si ergo loquitur in eis Spiritus ſanctus, qui perſequentibus traduntur pro Chriſto, cur non & in eis qui tradunt diſcentibus Chriſtum?*

QVISQVIS autem dicit non eſſe hominibus præcipiendum quid vel quemadmodum doceant, ſi Doctores Sanctus efficit Spiritus; poteſt dicere, nec orandum nobis eſſe; quia Dominus ait, ſcit pater veſter quid vobis neceſſarium ſit, priuſquam petatis ab eo. Aut Apoſtolum Paulum Timotheo & Tito non debuiſſe præcipere quid præciperent aliis. C. 16.

Sicut enim corporis medicamenta quæ hominibus ab hominibus adhibentur, non niſi eis proſunt, quibus Deus operatur ſalutem, qui & ſine illis mederi poteſt, cum ſine ipſo illa non poſſint; & tamen adhibentur, & ſi hoc officioſè fiat, inter opera miſericordiæ vel beneficentiæ deputatur: ita & adiumenta doctrinæ tunc proſunt animæ adhibita per hominem cùm Deus operatur vt proſint, qui potuit Euangelium dare hominibus, etiam non ab hominibus, neque per hominem.

QVI ergo dicendo nititur perſuadere quod bonum eſt, nihil horum trium ſpernens, vt ſcilicet doceat, vt delectet, vt flectat: oret atque agat, vt quemadmodum ſuprà diximus, intelligenter, libenter, obedienterque audiatur. Quod cùm aptè & conuenienter facit, non immerito eloquens dici poteſt, etſi non eum ſequatur auditoris aſſenſus. Ad hæc enim tria, id eſt, vt doceat, vt delectet, vt flectat, etiam tria illa pertinere videtur voluiſſe idem Ipſe Romani Author eloquij, cùm itidem dixit, Is igitur erit eloquens, qui poterit parua ſubmiſſè, modica temperatè, magna granditer dicere, tamquam ſi adderet illa etiam tria, & ſic explicaret vnam eamdemque ſententiam, dicens: Is erit igitur eloquens qui vt doceat, poterit parua ſubmiſſè; vt delectet, modica temperatè: vt flectat, magna granditer dicere. C. 17.

HAEC autem tria ille ſicut ab eo dicta ſunt, in cauſis forenſibus C. 18.

Digitized by Google

poſſet oſtendere, non autem hoc in Eccleſiaſticis quæſtionibus, in quibus huiuſmodi quem volumus informare, ſermo verſatur. In illis enim ea parua dicuntur, vbi de rebus pecuniariis iudicandum eſt: ea magna vbi de ſalute ac de capite hominum: ea verò, vbi nihil horum iudicandum eſt, nihilque agitur vt agat ſiue decernat, ſed tantummodo vt delectetur auditor, inter vtrumque quaſi media, & ob hoc modica quaſi moderata dixerunt; modicis enim modus impoſuit; nam modica pro paruis abuſiuè non propriè dicimus.

In iſtis autem noſtris, quandoquidem omnia, maxime quæ de loco ſuperiore populis dicimus, ad hominum ſalutem, nec temporariam ſed æternam referre debemus, vbi etiam cauendus eſt æternus interitus: omnia magna ſunt quæ dicimus.

C. 19. *ET tamen cùm Doctor iſte, debeat rerum dictor eſſe magnarum, non ſemper eas debet granditer dicere; ſed ſubmiſſè cùm aliquid docetur, temperatè cùm aliquid vituperatur ſiue laudatur: cùm verò aliquid agendum eſt, & ad eos loquitur qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna ſunt, dicenda ſunt granditer & ad flectendos animos congruenter. Et aliquando de vna eademque re magna, & ſubmiſſè dicitur, ſi docetur; & temperatè, ſi prædicatur: & granditer, ſi auerſus inde animus vt conuertatur, impellitur.*

C. 20. *SVBMISSAE dictionis exemplum eſt apud Apoſtolum Paulum:*
Gal. 4. Dicite mihi ſub lege volentes eſſe, legem non legiſtis? ſcriptum eſt enim, &c.

Pertinet ergo ad docendi curam non ſolum aperire clauſa, & nodos ſoluere quæſtionum, ſed etiam dum hoc agitur, aliis quæſtionibus quæ fortè inciderint, ne id quod dicitur, imputetur, aut per illas refellatur, occurrere; ſi tamen & ipſa earum ſolutio pariter occurrerit, ne moueamus quod auferre non poſſumus.

1. Tim. 5. *In illis autem Apoſtolicis verbis dictio temperata eſt*; Seniorem ne increpaueris, &c. *& in illis*, obſecro autem vos fratres per miſe-
Rom. c. 2. ricordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, &c.

Grande autem dicendi genus hoc maximè diſtat ab iſto temperato genere, quod non tam verborum ornatibus comptum eſt quàm violentum animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta penè omnia, ſed ea, ſi non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu ſuo, & elocutionis pulchritudinem, ſi occurrerit, vi rerum rapit, non curâ decoris aſſumit. Satis eſt enim ei propter quod agitur, vt verba congruentia

Digitized by Google

non oris eligantur induſtria, ſed pectoris ſequantur ardorem. Nam ſi aurato gemmatoque ferro vir fortis armetur, intentiſſimus pugnæ agit quidem illis armis quod agit, non quia pretioſa, ſed quia arma ſunt.

AGIT Apoſtolus vt pro Euangelico miniſterio patienter mala huius temporis, cum ſolatio donorum Dei omnia tolerentur. Magna res eſt, & granditer agitur, nec deſunt ornamenta dicendi. Ecce, *inquit,* 2. Cor. 6.
nunc tempus acceptabile, &c. *Itemque ad Romanos agit vt perſecutiones huius mundi charitate vincantur, ſpe certa in adiutorio Dei. Agit autem & granditer & ornatè.* Scimus, *inquit,* quoniam dili- Rom. 8.
gentibus Deum omnia cooperantur in bonum, &c. *Ad Galatas autem quamuis tota ipſa Epiſtola ſummiſſo dicendi genere ſcripta ſit, niſi in extremis partibus, vbi eſt eloquium temperatum, tamen interponit quemdam locum eo motu animi, vt ſine vllis quidem talibus ornamentis, qualia ſunt in his quæ modo poſuimus, non poſſet tamen niſi granditer dici:* Dies, *inquit,* obſeruatis, & menſes, & annos, & tem- Ad Gal. 4.
pora, &c.

SED Apoſtolica iſta ſic clara ſunt, vt & profunda ſint, atque ita con- c. 21.
ſcripta, memoriaque mandata, vt non ſolum lectore vel auditore, verùm etiam expoſitore opus habeant, ſi quis in eis non ſuperficie contentus altitudinem quærat. Quapropter videamus iſta genera loquendi in iis qui iſtorum lectione, ad rerum diuinarum atque ſalubrium ſcientiam profecerunt, eamque Eccleſiæ miniſtrarunt. Beatus Cyprianus ſubmiſſo dicendi genere vtitur in eo libro, vbi de Sacramento calicis diſputat, &c. Sanctus quoque Ambroſius cùm agat rem magnam de Spiritu ſancto, vt eum Patri & Filio demonſtret æqualem, ſubmiſſo tamen dicendi genere vtitur, quoniam res ſuſcepta non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, ſed rerum documenta deſiderat.

De genere temperato eſt apud Cyprianum Virginitatis iſta laudatio. Nunc nobis ad Virgines ſermo eſt, &c. *Ambroſius etiam genere di-* De Virg. l. 2.
cendi temperato & ornato profeſſis Virginibus proponit, tamquam ſub exempli forma, quod moribus imitentur, & dicit, Virgo erat non ſolum corpore ſed etiam mente, &c. *Hæc etiam propterea in exemplo generis temperati poſuit, quia non hic agit, vt virginitatem voueant quæ nondum vouerunt, ſed quales eſſe debeant quæ iam votæ ſunt.*

Verum ex eo quod ambo egerunt, dictionis grandis exempla memorabo: ambo quippe inuecti ſunt in eas, quæ formam pigmentis colorant

Digitized by Google

vel potius decolorant: quorum prior ille cùm hoc ageret, ait inter cætera; Si quis pingendi artifex vultum alicuius & ſpeciem & corporis qualitatem æmulo colore ſignaret, & ſignato iam conſummatoque ſimulachro, manus alius inferret; vt iam formata, iam picta quaſi peritior reformaret; grauis prioris artificis iniuria, & iuſta indignatio videretur. Tu te exiſtimas impunè laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offenſam? *&c. Ille verò poſterior vt in tales diceret:* Hinc illa, *inquit*, naſcuntur incentiua vitiorum, vt quæſitis coloribus ora depingant, dum viris diſplicere formidant, & de adulterio vultus, meditantur adulterium caſtitatis, &c. *Satis, vt exiſtimo, apparet fœminas, ne ſuam fucis adulterent formam, & ad pudorem & ad timorem hac facundia vehementer impelli. Proinde neque ſubmiſſum neque temperatum, ſed grande omnino genus hoc elocutionis agnoſcimus.*

De habitu Virg. — *Lib. 1. de Virg.*

C. 22. *NEC quiſquam præter diſciplinam eſſe exiſtimet iſta miſcere, imò quantum congruè fieri poteſt, omnibus generibus dictio varianda eſt. Nam quando prolixa eſt in vno genere, minùs detinet auditorem: cùm verò fit in aliud ab alio tranſitus, etiamſi longiùs eat, decentiùs procedit oratio. Verumtamen, faciliùs ſubmiſſum ſolum quàm ſolum grande diutiùs tolerari poteſt: commotio quippe animi quantò magis excitata eſt, vt nobis aſſentiat auditor, tantò minùs in ea diu teneri poteſt, cùm fuerit, quantum ſatis eſt, excitata.*

C. 23. *In grandi genere ſemper aut penè ſemper temperata debent eſſe principia. Et in poteſtate eſt eloquentis, vt dicantur nonnulla ſubmiſſè etiam quæ poſſent granditer dici, vt ea quæ dicuntur granditer, ex illorum fiant comparatione grandiora, & eorum tamquam vmbris luminoſiora reddantur. In quocumque autem genere, aliqua quæſtionum vincula ſoluenda ſunt, acumine opus eſt, quod ſibi ſubmiſſum genus propriè vendicat.*

C. 24. *NON ſanè, ſi dicenti crebriùs & vehementiùs acclametur, ideo granditer putandus eſt dicere, hoc enim & acumina ſubmiſſi generis & ornamenta faciunt temperati. Grande autem genus plerumque pondere ſuo voces premit, ſed lachrymas exprimit. Denique cùm apud Cæſaream Mauritaniæ, populo diſſuaderem pugnam ciuilem, vel potiùs pluſquam ciuilem, quam cateruam vocabant; neque enim ciues tantummodò, verùm etiam propinqui & fratres, poſtremò parentes ac filij lapidibus inter ſe, in duas partes diuiſi, per aliquot dies continuos, certo tempore anni ſolenniter dimicabant, & quiſque vt quem-*

Digitized by Google

quæ poterat, occidebat: egi quidem granditer quantum valui, non tamen egiſſe aliquid me putaui, cùm eos audirem acclamantes, SED CVM FLENTES VIDEREM: acclamationibus quippe ſe doceri & delectari, flecti autem lachrymis indicabant. Numquid omnes qui delectantur mutantur? ſicut in grandi genere omnes qui flectuntur, agunt; & in ſubmiſſo genere, omnes qui docentur, ſciunt, aut credunt verum eſſe quod neſciunt.

VNDE colligitur illa duo genera, quod efficere intendunt, hoc eis eſſe maximè neceſſarium, qui ſapienter & eloquenter volunt dicere: Illud verò quod agitur genere temperato, id eſt, vt eloquentia ipſa delectet, NON EST PROPTER SEIPSVM VSVRPANDVM. Nam cùm eloquentiæ ſit vniuerſale officium in quocumque iſtorum trium generum, dicere aptè ad perſuadendum: finis autem, id quod intenderis, perſuadere dicendo. In quocumque iſtorum trium generum, dicit quidem eloquens aptè ad perſuaſionem, ſed niſi perſuadeat, ad finem non peruenit eloquentia. Perſuadet autem in ſubmiſſo genere vera eſſe quæ dicit. Perſuadet in grandi, vt agantur, quæ agenda iam eſſe ſciuntur, nec tamen aguntur. Perſuadet in genere temperato, pulchrè ornatéque ſe dicere. QVO FINE NOBIS QVID OPVS EST? appetant eum qui lingua gloriantur, & ſe in panegyricis iactant; NOS VERO ISTVM FINEM REFERAMVS AD ALTERVM FINEM, vt ſcilicet quod efficere volumus cùm granditer dicimus, hoc etiam iſto velimus: id eſt, VT BONA MORVM DILIGANTVR, VEL DEVITENTVR MALA. Ita fit, vt etiam temperati generis ornatu non iactanter ſed prudenter vtamur: non eius fine contenti quo tantummodo delectatur auditor, ſed hoc potius agentes, vt etiam ipſo ad bonum quod perſuadere volumus, adiuuetur. c. 25.

ILLA itaque tria quæ ſuprà poſuimus, eum qui ſapienter dicit, ſi etiam eloquenter vult dicere, id agere debere vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur, non ſic accipienda ſunt tamquam ſingula illis tribus dicendi generibus ita tribuantur, vt ad ſubmiſſum intelligenter, ad temperatum libenter, ad grande pertineat obedienter audiri: ſed ſic potius vt hæc tria ſemper intendat, & quantùm poteſt, agat: etiam cùm in illorum ſingulo quoque verſatur. Nolumus enim faſtidiri, etiam quod ſubmiſſè dicimus, ac per hoc volumus non ſolum intelligenter, verùm etiam libenter audiri. Quid autem agimus diuinis teſtimoniis docendo quod dicimus, niſi vt obedienter audiamur, id eſt, vt credatur eis, opitulante illo cui dictum eſt: teſtimonia tua credibilia c. 26.

Digitized by Google

facta ſunt valde? *quid etiam cupit, niſi vt ſibi credatur, qui aliquid licet ſubmiſſo eloquio diſcentibus narrat? Et quis eum velit audire, niſi auditorem nonnulla etiam ſuauitate detineat? nam ſi non intelligatur, quis neſciat nec libenter eum poſſe, nec obedienter audiri?*

Plerumque autem dictio ipſa ſubmiſſa diſſoluit difficillimas quæſtiones, & inopinata manifeſtatione demonſtrat: dum ſententias acutiſſimas de neſcio quibus quaſi cauernis, vnde non ſperabatur, eruit & oſtendit: dum aduerſarij conuincit errorem, & docet falſum eſſe quod ab illo dici videbatur inuictum: maximè quando adeſt ei quoddam decus non appetitum, ſed quodammodo naturale, & quando nonnulla, non iactatiuncula, ſed quaſi neceſſaria, atque vt ita dicam, ipſis rebus extorta numeroſitas clauſularum, tantas acclamationes excitat, vt vix intelligatur eſſe ſubmiſſa. Non enim quia neque incedit ornata neque armata, ſed tamquam nuda congreditur, ideo non aduerſarium neruis lacertiſque collidit, & obſiſtentem ſuburit ac deſtruit membris fortiſſimis falſitatem, Vnde autem crebrò & multùm acclamatur ita dicentibus, niſi quia VERITAS SIC DEMONSTRATA, SIC DEFENSA, SIC INVICTA DELECTAT? Et in hoc igitur genere ſubmiſſo iſte noſter Doctor & dictor id agere debet, vt non ſolùm intelligenter, verùm etiam libenter & obedienter audiatur. Illa quoque eloquentia generis temperati apud eloquentem Eccleſiaſticum nec inornata relinquitur, nec indecenter ornatur: nec ſolùm hoc appetit vt delectet, quod ſolum apud alios profitetur: verùm etiam in iis quæ laudat ſiue vituperat, iſtis appetendis vel firmiùs tenendis, illis autem vitandis vel reſpuendis, vult vtique obedienter audiri. Si autem non auditur intelligenter, nec libenter poteſt. Proinde illa tria, vt intelligant qui audiunt, vt delectentur, vt obediant, etiam in hoc genere agendum eſt, vbi tenet delectatio principatum. Iam verò vbi mouere & flectere grandi genere opus eſt, auditorem; quod tunc eſt opus, quando & veraciter dicit & ſuauiter confitetur, & tamen non vult facere quod dicitur, dicendum eſt procul dubio granditer; ſed quis mouetur, ſi neſcit quod dicitur? aut quis tenetur vt audiat, ſi non delectatur? vnde & in iſto genere, vbi ad obedientiam cor durum dictionis granditate flectendum eſt, niſi & intelligenter & libenter qui dicit, audiatur, non poteſt obedienter audiri.

c. 27. *HABET autem vt obedienter audiatur quantacumque granditate dictionis maius pondus vita dicentis. Multis proſunt dicendo quæ non faciunt, ſed longè pluribus prodeſſent faciendo quæ dicunt. Abundant*

enim

Digitized by Google

enim qui malæ vitæ ſuæ defenſionem ex ipſis ſuis Præpoſitis & Doctoribus quærunt reſpondentes corde ſuo, aut etiam ſi ad hoc erumpunt ore ſuo, dicentes, quod mihi præcipis, cur ipſe non facis? Ita fit, vt cùm non obedienter audiant, qui ſe ipſe non audit, & Dei Verbum quod eis prædicatur ſimul cum ipſo prædicatore contemnant.

IN ipſo etiam Sermone MALIT REBVS PLACERE QVAM C. 28.
VERBIS, nec exiſtimet dici melius, niſi quod dicitur verius, nec DOCTOR VERBIS SERVIAT, SED VERBA DOCTORI. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait: non in ſapientia verbi, ne euacuetur crux Chriſti. *Ad hoc enim valet etiam quod ait ad Timotheum,* noli verbis contendere, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium: *Verbis enim contendere eſt, non curare quomodo error veritate vincatur, ſed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Porrò qui non verbis contendit ſiue ſubmiſſè, ſiue tēperatè, ſiue granditer dicat, id agit verbis, vt veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat, quoniam nec ipſa quæ præcepti finis & plenitudo legis eſt Charitas vllo modo recta eſſe poteſt, ſi ea quæ diliguntur, non vera ſed falſa ſunt. Sicut autem cuius pulchrum corpus & deformis eſt animus, magis dolendus eſt quàm ſi deforme haberet & corpus: ita qui eloquenter ea quæ falſa ſunt, dicunt, magis miſerandi ſunt, quàm ſi talia deformiter dicerent. Quid eſt ergo non ſolum eloquenter, verùm etiam ſapienter dicere, niſi verba in ſubmiſſo genere ſufficientia, in temperato ſplendentia, in grandi vehementia, veris tamen rebus quas audire oporteat, adhibere? Sed qui vtrumque non poteſt, dicat ſapienter quod non dicit eloquenter, potiùs quàm dicat eloquenter, quod non dicit ſapienter.*

SI autem ne hoc quidem poteſt, ita conuerſetur, vt non ſolùm præ- C. 29.
mium ſibi comparet, ſed etiam præbeat aliis exemplum & ſit eius quaſi copia dicendi, forma viuendi. Sunt ſanè quidam qui bene pronuntiare poſſunt, quid autem pronuntient, excogitare non poſſunt; quod ſi ab aliis ſumant eloquenter ſapienterque conſcriptum, memoriæque commendent, atque ad populum proferant, ſi eam perſonam gerunt, non improbè faciunt. Sic enim quod profecto vtile eſt, multi Prædicatores veritatis fiunt, nec multi magiſtri, ſi vnius veri Magiſtri idipſum dicant omnes, & non ſint in eis ſchiſmata. Nec deterrendi ſunt iſti voce Ieremiæ Prophetæ, per quem Deus arguit eos qui furantur verba eius, vnuſquiſque à proximo ſuo: qui enim furantur, alienum auferunt: verbum autem Dei non eſt ab eis alienum qui obtemperant ei, potiuſque ille dicit aliena, qui cum dicat bene, viuit malè. Quæcumque

Digitized by Google

enim bona dicit, eius excogitari videntur ingenio, ſed ab eius moribus aliena ſunt. Eos itaque dixit Deus furari verba ſua, qui boni volunt videri, loquendo quæ Dei ſunt, cùm mali ſint faciendo quæ ſua ſunt. Cum verò boni fideles bonis fidelibus hanc operam commodant, vtrique ſua dicunt, quia & Deus ipſorum eſt, cuius ſunt illa quæ dicunt: & ea ſua faciunt, quæ non ipſi componere potuerunt, qui ſecundum illa compoſitè viuunt.

C. 30. *SIVE autem apud populum, vel apud quoſlibet iam iamque dicturus: ſiue quod apud populum dicendum, vel ab eis qui voluerint aut potuerint legendum eſt, dictaturus: oret vt Deus ſermonem bonum det in os eius. Si enim Regina orauit Eſther pro ſuæ gentis temporaria ſalute locutura apud Regem, vt in os eius, Deus congruum ſermonem daret: quantò magis orare debet, vt tale munus accipiat qui pro æterna hominum ſalute, in verbo & doctrina laborat? Illi verò qui ea dicturi ſunt quæ ab aliis acceperunt, & antequam accipiant, orent pro eis à quibus accipiunt, vt eis detur quod per eos accipere volunt: Et cùm acceperint, orent vt bene & ipſi proferant, & illi ad quos proferunt, ſumant; & de proſpero exitu dictionis eidem gratias agant, à quo id ſe accepiſſe non dubitant, vt qui gloriatur, in illo glorietur, in cuius nutu ſunt & nos & ſermones noſtri.*

C. 31. *LONGIOR euaſit liber hic quàm volebam quámque putaueram, ſed legenti vel audienti cui gratus eſt, longus non eſt: cui autem longus eſt, per partes eum legat, qui habere vult cognitum.*

QVÆ poſteriora S. Auguſtini verba non id tantùm ſignificant, vt per partes quæ ſunt libri capita, ſeparatim & otiosè liber legatur; ſed ſiue per capita ſeparatim, ſiue ſimul totus legatur, curet lector ſic partes libri retinere, vt cum ad parandam concionem acceſſerit, libri partem cum parte concionis conferat & accommodet: Non eſt enim idem ordo libri partium & concionis; ac proinde ad ipſam praxim & vſum quotidianum quæ cuique pars parti reſpondeat, probè eſt intelligendum. Sic autem ſimul videntur componi poſſe.

PRIMVM omnium agendorum eſt Caput decimum quintum, vbi de orando Deo agitur; Licet itaque ſint parata hic ad ſingulos dies omnia, vel licet tu ipſe de quouis iam argumento ſcripſeris & dixeris: quoties tamen agetur de paranda primò concione, numquam deliberes aut decernas ſeu generatim ſeu particulatim quod ſis dicturus, niſi poſt orationem, in qua ex ani-

mo plane religioſo ſic probes, *quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta,* vt non aliud quàm quod ſincerè putes Deum velle, dicas; nec alio dicas modo quàm velit, nec alio fine quàm quod ſic velit.

SECVNDVM, ex capite decimo octauo deſumendum eſt, & fixè tecum ſtatuendum, hanc eſſe Dei voluntatem, vt quidquid ex occurrenti Euangelio vel celebrando feſto ſelegeris, æternam auditorum ſalutem ſpectet, ſicque tractando ſuſcipiatur, quaſi de ſempiterno animorum interitu tùm ageretur.

TERTIVM conformiter quarto capiti, mala ſunt potiùs dedocenda, quàm docenda bona; nam in illis deſerendis & maior eſt difficultas & maius damnum niſi deſerantur: Plures ſunt aduerſi quos concilies, & remiſſi quos erigas, qua de re pòſt in fine apertiùs.

QVARTVM ex eodem capite ad ſeligendam malis dedocendis aptiorem materiam, præter illa quæ in noſtro hoc opere, tali occurrent die propoſita, vel ex Euangelio, vel ex continuata dicendorum ſerie; poſſunt videri cuiuſque partis indices, & opportunis verbis perluſtratis, inde illa deduci, quæ non gratiora, non ſplendidiora, *ſed vtiliora in Domino videbuntur.*

QVINTVM, ſi aliquam ex propoſitis veritatibus placet eligere, cogitandum eſt maturè quibus vernaculè terminis poſſit enuntiari, & tùm habendum præ oculis quod dicitur capite 28. de natiuo decore, ſed magis etiam quod capitibus octauo & nono de perſpicuitate dictionis.

Idem eſto iudicium de forma quæ eſt adhibenda materiæ, ſeu de apta totius concionis diſpoſitione, quam hîc vnam in omnibus ratiocinatiuam reddimus, non quòd fortè ſemper ſit ita diſcurrendum; ſed quod frequentiùs, ſi caput ſequeris quartum, quintum, & quotquot de dicendi officiis tractant, quæ ſunt docere, delectare & flectere, nihil enim ad hæc tria conuenientius; Quod & quique ſcriptores docent, in quibus vide Carolum Regium, qui Orator Chriſtianus inſcribitur, vbi de variis agit concionis diſpoſitionibus, quarum hanc primam ſtatuit vt maximè congruentem. Quia verò non ita facilè cunctis occurrit, idcirco fortè rariùs adhibetur; ac propterea conſtantius in illa tradenda forma hîc eſt elaboratum, vt quod vtilius eſt quærere, & difficilius inuenire, præſto eſſet volenti; nolenti verò pro ſuo cuique Lib. 8. c. 4.

Digitized by Google

genio maneret liberum, formam ſibi aliam præſcribere, vel variare, vel obumbrare: dum tamen memor capitis decimi, quicquid proponat ſe dicturum, clarè intimet, diſtinctè, ſapienter, non nimis cultè, nec incultè, non vt latinè ſolet in ſcholis proponi ſtrictiùs, ſed vt grauiter & moratè viros inter prudentes & maturos, quantùm ſcilicet ſatis eſſe iudicatur ad id quod agitur, exponendum. Et verò antequam ſpernas hunc ratiocinandi modum, experire quid valeat; & agnoſce, quantùm non modo intellectui & voluntati, ſed & memoriæ cùm dicentis tum audientis conferat. Neque timendum eſt auditoris faſtidium, ſi ſemper aut ſæpius eundem ſerues dicendi modum, cùm mutetur materia, & ita ſæpe accidat vt vni ſemel aſſuetus auditor modo quem libenter audit, mirum quantùm in eo ſemper acquieſcat, paratoque auidè animo quod expectabat, hauriat.

SEXTVM, ſic ſtatutis illis quæ concionis antecedunt ſtructuram, iam componatur ipſa concio, iam quod capite decimo ſeptimo dicitur, in praxim veniat, *vt qui dicendo nititur perſuadere quod bonum eſt, nihil horum trium ſpernens, vt ſcilicet doceat vt delectet, vt flectat: oret atq; agat vt intelligenter, libenter, obedienterq; audiatur.* Hoc autem agitur, totam ordinando concionem ſuas in partes. Ordinatur verò, vel ſolà mente, vel breui ſcripto, vel longiori diſcurſu. Quocumque ex his modo fiat, breue ſit ſemper illud quod præmitti ſolet ante Salutationem Angelicam. Nihil eorum attingatur quæ hîc habentur in exordiis: Sola ſacræ Scripturæ verba quibus proponenda Veritas continetur, religioſè proferantur, & quantum ſatis eſt ad delibanda & præmonſtranda quæ dicentur, exponantur: non variis adductis ſententiis aut interpretationibus; non tota Euangelij vel rei geſtæ narratione, niſi ſit admodum breuis; non forma ſeu diſpoſitione dicendi declarata: hæc enim ſunt exordij vel narrationis propria, quæ quidem concionis partes nec debent multiplicari, neque à ſe vel ab aliis diſiungi partibus. Ac proinde prooemium illud religioſè quidem & grauiter, ſed non profusè producatur, nec in ipſam penetret altius rei dicendæ materiam, ne quid ſit repetendum.

Quando hîc itaq; deſignatum eſt primum punctum, quidquid tùm exponi ſolet antequã fuſiùs denuntietur & declaretur Veritas, locum habet exordij, cui vix aliquid detrahi poſſit, at verò

Digitized by Google

addi nonnihil deceat, dum ſit aptum, breue, concinnum, qualis eſſet Pſalmi verſiculus, ſacrum prouerbium, prophetæ grauis ſententia, cohærens denique ſcripturæ locus, vnde in dicenda ſit procliuis & expeditus aditus. Atque hic illud quod breuiter capite quarto commendatur de auditorum attentione & beneuolentia, breuiter etiam expediatur: ſatis enim ſe ipſa quæ proponitur veritas, auditori conciliat.

QVÆ porro ſequitur ex eodem primo puncto, declaratio veritatis, primam duntaxat propoſitionem continet exponendam, quæ cùm plerumque ſit magis vniuerſalis quàm ſequens, magis etiam docendi munus exercet, & ſubmiſſum dicendi genus, de quibus multa ſunt capita, quorum illud numquam de memoria vel ex oculis effluat, quo dicendi ornatus temperatur, ſeu temperandus, & ad finem qui eſt ſalus animæ tantùm vſurpandus, commendatur; quod quidem ita commendatum ſibi perſuadeat Chriſtianus concionator, vt bonam quæ ab eo exigitur in adimplendo prædicatoris officio fidelitatis partem, hoc vno vel maximè credat conſiſtere. Si nimius enim ſit iſte ornatus, non ſpectabit tantummodo finem propoſitum: ſi quid autem aliud ſpectet, vix aut ne vix ipſum intendet finem, quia illò aliò quod ſibi ſimul inordinatè proponit, hic finis etiam rectè propoſitus ſit obruetur, vt planè deſinat eſſe rectus. *Nemo poteſt*, inquit ſanctus Chryſoſtomus, *finem prædicationis aſſequi niſi popularem auram aſpernetur. Et profectò abundans*, ait idem, *illi fuerit laboris ſolatium, idemque omnium certè maximum, ſi ſibi ipſe conſcius eſſe potuerit ad hanc ſe rationem, doctrinam eloquentiamque ſuam compoſuiſſe atque adaptaſſe, vt Deo illa placens acceptaque fiat.* *L. 5. de Sacerdotio L. 6.*

SEPTIMVM, in ſecundo puncto quo ſecunda propoſitio demonſtratur, aſſurgat quidem paulò altiùs oratio, ſed ſimul premat ſtrictiùs auditorem in particulari caſu propoſito, dilucidèque fiat quod habent capita decimum & vndecimum, *qui audit, verum audiat, & quod audit ita intelligat*, vt ſibi dictum non dubitet; *appareat quod latebat*, nempe incluſum vlcus, deprauata cupiditas, error oppoſitus veritati, pauenda inde pernicies.

Atque illa duo puncta ſunt inſtar narrationis cuiuſdam quâ intelligenter edocetur Auditor, ſuauiterque paratur ad aſſenſum totius Veritatis, quem exigit in Tertio puncto, tertia quæ ex aliis

infertur Propoſitio, quæ eſt ipſa Concluſio ſeu Veritatis euidentia, quæ apertè prodit ex collecto in vnum breui complexu totius raciocinationis expoſitæ, quam ſi placet firmius confirmare, placeat & quod habet caput vigeſimum, vt potenter refellantur quæ contra poſſent objici: & quod de grandi genere mouendis apto cordibus paſſim eſt dictum, hic potiſſimum adhibeatur, hîc illæ obſecrationes & increpationes, concitationes & coërcitiones, de quibus vniuerſim primis capitibus, & particulatim vigeſimo, vigeſimoque primo, cùm ex Apoſtolo, tum & ſanctis Doctoribus.

Quod vt fiat etiam efficacius, ſi fortè non in ipſo diſcurſu ſatis intellexiſſet Auditor ſe in cauſa inuolutum ſeu in propoſita veritate,damniſque conſequentibus, hic vel apertè intelligat ſentiatque prorſus ſua multùm intereſſe quod dictum eſt: agnoſcat ſibi deeſſe illud quod ſuadetur, aut id ineſſe quod diſſuadetur: agnoſcat quæ inde ſibi vel iam in præſenti vita, vel in morte ac iudicio, coramque Deo verè immineant damna, pericula, detrimenta. Pudeat eum ſuæ circa hoc dementiæ: pæniteat ſuæ negligentiæ, ſuæue culpæ, proponatque feriò reſipiſcentiam. Nihil alioquin aut vix quidquam efficies: nec quantumuis bonum aut malum ſit illud quod proponitur, niſi ſe Auditor priuatum illo bono vel affectum malo ſentiat: aut niſi quid damni ex illa boni priuatione vel mali affectione timeat, nil perſuadebis. Quamobrem quod ſupra dictum eſt de malis dedocendis, hic etiam atque etiam in primis habe, vt quàm fieri frequentiſſimè poſſit, ex multis quæ dicenda occurrent, id ſeligas potiùs, quod ſit diſſuadendum quàm quod perſuadendum. Nam vniuerſim loquendo, faciliùs diſſuademur à malis, quàm ad bona ſuadeamur; faciliùs permouemur ad cauenda damna, quàm ad commoda quædam comparanda. Cum enim in vtriſque ſit difficultas, non ita difficultatem perrumpit futuræ commoditatis perſuaſio, quàm imminentis damni ſiue periculi diſſuaſio. Tunc nempe natura minùs reſiſtit gratiæ, quando cedit cauſa reſiſtendi, quæ reſiſtendi cauſa cùm in timore difficultatis ſeu pænæ ſubeundæ ſit ordinariè poſita, timor hic timore grauioris mali quod intentatur facile vincitur. Sic iam audiuiſti ſanctum Auguſtinum dicentem ſibi nihil vnquam dicendo felicius accidiſſe, quàm cùm aliquorum vitium diſſuaſiſſet. Sic dum accuratè legeris ſanctum Chry-

Digitized by Google

ſoſtomum, in hoc vno præſertim illum eſſe Chryſoſtomum, & illum eſſe diſces, quem propterea Chriſtianus prædicator imitetur, ſi velit eſſe Chriſtianus prædicator.

Et verò in fine poſt vehementiores motus, adhiberi poſſent lenes, quibus emergendi via pateſiat, difficultates explanentur, ſpes detur & confidentia, ſi tantum hoc aut illud abſtineant vel ſuſtineant auditores, quod facillimè, ſi velint, poterũt cum diuina gratia: debẽt autẽ velle pro rei de qua dictum eſt grauitate. Sic Amos ille Propheta cuius vehementiam affectus expoſuit octauo capite S. Auguſtinus, paulò poſt admodum ſuauiter: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & comprehendet arator Meſſorem, & calcator vuæ mittentem ſemen; & ſtillabunt montes dulcedinem & omnes colles culti erunt. Et conuertam captiuitatem populi mei Iſraël, &c.* Sic alius poſt multa grauiter dicta: *Conuertimini & agite pænitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Et quare moriemini Domus Iſraël, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite.* Ezech. 18.

Sic ipſe Chriſtus Dominus nullibi vnquam ſuauius quàm vbi dixit grauius: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Betſaïda! Et tu Capharnaum, numquid vſque in cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes.* Math. 11. Quid his & aliis adiunctis ſimilibus poteſt eſſe grauius? At quid his ſuauius quæ pòſt addit, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

Si tamen ad conuerſionem minus flecti viderentur animi, vel ad pietatem emolliri, ne tunc quidem eſſet neganda ſuauitas, ſed quæ deploraret potius mala imminentia quàm quæ nulla mala prædiceret. Talis eſt illa Chriſti Domini comploratio poſt tam multa coniecta in Iudæos anathemata, quæ leguntur Mathæi vigeſimo tertio: *Ieruſalem, Ieruſalem quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*

Sic metum inter & ſpem coniecti Auditores ſunt dimittendi, vt metu à malo, & ſpe ad bonum conuertantur. Atque ita quod commendat dilectus diſcipulus, *Cooperatores ſimus omnes veritatis.* 3. Ioan.

Hic eſt vnicus finis, & ſcopus totius huius operis, de cuius partitione reſtat aliquid dicere.

PARTITIO TOTIVS OPERIS.

IN quatuor diuiſum partes totum hoc eſſe opus iam ex pri-

mo limine patuit, quæ quidem diſtinctæ partes ſicut numero rerumque tractandarum proprietate, quatuor anni conueniunt tempeſtatibus, ita & ipſo nomine deſignantur, ſeruatis iiſdem prorſus regulis & ſtatutis quæ ab Eccleſia ſunt ordinata.

PARS PRIMA, quæ pars eſt hyemalis, à prima Dominica Aduentus vſque ad Septuageſimam, tribus his fermè concluſa menſibus, Decembri, Ianuario & Februario, refert ex vita Chriſti quicquid ab illo geſtum narratur in Euangeliis, vſque ad ſermonem de Beatitudinibus in monte habitum.

Deinde verò Sanctorum dies feſtos, qui tum incidunt, exhibet; Ac poſtremo quæ ſunt communes diuerſis Sanctorum ordinibus Conſiderationes ſeu Veritates proponit.

PARS SECVNDA, pars verna, tribus his ordinariis affixa menſibus, Martio, Aprili & Maio, ducit initium à Dominica Septuageſimæ, repræſentatque myſteria patientis Chriſti, reſurgentis, aſcendentis in cœlos, & deſcendentis Spiritus ſancti, nec proinde finitur, niſi cum Paſchali tempore, Sabbato quod præcedit Dominicam ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ eſt prima poſt Pentecoſten.

Tum Sanctorum feſti dies qui ad illam ſpectant partem, memorantur; Ac communes variis ſtatibus proponuntur Veritates, quas in ſuo commodiùs indice licet intueri.

PARS TERTIA, pars æſtiua, tres complexa menſes, Iunium, Iulium, Auguſtum, à Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis ad Decimam quintam poſt Pentecoſten, reſumit ſeriem Euangelicæ narrationis ab illo ſermone Domini, quem in monte habuit; & colendos Sanctorum dies illis aſcriptos menſibus celebrat; quibus & communes Religioſo ſtatui conſiderationes adjicit.

PARS QVARTA, pars Autumnalis, tribus qui reſtant definita menſibus, Septembri, Octobri & Nouembri, quidquid etiam ſupereſt de Vita Chriſti Sanctorumque geſtis commemorat; & ſi quæ plura proprio deſignabuntur indice.

Duplex vnicuique parti connexus eſt index: alter dierum, alter rerum: Tertius verò in fine totius operis additur, qui Veritates eo proponat ordine, quo per tres illas, quas vocant, perfectionis vias, acquiri faciliùs & aptiùs vſurpari poſſint, ſiue ad proprium, ſiue ad proximi, cum Diuina gratia, ſpiritualem profectum.

SVMMA

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

CAutum eſt auctoritate Regis, ne quis in Regno ſuo, aliiſue locis ſuæ ditioni ſubiectis, intra nouem proximos annos, librum qui ſic inſcribitur, *Veritates Practicæ, opus à P. Iuliano Hayneufue Societatis Ieſu, compoſitum* abſque Richardi Lallemant Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Rothomagenſis & Collegij Societatis Ieſu Typographi permiſſu imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium. Qui ſecus fecerit, mulcta indicta, prout amplius in deplomate Regio continetur, coercebitur. Datum Genabi, die 8. Aprilis 1652. Signatum, LE BRVN.

Hæc prima Editio abſoluta fuit 15. Maij 1652. à Laurentio Maurry Typographo Archiepiſcopali.

APPROBATIO DOCTORVM.

EGo infra ſcriptus, *ANTONIVS GAVLDE Presbyter, Domus ac Societatis Sorbonicæ Doctor, Eccleſiæ Rothomagenſis Præcentor & Canonicus, nec-non Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi in Chriſto Patris ac Domini D. Franciſci Archiepiſcopi Rothomagenſis, Normaniæ Primatis, in Spiritualibus ac Temporalibus Vicarius Generalis*, teſtor hunc librum qui Authore Patre Iuliano Hayneufue Societatis Ieſu Sacerdote, *VERITATES PRACTICAE*, Inſcribitur, non modo nihil continere repugnans orthodoxæ fidei, & bonis moribus: ſed valde pium eſſe, & vtilem: atque omnes, quæ in eo continentur, Veritates, verè dignas eſſe quæ legantur, conſiderentur, & prædicentur. Datum Rothomagi, in Palatio Archiepiſcopali, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, die verò Martij vndecimâ.

GAVLDE
Vicarius Generalis.

Idem teſtor.
FRATER CHRISTOPHORVS CASTEL
Doctor Theologus Ordinis FF. Prædicatorum.

FACVLTAS SVPERIORVM.

EGo Claudius Delingendes Societatis Ieſu in Prouincia Franciæ Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi ab admodum Reuerendo Patre noſtro Franciſco Piccolomineo Generali Præpoſito factâ: facultatem concedo, vt opus inſcriptum, *VERITATES PRACTICAE, ex vita Domini Ieſu, ſanctorumque geſtis, in ſingulos anni dies*, à P. Iuliano Hayneuſue eiuſdem Societatis Ieſu Sacerdote compoſitum, & ab aliquot patribus eiuſdem Societatis lectum & approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas & ſigillo noſtro munitas dedimus. Pariſiis, ſexto Aprilis 1651.

CLAVDIVS DELINGENDES.

EGo Idem Præpoſitus Prouincialis, Societatis Ieſu, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos, abſq; Superiorum eius permiſſione imprimant, permitto Richardo Lallemant, Illuſtriſſimi Archiepiſcopi & Collegij Rothomagenſis Typographo, vt opus quod inſcribitur, *VERITATES PRACTICAE*, à Patre Iuliano Hayneufue Societatis Ieſu Sacerdote compoſitum, ad decem proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſit. Datum Rothomagi, decimo Auguſti 1651.

CLAVDIVS DELINGENDES.

Digitized by Google

INDEX VERITATVM
IN SINGVLOS DIES, PRIMÆ PARTIS.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS. Ad Euangelium de extremo iudicio.

Nemo Chriſtianus Chriſti iudicio condemnabitur, niſi qui prius ſuo Chriſtũ iudicio condemnauerit. pag. 1.

Primus Chriſti Aduentus mundano tam timendus quàm ſecundus.

Tam formidandum Mundo præſepe Chriſti naſcentis, quàm Tribunal iudicantis. 5.

Nihil in futuro iudicio magis metuendum peccatori, quàm quòd minùs metuit. 13.

Sicut ad ſecundum Chriſti Aduentum renouabitur mundus, ita modo animus noſter æquè eſt renouandus. 14.

Hac hebdomade in conſiderationem veniunt eæ Perſonæ, quæ propiùs ſpectant & attingunt Myſterium Incarnationis Chriſti Domini.

Feria 2. De Æterno Patre Filium nobis dante.

Sic Deus dilexit Mundum, vt ſic Mundus diligeret Deum, ſicut dilectus eſt. 17.

Feria 3. De Filio ſeipſum offerente.

Quam in ſe attrahit gratiam qui ſe Deo libens offert, eamdem ſibi detrahit qui quod offert, non reddit. 20.

Feria 4. De Spiritu ſancto, quantùm ad opera-

tionem Myſterij Incarnationis.
Nulla in re frequentiùs Spiritui ſancto reſiſtitur, quàm quòd infrequentiùs de Chriſto cogitatur. 24.
Feria 5. De deſiderio Sanctorum Patrum circa Aduentum Domini.
Vix vllus eſt qui non ſe vere putet deſiderare Chriſtum, & vix vllus eſt qui Eum verè deſideret. 27.
Feria 6. De Sanctiſſima Virgine Maria Matre D. N. Ieſu Chriſti.
Sicut omnis à Maria reſpectus, impoſſibile eſt vt pereat: ita omnis ab ea deſpectus, neceſſe eſt vt intereat. 32.
Sabbato. De S. Ioſepho, Sponſo Virginis Matris. Ad illud Gen. 41. Ite ad Ioſeph.
Melius itur ad Sanctum Ioſeph, imitatione virtutis eius quàm laude. 33.
DOMINICA 2. ADVENTVS. Ad Euangelium de S. Ioanne Baptiſta laudato à Chriſto Domino, quòd eſſet propheta & pluſquam propheta.
Hoc eſt verè laudabile, laudari ab officio.
Ad hæc Verba, Ioannes in vinculis.
Liberior & beatior eſt Ioannes in vinculis quàm Herodes in epulis.
Multi cum Herode Ioannem in vinculis tenent.
Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.
Sicut ſcandalizans, ita peccat ſcandalizatus.
Hac hebdomade conſideratur Annuntiatio Angelica, vbi ſex gradus humilitatis annotantur.
Feria 2. De primo gradu humilitatis, qui ex his

Digitized by Google

verbis ducitur : MISSVS EST GABRIEL ANGELVS A DEO.

Nulla re homo quantumuis glorioſa, gloriari poteſt. 50.

FERIA 3. De ſecundo humilitatis gradu , ad hæc Angeli verba : AVE GRATIA PLENA DOMINVS TECVM.

Nulla res eſt in humanis verè glorioſa. 53.

FERIA 4. De tertio humilitatis gradu, qui apparet in turbata Virgine ad laudes ſuas.

Ad laudes noſtras, tremere potius conuenit, quàm exultare. 56.

FERIA 5. De quarto humilitatis gradu, conſiderando in his Mariæ ad Angelum verbis. QVOMODO FIET ISTVD, QVONIAM VIRVM NON COGNOSCO.

Humilitas ita pugnat cum honoribus, vt non repugnet obedientiæ. 59.

FERIA 6. De quinto humilitatis gradu, qui eſt maximè proprius Beatiſſimæ Virgini dicenti ſe ancillam Domini.

Quò quis eſt maior, eò & humilior. 62.

SABBATO. De ſexto humilitatis gradu in Verbo Incarnato.

Se anteponit Chriſto, qui ſe omnibus non poſtponit. 65.

DOMINICA 3. ADVENTVS. Teſtimonium S. Ioannis Baptiſtæ de Chriſto Domino.

Quàm benè de Chriſto humilis, tam malè meretur arrogans. 69.

Ad hæc Euangelij verba. TV QVIS ES?
Tres hominum ſtatus ad perfectionem tendentium, his tribus verbis, TV QVIS ES? eò valde promouentur. 72.
Ego vox clamantis in deſerto.
Vox clamantis in deſerto poſt peccatum, peccati conſcientia peccatori audienda. 75.
Hac hebdomade conſideratur Verbum Incarnatum reſidens in vtero Virginis Matris. Varij eius ſtatus ſub numero ſeptenario ſigillatim in dies recenſentur. Vnde Veritates Practicæ ad Amoris Diuini gradus & effectus pernoſcendos eruuntur.
FERIA 2. *Septem præcipui tituli quibus Chriſtus Dominus dignoſci poteſt.*
Affectu potius quàm ſtudio Chriſtus cognoſcitur. 79.
FERIA 3. *Septem ſingulares perfectiones verbi Incarnati reſidentis in vtero Virginis Matris, quæ ſingularem à nobis dilectionem exigunt.*
Aurum ignitum eſt amor Chriſti, in quo non tam ardor quàm puritas quæritur. 82.
FERIA 4. *Septem donorum Spiritus ſancti plenitudo in Verbo Incarnato.*
Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. 86.
FERIA 5. *Septem ordinariæ infirmitates infantium, quas in vtero pati voluit verbum Incarnatum.*
Non viuitur in amore Chriſti, ſine dolore. 90.
FERIA 6. *Septem virtutes quas Chriſtus Dominus in vtero Virginis Matris exercuit.*
Nunquam eſt Dei amor otioſus. 94.
SABBATO. *Septem virtutes præcipuæ in cultum & amorem verbi Incarnati exhibendæ.*

Digitized by Google

DOMINICA 4. ADVENTVS, & tota ſeq. hebdomada: De præparatione ad gratias Naſcentis Chriſti Domini recipiendas: Iuxta illud Euangelij, PARATE VIAM DOMINI. Iſta præparatio fit per virtutes & veritates oppoſitas ſeptem capitalibus vitiis. Ac primùm hodie de Temperantia quæ opponitur vitio gulæ, ſeu vitæ laxiori, & quæ ſatis euidenter apparet in S. Ioanne Baptiſta commorante in deſerto & pænitentiam prædicãte.

Sibi, non Domino viuit, qui temperatè non viuit. 102.

Licet omni peccatori ſit neceſſariò pænitendum: vix tamen vllus eſt, qui neceſſariam agat pænitentiam. 105.

Erunt praua in directa & aſpera in vias planas.

Sic facta ſunt aſpera in vias planas, vt tam iucundè per aſpera, quàm per plana viuamus. 109.

Maius eſt Chriſti beneficium, amaritudines nobis reliquiſſe amabiles, quàm nullas nobis reliquiſſe. 111.

Aut non amatur Chriſtus, aut amatur aſperitas. 112.

Cui nimis adhuc durum videtur pati pro Chriſto, nimis etiam durum videtur amare Chriſtum. ibid.

In propria venit, & ſui eum non receperunt.

Non minus modo quàm olim Chriſtus in propria venit, nec ſui magis eum recipiunt. 114.

FERIA 2. De diligentia ſeu deuotione quæ eſt oppoſita vitio Acediæ, & quæ apparet in B. Virgine, abeunte in montana cum feſtinatione.

Quicquid offerendum Deo ſciet vera Deuotio, differre neſciet. 119.

Digitized by Google

Feria 3. De Charitate quæ eſt oppoſita vitio inuidiæ: Et quæ apparet in B. Virgine ſalutante cognatam ſuam Eliſabeth.
Charitas alienis bonis gaudet vt propriis.
Feria 4. De humilitate quæ eſt oppoſita ſuperbiæ: Et quæ apparet in his S. Mariæ verbis: Magnificat anima mea Dominum.
Quantò ſe humilis minorem facit, tantò magis magnificat Deum.
Feria 5. De Virtute quæ eſt oppoſita vitio Auaritiæ. Ad hæc Virginis Matris verba, Esurientes impleuit bonis, et diuites dimisit inanes.
Omnis copia quæ Deus non eſt, egeſtas cenſenda eſt. 129.
Feria 6. De Caſtitatis cuſtodia, exemplo ſanctiſſimæ Virginis, quæ ante partum Eliſabeth reuerſa eſt in domum ſuam.
Securior eſt caſtitatis victoria fugiendo, quàm pugnando. 132.
Sabbato. Et in vigilia Natiuitatis. De Manſuetudine quæ eſt iræ oppoſita, & quæ in ſancto Ioſepho clarè elucet.
Manſuetudo parat hoſpitium Chriſto venturo. 136.
In nocte Natiuitatis Domini. Et reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.
Aut Chriſtus fallitur, aut mundus errat. 140.
In die Natalis Domini. Magnificatus est Rex pacificus

Pacificvs svper omnes Reges vniversae terrae.

Chriſtus in præſepi, & Chriſtianus in humilitate, magis magnificatus eſt quàm Salomon in throno ſuo. 144.

In Feſto S. Stephani. Stephanvs plenvs gratia et fortitvdine, &c.

Iniuriam infert gratiæ maximam, qui pro ferenda iniuria non certat fortiter. 149.

In Feſto S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ. Discipvlvs qvem diligebat Iesvs.

Qui diligit cordis munditiem, habebit amicum Regem. *Prou.22.* 153.

In Feſto SS. Innocentium. Herodes iratvs occidit omnes pveros qvi erant in Bethleem.

Inimici noſtri magis prodeſſe poſſunt odio, quàm profuiſſent obſequio. 157.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS. Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in Reſurrectionem multorum in Iſraël.

Vel nouus homo Chriſtus, veteris noſtri hominis eſt ruina: vel vetus noſter homo ruina eſt naſcentis hominis. Alteruter alterius eſt ruina. 160.

Triduo ſequenti de Paſtoribus.

Die 29. Decembris. De celeri paſtorum profectione ad præſepe Domini.

Sicut diſcurſum noſtri intellectus ſtatim ſequi debet affectus voluntatis; ita & affectum effectus ſeu exequutio. 162.

DIE 31. DECEMBRIS. *De reditu paſtorum & relatione eorum quæ audierunt & viderunt.*

Ne quid nimis, aut quid minus cum proximo. 170.

DIE 1. IANVARII, ET ANNI. *In Circumciſione Domini. De nomine Ieſu, & de pura intentione renouanda.*

De pretio Nominis Ieſu, tantò plus circumciditur & nobis deperit; quantò minùs perfectè nos circumcidimus.

Diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. 2. *Tim.* 2. 179.

Quanta eſt modò nobis obligatio ad non ſuſcipiendam circumciſionem legalem, tanta eſt ad ſuſcipiendam ſpiritualem. 182.

Triduo ſequenti. De tribus puræ intentionis conditionibus, quæ ex effectis antiquæ circumciſionis eruuntur.

DIE 2. IANVARII. *Quæ eſt Octaua S. Stephani, de prima conditione puræ intentionis vt ſit pura à peccato.*

Non ſunt facienda mala vt eueniant bona. 184.

DIE 3. IANVARII. *Quæ eſt Octaua S. Ioānis Euang. De ſecunda conditione puræ intentionis, vt ſtudium continuum reprimendæ concupiſcentiæ comprehendat.*

Totius difficultatis de pura intentione ſolutio, ſtudium eſt continuum reprimendæ concupiſcentiæ. 189.

DIE 4. IANVARII. *Quæ eſt Octaua SS. Innocentiū. De tertia conditione puræ intentionis, vt ſit vni-*

uerſim in omnibus.

Aut nullam vitæ partem, aut totam Deo debes. 194.

DIE 5. IANVARII. *Quæ eſt Vigilia Epiphaniæ. De ſtella tribus magis apparente.*

Dum lucet, ambulandum; ne tenebræ fiant. 197.

DIE 6. IANVARII. *In Epiphania Domini. De Chriſto Rege à Magis adorato cum oblatis muneribus.*

Non niſi tribus oblatis concupiſcentiis Rex Chriſtus re agnoſcitur. 201.

Non à magno Regno Rex magnus, Chriſtus ita eſt prædicandus, quàm à magno Rege, magnum eius Regnum. 206.

Quocumque die ſequentium occurrat Dominica prima poſt Epiphaniam, habetur infrà, die 12. propria eius meditatio.

DIE 7. IANVARII. *De reditu Magorum in patriam ſuam, per aliam viam.*

Non aliud, ſed aliter. 212.

DIE 8. IANVARII. *De præſentatione pueri Ieſu in templo, & Purificatione Virginis Matris.*

Non quid liceat, ſed quid magis expediat. 215.

DIE 9. IANVARII. *De occurſu Simeonis in templo, & de iis quæ ventura Chriſto ac Virgini Matri prædixit.*

In pace amaritudo, & pax in amaritudine. 220.

DIE 10. IANVARII. *De fuga ſancti Ioſeph in Ægyptum.*

Non cõtriſtabit iuſtũ quicquid ei acciderit. *Prou.* 12. 223.

Digitized by Google

DIE 11. IANVARII. *De reditu ab Ægypto in Nazareth.*

Meliore rerum ſtatu non magis gaudet iuſtus, quàm deteriore doluit. 227.

DIE 12. IANVARII. *De Triduana commoratione pueri Ieſu duodennis in templo.*

Senſitiuæ deuotionis ſubtractio, veræ & ſolidæ deuotionis eſt probatio. 231.

Nemo iam Chriſtum amittit, niſi qui dimittit.

Nemo tibi Chriſtum auferre poteſt, niſi te illi auferas. 234.

EODEM DIE, *De manſione Nazarethana & ſubiectione D. Ieſu, vſque ad annum trigeſimum.*

Niſi te ſubdas Deo, Deum tibi ſubdis. 235.

DIE 13. IANVARII. *Quæ eſt Octaua Epiphaniæ. De Baptiſmo Chriſti D.*

Exemplo ſuo Chriſtus nos magis vrget quàm Imperio. 238.

Quocumque deinceps die occurrat Dominica 2. poſt Epiphaniam, illi ſtandum, prætermiſſis aliis antecedentibus Feriis.

DIE 14. IANVARII. *De ſolitudine Chriſti D. per quadraginta dies in deſerto.*

Nemo ſecurè apparet, niſi qui libenter latet.

Nemo ſecurè loquitur, niſi qui libenter tacet. 242.

DIE 15. IANVARII. *De tentationibus Domini.*

Nemo periculosè magis tentatur, quàm qui ſe non putat tentatum. 247.

DIE 16. IANVARII. *Ad hæc S. Ioannis de Chriſto D.* ECCE AGNVS DEI, *&c.*

Digitized by Google

Iniurioſum eſt Chriſto, Agno Dei, ſi nulli quidem velis inferre iniuriam, nolis tamen illatam ferre. 251.

DIE 17. IANVARII. Ad hæc primorum Chriſti D. Diſcipulorũ verba, MAGISTER VBI HABITAS?

Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. 256.

DIE 18. IANVARII. De Chriſto Domino communicato, ſeu de conuocatis aliis ad ipsũ Diſcipulis.

Nemo magis ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui minus ſibi ſoli ſeruat.

Nemo minus ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui magis ſibi ſoli ſeruat. 260.

DIE 19. IANVARII. Ad hæc Chriſti D. de Nathanaële verba, ECCE VERE ISRAELITA, IN QVO DOLVS NON EST?

Veras virtutes magis times quàm amas. 265.

DOMINICA 2. POST EPIPHANIAM, De aqua in vinum mutata, à Chriſto D. ad nuptias inuitato.

Si vis quod non habes, da quod habes. 269.

Sicut in triſtibus, ſic in lætis; ſicut in aduerſis, ita in proſperis, aduocandus eſt Ieſus. 274.

Non eſt magis fidendum humano gaudio quàm homini mentienti. 275.

Hac hebdomade quæ diuerſa occurrunt ex Euangelica ſerie conſideranda, eò præcipuè tendunt, vt affectus humanos ratione & gratia diſcamus regere.

FERIA 2. De prima Chriſti D. prædicatione, in Ciuitate Nazareth habita, & à ciuibus malè accepta.

Si ad humanam gratiam diuina poſtulas, diuinam ipſam repellis gratiam. 277.

Feria 3. De altera vocatione Apoſtolorum.

Magis tenemur omnes affectu noſtra relinquere, quàm effectu Apoſtoli. 280.

Feria 4. De dæmone immundo eiecto ab homine.

Non tam à dæmone quantumuis immundo, immunda fit anima, quàm à ſeipſa. 285.

Feria 5. De ſocru petri febricitante & ſanata à Chriſto D.

Febris animi, animo longè periculoſior, quàm febris corporis, corpori. 288.

Feria 6. De prædicationibus Domini vniuerſim conſideratis.

Si quid nos reuocat à Doctrina Chriſti, vel ob id maxime recipienda eſt. 291.

Sabbato. De his Petri verbis ad Dominum: Praeceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.

Niſi diligenter aduertas, ſtulto labore conſumeris. 295.

DOMINICA 3. POST EPIPHANIAM. De leproſo mundato.

Non dixeris, per Deum abeſt. *Eccleſi.15.* 301.

Pleræque aliæ veritates ad idem Euangelium referuntur. 305.

Hac hebdomade iuxta verbum Domini ad leproſum, VADE, OSTENDE TE SACERDOTI, &c. ſex referuntur, de quibus conueniendus eſt vnicuique ſacerdos vel director.

Feria 2. De adeundo ſacerdote ſeu directore pro

ſana & recta conſcientia in dubiis ſibi formanda.
Multorum eſt conſcientia cauteriata & peruerſa, niſi ſe ſinant dirigi. 307.
Feria 3. De recurſu ad ſacerdotem pro rite obeunda confeßione.
Quod magis confert ad faciendam confeſſionem, minùs efficitur, niſi cum ſacerdote prius conferatur. 312.
Feria 4. De neceßitate recurrendi ad Sacerdotes pro remediis ſpiritualibus.
Ne dicas, ſufficiens mihi ſum. *Eccleſi.* 11. 316.
Feria 5. De conſulendo Sacerdote pro bonis operibus faciendis.
Grande malum propria voluntas, quæ ſe in bono benè faciendo non ſinit dirigi. 319.
Feria 6. De ſinceritate qua requiri debet Sacerdos ad participanda eius ſacrificia, ſiue ad quiduis aliud cum ipſo communicandum.
Væ duplici corde. *Eccleſi.* 2. 324.
Sabbato. De conueniendo ſacerdote pro debito vſu ſacræ communionis.
Suam ille veſtem nuptialem recuſat induere, qui recuſat inſtrui de debito Sacramenti vſu. 329.
DOMINICA 4. POST EPIPHANIAM. De ſedata maris tempeſtate, imperio Chriſti.
Non quia mala ſunt, perturbamur in aduerſis: ſed quia perturbamur, aduerſa mala ſunt. 334.
Domine ſalua nos, perimus.

Digitized by Google

Peregrinantis in corpore animæ maius eſt periculum, quàm periclitantis in naui corporis. 339.
Deſignantur & alia quædam opportuna huic Euangelio. 343.
Hac hebdomade, in hiſtoria paralytici ſanati apud Capharnaum conſideratur progreſſus quidam vitæ ſpiritualis per tres perfectionis acquirendæ vias.
Feria 2. De paralytico ſummiſſo per tegulas in conſpectum Domini; & de primo vitæ purgatiuæ gradu, quo impedimenta perfectionis quantocyus perfringuntur.
Quo longiùs differes, difficultatem longiùs tolles. 344.
Feria 3. De remiſſis paralytico peccatis: & de rationabili ſollicitudine circa noſtrorũ remiſſionem.
Sicut non eſt habenda ſollicitudo anxia & ſcrupuloſa de peccatis remiſſis, ita rationabilis non eſt deponenda. 348.
Feria 4. De cogitationibus phariſæorum detectis à Chriſto D. & de noſtris ad virtutem perfectè dirigendis.
Niſi, quod monet Sapiens, omni cuſtodia ſerues cor tuum, non omnino ſeruas. 354.
Feria 5. De integra ſanitate paralytici portantis lectum à quo portabatur: & de noſtro progreſſu ſpirituali qui in eo figuratur.
Tantùm proficies, quantùm à te deficies. 359.
Feria 6. De perfecta paralytici obedientia: & de ea quæ dicitur obedientia charitatis, quæ perfe-
ctam

Digitized by Google

ctam cum Deo facit vnionem.

Eſt quidem certum in charitate vnionem eſſe perfectionis; ſed non eſt certò dicenda hæc Charitas neque hæc vnio, niſi in obediētia quæ dicitur Charitatis. 364.

SABBATO. De magnificato poſt miraculum, ab omnibus, Deo: & à nobis ſemper magnificando in omnibus.

Si non ſemper, nunquam magnificas Deum. 369.

DOMINICA 5. POST EPIPHANIAM.

De zizaniis in medio tritici ſeminatis, quæ Chriſtus ipſe Dominus declarauit eſſe malos hìc viuentes inter bonos.

Sicut non ſunt amanda vitia propter amicos homines: ſic non ſunt odio habendi homines propter eorum vitia. 363.

Multæ aliæ veritates ad idem ſpectantes Euangelium indicantur. 375.

Hac hebdomade occurrit conſideranda vocatio S. Mathæi Apoſtoli, vnde eruuntur ſex veritates, quæ ſpectant ad ſingularem vniuſcuiuſque vocationis ſtatum, vt in eo ſuæ ſaluti & perfectioni commodè vacet.

FERIA 2. De S. Mathæi noſtraque vocatione, in qua eſt ſalutis noſtræ ſumma.

Salutis animæ nulla eſt certior certitudo, quàm in certo vocationis gradu attingendo. 379.

FERIA 3. De gratitudine animi pro beneficio vocationis.

Gratitudo animi nulla formari poteſt digna beneficio vocationis, niſi ſe animus dignè cōformet vocationi. 386.

Digitized by Google

Feria 4. De perfecta mortificatione ſecundum propriam cuiuſque vocationem.

Non eſt minus perfectæ mortificationis, bene vti rebus, quàm omnino non vti. 391.

Feria 5. De bono ſenſuum ſeu ſenſualium vſu, ex propria cuiuſque vocatione.

Si quid interdum ſenſibus licitè indulgetur; non vt ſenſuale eſt, ſed vt eſt licitum, accipiendum eſt. 395.

Feria 6. De præparatione animi ad qualibet aduerſa, in vocatione, ferenda.

Niſi probè paratus ſis ad aduerſa, nec ad ipſa proſpera benè paratus es. 400.

Sabbato. De puritate & excellentia Chriſtianæ religionis in quocumque viuendi ſtatu.

Sicut à veteri lege, ſic à veteri homine, vnicuique Chriſtiano eſt abſtinendum. 404.

DOMINICA 6. POST EPIPHANIAM.

Parabolæ grani ſinapis & fermenti, quibus veritates Euangelicæ deſignantur.

Quò tibi veritates Euangelicæ minùs dignæ apparent, quæ conſiderentur; hoc ipſo magis ſunt conſiderandæ. 411.

Huic affines & Euangelio conformes aliæ producuntur veritates. 416.

Hac hebdomade Myſteria quæ occurrunt conſideranda continent ſex Chriſti D. titulos ſeu qualitates conſideratione digniſſimas.

Feria 2. De primo Domini in templum ingreſſu, vnde eiicit vendentes, & vbi ſe oſtendit ſummum Dominum.

Digitized by Google

Quantò minùs murmuramus, aut omnino tacemus flagellati à Domino, tantò altiùs altiſſimum eius Dominium prædicamus. 418.

Feria 3. De Colloquio Nicodemi cum Domino Ieſu, qui ſe tum verè Magiſtrum exhibuit.

Qui non renuntiat omnibus, non poteſt eſſe Chriſti diſcipulus. 422.

Feria 4. De accuſatis à Phariſæis Apoſtolis, quos Chriſtus Dominus, vt ſupremus Iudex abſoluit, & accuſantes condemnat.

Qui nimis humana timet iudicia, non ſatis reueretur diuina. 427.

Feria 5. De ſanitate reſtituta omnibus ad Chriſtum accedentibus, qui ſe Medicum animarum æquè ac corporum fecit.

Fruſtra multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi: quod grauius in te eſt malum, hoc minus vis ſanari. 431.

Feria 6. De producto ab Euangeliſta, Prophetæ teſtimonio, in quo Dominus, electus Dei ſeruus declaratur.

In paruis, maior eſt ſerui Dei fidelitas. 436.

Sabbato. Ad hæc S. Ioannis Baptiſtæ verba, de Chriſto D. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.

Hæc ſponſæ fides eſt, vt ſicut neminem præter ſponſum velit diligere, ita velit à nullo diligi. 440.

Die 30. Novembris. In Feſto S. Andreæ Apoſtoli, ad hæc eius verba. O bona Crux.

Crux non eſſet bona, niſi bonum eſſet cruciari. 447.

DIE 2. DECEMBRIS. *De S. Franciſco Xauerio Societatis Ieſu, Indiarum Apoſtolo, ad hæc eius verba, cùm ageretur de bonis ſenſibilibus abſtinendis:* SATIS EST DOMINE, SATIS EST. *Et cùm de malis ſuſtinendis.* AMPLIVS, AMPLIVS.

Hæc ſunt Apoſtolatûs & perfectioris vitæ duo ſigna certiora, velle abſtinere libenter ab omnibus bonis, & omnia mala ſuſtinere. 452.

DIE 6. DECEMBRIS. *In Feſto S. Nicolai Epiſcopi & Confeſſoris.* DOMINE QVINQVE TALENTA TRADIDISTI MIHI, &c.

Nunquam meliùs ſibi prouidet fidelis Dei ſeruus, quàm ſi nihil ſibi retinens, totum ſe Domino, ſuaque omnia conſecret. 462.

DIE 8. DECEMBRIS. *In Feſto Conceptionis B. Mariæ Virginis.*

Conceptio ſine macula, non poteſt verè coli cum macula. *Vel ſic,*

Præuaricatorem eſſe oportet qui Conceptionem ſine macula, colat cum macula. 465.

Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. Apoc. 21. 470.

Aut puritatem Beatiſſimæ Virginis neget impurus, aut concedat ſe abnegatum à tam pura Virgine. 471.

Nemo amans impuritatis amat Beatam Virginem. 474.

Quam in ſe amat Beata Virgo puritatem, in nobis amat; & quam in ſe odit impuritatem, in nobis odit. 475.

Sicut Lilium inter ſpinas, &c.

Quod ſis tanquam ſpina natus, poteſt quidem Beata

Digitized by Google

Virgo compati ; ſed quòd modò tanquam ſpina viuas inter lilia, non poteſt pati. 476.

Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Pſal. 33.

Quem docet Virgo timorem Domini tantò meliùs concipitur, quantò meliùs edocetur Immaculata eius Conceptio. 477.

Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram. Prou. 8.

Periculum in mora : *Qua* quis videlicet moratur colere Beatam Virginem. 484.

DIE 21. DECEMBRIS. In Feſto S. Thomæ Apoſtoli; AFFER manũ tuam & mitte in latus meum, &c.

Ex vulnere remedium.

Proponuntur complures aliæ veritates. 493.

DIE 25. IANVARII. In Feſto Conuerſionis S. Pauli Apoſtoli; DOMINE quid me vis facere?

Sicut frequenter dicendum cum Dauide, Dixi nunc cœpi ; ſic ſimul cum Apoſtolo, Domine quid me vis facere? 495.

DIE 2. FEBRVARII. In Feſto Purificationis B. Mariæ Virginis. Nihil excuſauit cùm multa potuiſſet quæ Virgo erat & Mater : ac proinde contra excuſationes exemplum eſt luculentiſſimum. Triplex autem earum eſt genus : Primum à dignitate vel conditione perſonæ petitur. Contrà verò

Indignum ſua dignitate ſe ipſe profert, qui dignitatem ſuam legi præfert. 502.

Secundò contra excuſantes aliquid difficilius

Qui à lege excludit aliquid, excludit à ſe totam legẽ. 503.

Tertiò contra eos qui culpam referunt tempori.

Digitized by Google

Qui culpam refert tempori, pœnæ tempus nō aufert. 505.
De purificandis affectibus.
Qui ſe hodie non purificat, ſe magis inquinat. ibid.
Hæc eſt magis aut minus puræ mentis nota certior, velle magis aut minus purificari. 509.
Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Luc. 2.
Doloris gladium animæ Virginis acerbiorem infert vita peccatoris, quàm mors filij.
Communes omnibus ſanctis Veritates, præterquam Apoſtolis & Euangeliſtis, quorum ſunt ſingulares propriæ.
De ſanctis Martyribus.
Sicut martyrio vita naturalis, ſic mortificatione vita ſenſualis; *Id eſt*, ſicut ne pereat fides, perdenda eſt martyrio vita naturalis: ſic ne pereat fidelitas, perdenda eſt mortificatione vita ſenſualis. 513.
De ſanctis Confeſſoribus Pontificibus. NON EST INVENTVS SIMILIS ILLI QVI CONSERVARET LEGEM EXCELSI.
Et communia ſingulariter, & ſingularia communiter. 508.
De ſanctis Doctoribus.
Sic cauendum ne ſcientia præferatur Virtuti, vt tamen ſcientia non negligatur. 522.
De ſanctis Confeſſoribus non Pontificibus. SINT LVCERNAE ARDENTES IN MANIBVS VESTRIS.
Quantùm cuique eſt vigilantiæ, tantùm virtutis & meriti. 527.
De ſanctis Fundatoribus Religioſi Ordinis.
Virtutum Patris Noſtri gratia non tam ſermonibus ex-

Digitized by Google

primenda, quàm operibus comprobanda. 531.
De ſanctis Virginibus. PRVDENTES *acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.*
Virgo ſponſa Chriſti, aut eſt vigilans ad integram perfectionem, aut non eſt prudens. 535.
De ſanctis non Virginibus. MVLIEREM *fortem quis inueniet?*
Qua ratione difficile eſt Mulierem fortem inuenire, eâdem facile eſt inuentam prædicare. 539.
In Dedicatione Eccleſiæ.
In loco ſacro non pauere, pauendum eſt. 543.
Ad ſacrum locum ſicut ad Sacramentum. *Iuxta* illud Eccleſiaſtici officij: *Locus iſte à Deo factus eſt, inæſtimabile Sacramentum, irreprehenſibilis eſt.* 554.

Digitized by Google

ERRATA PRIMÆ PARTIS.

Pagina.	*Linea.*	*Erratum.*	*Correctio.*
22	18	verum , eſt	verum eſt
32	7	priuatus	priuatur
40	33	*adminiſtratio*	*adminiſtrato*
42	21	qua	quæ
47	22	*cauſa ſui peccati*	*ſui & alterius peccati*
75	16	quadam	quædam
96	20	verè	benè
130	2	abundantores	abundantiores
141	28	*Sermone 7*	*Sermone.3*
	37	*Elem 4*	*Elenc 4*
157	19	varia	vana
160	13	ſequens inciderit,	ſequens , inciderit
164	10	effectum	affectum .
	17	feſtiuus	feſtinus
187	6	bonitate	bonitati
195	31	monemur	mouemur
205	14	interpretatione	interpretationem
216	17	tunc	tùm
229	19	& fides.	& Fides
	20	rudix	radix
232	30	que	quæ
244	27	periculus	periculis
268	26	condemnanté : te	condemnante te
320	24	*Serm 7. 5*	*Serm 71*
329	19	afferre lam	afferre illam
334	8	perturbamur , in	perturbamur in
336	13	*cælum : aſcendit*	*cælum aſcendit :*
	15	*coinquinetis*	*coinquinatis*
	36	*aduerſitatis , vſus*	*aduerſitatis vſus,*
343	14	pugatiua	purgatiua
379	2	certior ſalutis	certior certitudo
	30	vocantes	vocantem
392	31	*conſtituum*	*conſtitutum.*
455	16	*miſſus , fuerat*	*miſſus fuerat,*
487	2	pedetentium	pedetentim
	9	*oſtendas*	*offendar*
488	8	perfinitur	perficitur
491	15	*quàm nos*	*quam*
502	5	dignitate	dignitatem.
510	2	puritatis, affectu	puritatis affectu,
550	4	Encæmiorum	Encæniorum
553	17	certæ	certè.
574	34	procurandum	procurandam.

DOMINICA

Digitized by Google

DOMINICA
PRIMA ADVENTVS.
DE EXTREMO IVDICIO.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna, & majeſtate. Luc. 21.

VERITAS PRACTICA.

Nemo Chriſtianus Chriſti iudicio condemnabitur, niſi qui priùs ſuo Chriſtum iudicio condemnauerit.

RATIO EST, Quia nemo Chriſtianus condemnabitur, niſi qui priùs Euangelicas veritates neglexerit.

Sed negligere veritates Euangelicas, hoc eſt Chriſtum iudicare & condemnare.

Ergo nemo Chriſtianus Chriſti iudicio condemnabitur, niſi qui priùs ſuo Chriſtum iudicio condemnarit. Quod certe eſt vel ad terrorem iudicij concitandum, vel ad cultum Chriſtianæ virtutis perſuadendum, non parum efficax.

I. PVNCTVM.

QVÆ duo plurimùm valent ad commouendos animos, Amor & Timor, hodierna die, quæ prima eſt anni Eccleſiaſtici, proponuntur ab Eccleſia cunctis fidelibus. Amor in primo Chriſti aduentu quem celebra reincipit: Timor in ſecundo, quem commemorat, dum

Pſ. 33. exhibet Euangelium venturi ad Iudicium Domini. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* En pater futuri ſæculi, princeps pacis, Chriſtus veſter quem filij diligatis. En idem Dominus & Iudex veſter quem ſerui timeatis, ne vobis aliquando id exprobret : *Filius honorat patrem, & ſeruus Dominum ſuum, ſi ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?*

Iſ. 9.

Mal. 1.

Et quidem tria hæc ſeparatim poſſent expendi, meditando fuſius, quanta in Patre vel Fratre bonitas! quanta in Domino & Iudice Iuſtitia! quanta in nobis duritia qui nec Bonitate nec Iuſtitia, qui nec amore nec timore moueamur! ſed forte efficacius cum diuina gratia ſimul conſiderata valebunt, prout ſimul iuncta continentur Veritate Practica quæ idcirco attentius conſideranda proponitur. Quale enim illud eſt, ſi ita eſt, quàm ſtupendum & ad omnem animorum inflexionem potens, ſi verum eſt, *Quod nemo Chriſtianus Chriſti iudicio ſit condemnandus, niſi qui priùs ſuo Chriſtum iudicio condemnarit!* Itane Chriſtianus Chriſtum iudicet? Itane Chriſtus iudicium hoc patiatur! Itane impius non timeat Iudicem ſuum à ſe iudicatum & condemnatum!

Quàm porrò ita ſit, hæc ſuadet Ratio; Nemo præſertim ex Chriſtianis, iudicio Chriſti damnandus eſt, niſi qui veritates Euãgelicas neglexerit vel audire, vel credere, vel ſeruare. Licet enim vnum lethale peccatum ſufficiat, in quo quis mortuus condemnetur: poſſit autem Chriſtianus in eo peccato mori quo nihil tale neglexerit: tamen ordinariè loquendo, vix vllus moritur non confeſſus: & vix vllus moritur in peccato qui rite confeſſus ſit. Quamobrem oportet eum qui in peccato morietur, & iudicio Chriſti damnabitur, vel non confeſſum eſſe, vel non rite confeſſum. Quid eſt autem quod Chriſtianum magis impediat à recta Confeſſione, quàm inordinatus affectus ad peccatum, ſeu ad rem amatam cui peccatum annectitur, quod non deponit in Confeſſione, & quo non depoſito nulla eſt Contritio, nulla Confeſſio? Vndenam verò ille inordinatus affectus, niſi ex neglecta veritate Chriſtiana & Euangelica, quæ hunc deprauatum affectum iubebat deponi aut temperari? *Non enim vllum peccatum*, inquit ſanctus Auguſtinus, *committi poteſt, niſi dum appetuntur ea quæ Chriſtus contempſit, aut fugiuntur ea quæ ille ſuſtinuit.* Quæ ſi vera ſunt de ipſo actu quo primo peccatum committitur, quanto ve-

L. de vera relig. c. 16.

Digitized by Google

riora de ipſo habitu ſeu habituali affectu, quo fit vt peccator peccatum confitendo non deponat! Talis enim habitus & affectus longe magis indicat oppoſitum Chriſto appetitum ; Vnde hoc tandem ſequitur quod proponebat Ratio, Neminem Chriſtianum iudicio Chriſti condemnandum niſi qui priùs veritates Euangelicas neglexerit ; vel non iis credendo, vel non ſe illis conformando, *Deſpexiſtis*, inquit, *omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo.* O formidandum riſum. Prou. 7.

II. PVNCTVM.

S*ED negligere veritates Euangelicas, hoc eſt Chriſtum iudicare & condemnare.* Cùm enim illæ veritates ſint à Chriſto Domino, qui vnumquemque Chriſtianum his imbutum & conformem in vita & moribus eſſe voluit, profectò non poſſunt à quoquam negligi, quin ſimul iudicentur vel inutiles, vel indecoræ, vel incommodæ, vel nimis difficiles, aut niſi denique aliquam prætendat cauſam cur illas negligat ; nullam vero talem cauſam poteſt prætendere quin ipſum Chriſtum iudicet. Nam vel cauſam illam putabit legitimam, vel nullam & ſimulatam : ſi legitimam putat habere cauſam cur negligat quod commendat Chriſtus, certe hoc ipſo iudicat Chriſtum ſine cauſa illud commendaſſe. Nam ſi cauſa eſt & ratio cur illud commendet Chriſtus, non eſt cauſa cur negligatur ; aut ſi quid eſt quod rationabiliter negligatur, non eſt quod legitime commendetur ; *Non eſt Ratio apud Inferos,* inquit ſapiens, quaſi diceret, non eſt ratio qua ſe damnati poſſint contra Deum defendere ; alioquin ſine ratione & immerito fuiſſent condemnati, quod eſt blaſphemum cogitare. Vnde & idem ſapiens, *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Eccl. 9. Prou. 21.

Quod ſi nullam quidem eſſe cauſam affirmet, cur Euangelicam Chriſti Doctrinam reſpuat, ſed merè gratis & libere, qua libertate ſe inordinato affectui mancipat, nonne & Chriſtum iudicat minùs dignum cuius dictis ſe conformet, quàm mundum aut appetitum oppoſitum, cui mauult adhærere? Nonne & Chriſtum condemnat quaſi aduerſarium ſuæ libidini, & tali condemnat iudicio, quali ſuam probat libidinem ? Licet enim iudi-

Digitized by Google

cio, quod vocant ſpeculatiuo, nihil tale de Chriſto cogitet, Iudicium tamen eſt practicum, id eſt, in praxi & reipſa ſe ita gerit ac ſi iudicaret & damnaret Chriſtum. Sic factis & vitâ ſuâ loquuntur
Sap. 2. qui vitam degunt à Chriſto alienam; *Contrarius eſt*, inquiunt, *operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis: factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum: grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius.* Vnde & ipſe Dominus;
Ioan. 7. *Me mundus odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo quòd opera eius mala ſunt.* Quem verò quis odit vt aduerſarium, nonne hunc iudicat & condemnat? O verè damnanda mundi opera, quæ veritatem condemnant!

III. PVNCTVM.

NEMO *igitur Chriſtianus Chriſti iudicio condemnabitur, niſi qui priùs ſuo Chriſtum iudicio condemnauerit.* Quia nemo condemnabitur niſi qui contra Euangelicas veritates peccauerit, in quibus obſeruatis ſicut Chriſtus probatur & colitur, ita his neglectis iudicatur & condemnatur, tanquam oppoſitus & aduerſarius concupiſcentiæ quam illæ impugnant & reprimunt Verita-
Matth. 5. tes. *Eſto*, inquiebat ipſe Chriſtus, *eſto conſentiens aduerſario tuo*
Luc. 12. *citò dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduerſarius iudici.* Quis eſt iſte aduerſarius niſi ſermo Domini, vt expreſsè habet gloſſa, & ſanctus Auguſtinus, *Qui nobiſcum eſt in via vt ad cæleſtem nos ducat patriam?* Sed eſt aduerſarius iis qui ſecundum proprias concupiſcentias ambulant, ac propterea ſicut illum repudiarunt & iudicarunt tamquam ſibi aduerſarium, ſic ab eo iudicandi tradentur ſummo Iudici. Quod & alibi expreſſius Ipſe Dominus Iu-
Ioan. 12. dex: *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die.* Cur porro iudicabit niſi quia neglectus ante eſt & ab illo iudicatus?

Atque hinc iterum vide, qualis iniuria Chriſti eſt ſic ab homine iudicari & condemnari! qualis eius bonitas & patientia, tot à tantis & tanto tempore tolerare iniurias! quale demùm expectari poteſt iudicium, poſt talem in ſæculo peractam vitam quæ
Luc. 19. nonniſi calumniam & probrum Chriſto intulit! *Verumtamen*, inquit, *Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me.* Poteſne cogitare quale ſit illud *interfici*

Digitized by Google

ante Chriſtum & non timere? Aut ſi mauis amore duci, poteſne cogitare te ex inimicis illis vnum eſſe, de quibus loquitur, & non confundi! te Chriſtianum, te Religioſum, te Sacerdotem, Inimicum eſſe Chriſti! Et ne dubites ita eſſe, ne putes tibi verba dari, audi quibuſnam loquitur: *qui noluerunt*, inquit, *me regnare ſuper ſe:* Audereſne id affirmare quod Chriſtus ſuper te regnet! Circumſpice teipſum intus & foris, à capite ad calcem, à mane ad veſperam; nulla deberet eſſe facultas animæ, nulla pars corporis, nulla vitæ actio ſuper quam Chriſtus non regnaret, vt dici poſſet regnare ſuper te. Nam ſi vel vna deeſſet, tu ex illa parte ab eius regno ſubſtractus eſſes, nec proinde ſuper te totum regnaret. Eſtne verò vel vna pars ita illi ſubiecta vt in ea vel ſolâ regnet? Regnatne in oculis, in lingua, in inceſſu, in deſideriis, in gaudiis, & in negotiis! Nonne ibi potius concupiſcentia præualet vt magis naturæ impetum quàm Gratiæ motum ſequaris! Cur ita porrò niſi quia non vis ita premi, quantum neceſſe eſt vt regnet in te Chriſtus? *Confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea: dixiſti, non ſeruiam.* Itane ſemper? Reſipiſce hodie. Tibi tuiſque precare & procura deinceps omni modo vt quod commendat Apoſtolus: *Doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornent in omnibus. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo.*

Ier. 2.

Titi. 2.

EODEM DIE,

AD HÆC CHRISTI VERBA:

Nunc Iudicium eſt mundi. Ioan. 12.

VERITAS PRACTICA.

Primus Chriſti aduentus, Mundano tàm timendus quàm ſecundus.

Tam formidandum Mundo præſepe Chriſti naſcentis, quàm Tribunal Iudicantis.

Digitized by Google

RATIO EST, Quia idcirco ſecundus Chriſti aduentus eſt timendus mundano, & formidandum mundo eſt tribunal Iudicantis, quia tùm ſententia eſt ferenda contra mundanos.

Sed in primo aduentu iã illa fertur ſententia, iam in præſepi mundus iudicatur: nec minus timenda eſt lata ſententia quàm ferenda.

Ergo primus Chriſti aduentus mundano tam timendus eſt quam ſecundus.

Ergo non minus iam formidandum eſt mundo præſepe Chriſti naſcentis, quàm Tribunal Iudicantis. Quod tamen pauci cogitant.

I. PVNCTVM.

Eccle. 8. RECTE omnino Sapiens: *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Sed in illo ſapientis dicto poteſt eſſe aliquid clarum,& aliquid dubium ſiue obſcurum. Clarum nempe eſt quod filij hominum id eſt mundani homines ſine vllo timore peccent,

Pſ. 13. *Non eſt timor Dei ante oculos eorum:* & clarum item eſt,quod idcirco tam liberè peccent, quod non ſtatim ac peccant, puniantur; nam pro certo ſaltem timerent pœnam,& hoc timore coercerentur:

Pſ. 54. *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes;* quaſi diceret, ſi ſic ageretur cum peccatoribus vt ſtatim morerentur & perirent, non tanti eſſent peccatores. Obſcurum vero eſſe poſſet quod dicit non cito proferri ſententiam contra malos; Nonne iam in ſcripturis prolata eſt contra illos ſententia? Nonne iam iudicati ſunt qui non credunt? Nonne iam condemnati omnes peccatores niſi reſipiſcant? Nonne iam Chri-

Ioan. 12. ſtus dixit; *Nunc Iudicium eſt mundi; princeps huius mundi iam iu-*

Ibid. 16. *dicatus eſt.* Reſponſio eſt duplex; prima facilis & plana, quod cum dixit ſapiens non proferri cito ſententiam contra malos, id eſt, non eam illis declarari, aut denuntiari, quaſi iam iam ſit exequutioni mandanda, ſicut in iudicio proferetur. Alia vero reſponſio eſt, quod licet ſit lata ſententia in ſcripturis, non illam tamen mundani intelligunt, illam audiuiſſe diſſimulant; vel quod eius differatur exequutio,tam parùm illa mouentur quàm ſi nulla eſſet. In quo certe vehementer errant, & ab illo ſunt ho-

Digitized by Google

die reuocandi errore, vt diſcant non minus verum eſſe quod iam prolata eſt contra illos ſententia, quàm quod proferetur: neque minus eſſe timendam latam ſententiam quam ferendam: Ac proinde primum Chriſti aduentum, cuius hodie memoria renouatur, non minus iam eſſe tremendum quam ſit ſecundus, cùm ſimul renouetur ſententia qua mundani iudicantur & condemnantur. *Nihil enim minus Præſepe Naſcentis habet quod formidetur, quam Tribunal Iudicantis.*

Quæ propoſita Veritas vt declaretur euidentius, primò præmittitur tanquam certum & indubitatum, quod ſi quid ſit in ſecundo Iudicantis Chriſti aduentu formidandum, ſententia præſertim eſt quæ contra peccatores proferetur. *O mi frater*, aiebat ſanctus Auguſtinus, *numquid ferreæ ſunt carnes noſtræ, vt non contremiſcant, vel etiam ſenſus noſter adamantinus, vt non molleſcat, aut etiam minimè euigilet ad illa Dei verba: Ite maledicti in ignem æternum?* Exhort. ad ſal. c. 55.

Quid faciam, dicebat Iob, *cum ſurrexerit ad iudicandum Deus, & cùm quæſierit quid reſpondebo illi! Cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Accipiet armaturam Zelus illius*, & quæ plura proſequitur Sapiens ac vniuerſa ſcriptura quorum ſummam complectens Apoſtolus; *horrendum eſt*, inquit, *incidere in manus Dei viuentis.* Iob. 31. Ibid. 26. Sap. 5. Hebr. 10.

II. PVNCTVM.

SED *in primo aduentu iam illa fertur ſententia. Iam in præſepi mundus iudicatur; Nec minus timenda eſt lata ſententia quàm ferenda.*

Tria hîc diſtinctè declaranda eſſent, niſi vel eſſent ſatis perſpicua, vel alibi reſeruarentur fuſius explananda. Primum eſt, quid mundus? quid mundani? qui potiſſimum intelligantur? Nempe ij qui ex concupiſcentiis inordinate viuunt, iuxta illud ſancti Ioannis crebro à nobis vſurpandum: *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Sic Diuus Auguſtinus exponens illa Chriſti Domini verba, *Non pro mundo rogo, id eſt, eis qui viuunt ſecundum concupiſcentiam mundi.* O quam multi! 1. Ioan. 2.

Deinde vero quod ſecundum eſſet demonſtrandum quomodo

Digitized by Google

in ſcriptura, in Euangelio, in præſepi, in primo denique Chriſti aduentu ſit contra mundum prolata ſententia?

Nempe *exemplo*, & *dicto*, & *facto*. Sunt enim qui diſtinguant factum ab exemplo, quod factum ſit aliquid latius & generalius quo exempla & dicta confirmentur, vel quo potentiora ſint ad permouendos animos noſtros. Nam præter exempla paupertatis, patientiæ, humilitatis, & contemptus mundi quæ nobis Chriſtus edidit: modus præterea quo illa edidit eſt valde conſiderandus, videlicet in ſtabulo, in præſepi, in infantia, in virili ætate, in cruce & in aliis circunſtantiis, vbi mire elucent Diuina eius Sapientia & Bonitas quibus vt dixi dicta eius & exempla roborantur; Quò enim ſapientior eſt qui loquitur, majorem meretur fidem; Et quo eſt melior ſeu beneficientior, ac dignior qui nobis præeſt exemplo, eo nos efficacius ad ſe trahit. Atque horum trium reſpectu dixit Dominus, quod eſſet *Via, & veritas & vita:* via in exemplo; veritas in dicto: & vita in facto, ſeu merito quo & à Patre meruit gratias quibus operari poſſemus: & de nobis ita bene meritus eſt vt ad ſe corda noſtra rapuerit, ad id omne volendum & agendum quod poſſumus. *Ioan. 14.*

Nunc autem quod tribus hiſce modis contra mundum ſiue mundanos ſententiam tulerit, habes fuſius expoſitum in opuſculo, cuius eſt titulus; *Mundus oppoſitus Ieſu Chriſto*; breuius verò infrà in die Natalis Domini: Sed & videnti naſcentem Chriſtum & audienti prædicantem, quid clarius, quid apertius quàm quod ait ſanctus Bernardus: *In illis omnibus Iudicium mundi arguitur, ſubuertitur, confutatur?* Poteratne ſententia ferri expreſſior contra Diuites quam cùm dixit: *Facilius eſt camelum intrare per foramen acus, quàm Diuitem intrare in regnum cælorum.* Quid contra ſuperbos & ambientes manifeſtius quàm hoc Eius pronuntiatum: *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* Expende dictum, *abominatio*, quàm ſit efficax ad exprimendam mundi condemnationem. Et contra deditos voluptati & curis huius vitæ, quid ſignificantius quàm quod affirmat imparatos illos morituros, venturum ad exigendam vitæ rationem Dominum & Iudicem qua die non cogitent, & qua hora non putent, *& partem illorum fore cum Infidelibus & cum hypocritis.* *Serm. 3. in Nat. Dom.* *Math. 19.* *Luc. 16.* *Math. 24* *Luc. 12.*

Quid eſt capitalem ferri ſententiam in Reum aliquem, niſi cum legitimus Iudex probè cognita cauſa pronuntiat talem mortis

Digitized by Google

mortis ſententiam à quà nullus appellandi ſit locus ? At nonne Chriſtus eſt legitimus mundi Iudex ? nonne de rebus probè iudicat ? nonne ſic iudicauit moriturum in peccato mundanum ſicut ſacri referunt Codices ? nonne mori in peccato eſt condemnatum eſſe ? nonne hæc eſt aperte lata ſententia, ſemel, iterum atque amplius in eodem ſcripturæ loco prolata : *In peccato veſtro moriemini.* Atque vt pateat quale ſit hoc peccatum, quibuſue ſententiam mortis denuntiet : *Vos,* inquit, *de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis : ego non ſum de hoc mundo. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis veſtris.* Et licet ibidem dicat ſe non iudicare quemquam nec veniſſe in mundum vt iudicet mundum, ſed potius vt ipſum ſaluet ; ſic intelligendus eſt dicere quemadmodum iam ſupra declarauimus, ſe non ita iudicare mundum quaſi latam mortis ſententiam pœna ſtatim ſequatur, ſicut quando extremum mundi fiet iudicium : ſuſpenditur ſententia, differtur exequutio ; mori vult ante Iudex ne Reus moriatur, morte ſua mortem peccatoris vult redimere, ſi peccator eſſe de mundo deſinat. Sed ſi pergat mundanus eſſe, ne quid ſibi de morte Chriſti præſumat & arroget ; *Non pro mundo*, inquit, *rogo* ; Non applico ei mortem & merita mea, niſi vt reſipiſcat ; cùm alioquin niſi conuertatur, tam directè ſimus oppoſiti, quàm quæ ſuperna ſunt his opponuntur quæ de deorſum ſunt.

Ioan. 8.

Ioan. 17.

Hæc eſt itaque Chriſti ſententia tam aperte lata contra mundum & mundanos, quàm aperte patet ex eius dictis & factis mundum eſſe damnatum ; Quod diſerte confirmat Apoſtolus dicens, *nos à Domino corripi, vt non cum hoc mundo damnemur.* *1. Cor. 11.*

Reſtat tertium exponendum, quod non minus timenda ſit lata ſententia quàm ferenda : ſicque expeditur facillimè ſi quod vere timendum eſt in ſententia tum lata, tùm ferenda diſcutimus. Quid eſt quod timemus à Iudice ? Pœnam inquies inferendam. Itane hoc tantum ? Nihilne timeres Chriſtum niſi pœnam inferret ! Tene vnus ſeruilis tenet timor ? non times culpam quæ tanto eſt grauius malum quanto Deus qui culpa offenditur, major eſt homine qui pœna punitur ? Sed eſto, times pœnam, nonne ex lata ſententia iam te agnoſcis puniendum ? nonne ſuum æquè prima ſententia ſortietur effectum ac ſecunda, cùm hæc ſecunda ſit primæ tantum exequutio, & vtraque ſententia vel lata vel ferenda ſit eiuſdem culpæ pœna ? Nonne conſtat homi-

Digitized by Google

nem nō aliter eſſe reum pœnæ quàm culpæ? Nonne vnus & Idem in nobis eſt vtriuſque reatus? Nonne propterea ſi reus pœnæ pœnam timet, pœna illi timenda eſt ſtatim atque reus eſt culpæ, aut cùm denuntiatus eſt reus pœnæ? Quid quod rectè ſentienti de rebus, non tàm graue eſt, aut probroſum iudicari, vel puniri, quàm fieri pœna dignum: & hoc vnum in pœnis vel maximè diſcernatur, quænam ſit cauſa pœnæ: vnde aptè ſanctus Auguſtinus in illud Pſalmi: *Intende iudicio meo, Deus meus, & Dominus meus in cauſam meam. Non in pœnam meam*, inquit, *ſed in cauſam meam.*

Pſ. 34.

At dices, non moueri potentiam niſi præſenti obiecto; & longe diſparem eſſe rationem pœnæ iam iam infligendæ, & illius quæ futura eſt aliquando vel forte numquam futura, mutato nempè rerum ſtatu, ſeu mundano conuerſo. Reſponderi tria debent huic dicto: Primum eſt, futurum illud de quo eſt quæſtio, eſſe ex vna parte tam certum, tam graue & momentoſum, quale eſt *in æternum damnari:* ex alia vero tam incertum, tam fragile & quauis hora futurum, vt non ſit Sapientis nec Chriſtiani non timere in tam certo periculo rei tam incertæ; cùm præcipue Chriſtus expreſſis edixerit verbis, velle ſe vnumquemque noſtrum ita paratum eſſe quouis tempore, vt niſi ſit ſemper paratus, numquam paratus ſit, quia vt dictum eſt, diceturque alibi fuſius, tunc ipſe veniet quando minùs erit paratus. *Si non vigilaueris veniam ad te, tanquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.*

Apoc. 3.

Secundum eſt, quod Fides ſi vera ſit, habet hoc proprium, vt res abſentes & futuras tanquam præſentes ſiſtat, & earum perinde producat affectum in parte rationali ſuperiore, ac ſi oculis cernerentur. Idcirco definitur ab Apoſtolo *fides ſperandarum* (ſeu futurarum) *ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Græce eſt hypoſtaſis, id eſt, ſubſiſtentia & exiſtentia rerum futurarum quaſi eas faciat ſubſiſtere, & tam præſentes exhibeat, quantùm ad ſuum effectum, ſicut ſi reuera exiſterent, vnde ibidem de Moſe dicitur quod *fide inuiſibilem tanquam videns ſuſtinuit:* ſicque apparet veram in eo non eſſe fidem qui ſe ait futuris non moueri ac præſentibus, cùm præcipue quod quæritur, non ſit motus ſenſibilis appetitus, non ſit timor vt eſt humana paſſio; ſed ſit affectus rationalis, ſit virtus animi, ſit illa virtutum prima quæ eſt Timor

Hebr. 11.

Digitized by Google

Domini quæ eſt expultrix peccati.

Tertium denique eſt, quod dum mundanus ait non futuras forte pœnas, mutato rerum ſtatu, ſeque in melius quod bene ſperat conuerſo, concluditque propterea non eſſe quod ſibi timeat, falſiſſima eſt conſequentia ex incertiſſimo antecedenti; Nam dato etiam quod mutandus eſſet, itane propterea non eſſet timendus Deus quem mundanus ſemper videret à ſe offenſum, quandiu mundanus eſſet? Putaſne in damnatis eſſe aliquid grauius quàm quòd videant Deum à ſe offenſum & ſibi valde infenſum? Sentiunt illi quidem hanc pœnam quæ nullo hic ſenſu percipitur, ſed cùm ex fide certum ſit æquè à Mundano Deum eſſe offenſum, & à Deo Mundanum condemnatum ſicut ſi iam ipſis eſſet pœnis addictus, poteſtne Mundanus id credere & non pauere, & non fateri ſaltem ſibi eſſe timendum? Quid eſt non timere in illo ſtatu niſi præſumere, niſi latam Iudicis irridere ſententiam, aut ipſum Iudicem ſpernere: vel quia non poſſit quod minatur exequi, vel quia nolit, quia bonus eſt, quia patiens & miſericors & longanimis. Quæ cùm ſint tam horrenda, quis non videt eo ipſo magis eſſe timendum peccatori quò minus timet? Sic enim abutendo theſauris diuinæ bonitatis, *theſaurizat ſibi iram in die iræ*; & tantum abeſt vt quod ait non ſint futuræ pœnæ, quin longe futuræ ſint grauiores: tantum abeſt vt mutetur rerum ſtatus, ſeque conuertat, quin ſemper in peius ruat, & tanto difficilius reſipiſcat, quanto ſe poſſe facilius finxit. *Rom. 2.*
Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? cùm conſummaueris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris. Vere enim deprædatur Mundanus qui audita mortis ſuæ ſententia nihil timet propter tempus ſibi datum, & conceſſas gratias quibus auertat illam mortem: nam ſibi tempus illud illaſque gratias inuito male vſurpat Domino; ſicque propterea vere etiam deprædabitur quando auferentur illa dona quibus abutitur, tandemque fiet quod dixit Dominus: *Omni habenti dabitur & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur.* *Iſ. 33.* *Luc. 19.*

III. PVNCTVM.

PRIMVS ergo Chriſti aduentus Mundano tam timendus quàm ſecundus.

Digitized by Google

Nec minus formidandum eſt Mundo præſepe Chriſti naſcentis, quàm Tribunal iudicantis. Ne dilatione mortis aut pœnæ conſequentis timorem Mundanus differat, iam enim lata eſt ſententia; & quod timeret in illa quam futuram & ferendam credit, hoc ipſum in lata timeat; nam idem ipſe eſt Iudex & Dominus qui mundum iudicauit & iudicabit: Idem eſt crimen, eſſe de mũdo & fuiſſe. Eadem denique pœna eſt decreta Reo, ſed non idem pœnæ ſenſus; hoc ſolum intereſt fateor, at non propterea minuendus eſt timor; nam ſi ex hac parte motiuum timendi deficit, augetur ex alia. Dum enim conſideratur Chriſtus tam multa facere & docere contra mundum, profectò magis inde agnoſcitur quàm graue ſit, *eſſe de Mundo*, quàm dum pœnam Mundanus ſentiet. Plus eſt Chriſtum iacere in præſepi, ne ſis mundanus, quàm te in Inferno volutari, quod fueris. Ex Chriſto paſſo propter crimen meum, magis agnoſco grauitatem mei criminis, quam ſi ipſe propterea paterer quaſuis pœnas. Sic diſerte ſanctus Bernardus in tertio de Natali Domini. *Ex conſideratione remedij, periculi mei æſtimo quantitatem. Neſciebam, ſanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei altiſſimi, & iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioſo ſanguinis illius balſamo medeatur. Agnoſce ô homo quàm grauia ſint vulnera, pro quibus neceſſe eſt, Dominum Chriſtum vulnerari!* Sed quid prodeſt agnoſcere, niſi vt tantò magis timeas culpam & pœnam, quantò magis agnoſcis eſſe timendam? Quàm clara & aperta voce modò infantiles panni clamant contra mundum, & de culpa mundanos arguunt; tam diſerte & grauiter contrà clamabunt in Iudicio, & pœnas poſtulabunt diriſſimas: *Ego ſum Iudex & teſtis, dicit Dominus.* (Ier. 29.) Sicut Muritta quidam Diaconus apud Victorem Vticenſem contra Elpidephorum virum mundanum quem ſuſceperat in baptiſmo, dicebat de linteis quæ tum erant adhibita: (l. 3. perſec. Vandal.) *Hæc ſunt lintea Elpidephore quæ te accuſabunt dum Majeſtas venerit Iudicantis, cuſtodiente diligentia mea, ad teſtimonium tuæ perditionis.* Sic plane de Chriſti pannis, de Chriſti verbis & factis: *Hæc ſunt verba & facta,* Mundane, *quæ te accuſabunt, te iudicabunt, te condemnabunt, quia hæc ſunt quæ te modò accuſant, iudicant & condemnant.* Non erit aliud de mundo Chriſti iudicium quam quod fuit. Ex primo iam facto iudicio, timendum eſt ſecundum quod fiet, quia primi eſt effectus conſequens. Ex ſecundo quod fiet, timendum eſt pri-

Digitized by Google

mum, quia eius eſt cauſa præcedens. Sic autem vtrumque timebitur, ſi quod eſt in nobis mundanum & ſenſuale, tollatur. Non eſt verus timor otioſus, ſicut nec amor; magna operantur vbi ſunt, *non coactè ſed ſpontaneè ſecundum Deum, ſed voluntariè.* Aut 1. Pet. 5.
ſi operari renuunt, nec timor nec amor eſt. *Sic loquimini & ſic facite,* ait ſanctus Iacobus, *ſicut per legem libertatis, incipientes iudicari*; Quaſi ſi iam iudicaremini, quia iam reuera iudicium incipit ex hac vita, quod in alia perficitur. Iac. 2.

EODEM DIE,

ALIA VERITAS PRACTICA.

Nihil in futuro iudicio magis metuendum Peccatori, quàm quod minus metuit.

RATIO EST, Quia in futuro iudicio nihil minus metuit Peccator quàm benignitatem Chriſti.

Sed nihil eſt magis metuendum Peccatori quàm illa Chriſti benignitas.

Ergo in futuro iudicio nihil eſt illi magis metuendum, quàm quod minus metuit.

DEclaratur hæc ratio fuſiſſimè in 3. parte, Sabbato poſt Dominicam ſecundam Pentecoſtes, vbi demonſtratur quàm ſit Agni formidanda ira, iuxta illud Apoc. 6. *Abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni.*

Vide his conformes alias veritates, notatas in Indice, verbo Iudicium, Timor &c.

EODEM DIE,

DE DVPLICI ADVENTV CHRISTI DOMINI.

Digitized by Google

Erunt ſigna in Sole & Luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium. Luc. 21.

VERITAS PRACTICA.

Sicut ad ſecundum Chriſti D. Aduentum renouabitur mundus, ita modò animus noſter æque eſt renouandus.

RATIO EST, Quia tantum debemus Bonitati Dei quæ apparuit in primo eius aduentu, quantum eius Poteſtati quæ exercebitur in ſecundò.

Sed Bonitas eius exigit à nobis vt modò ſic renouemur.

Ergo ſic modò eſt renouandus animus, atque cum mundus diuina poteſtate renouabitur.

I. PVNCTVM.

Rom. 13. HORA *eſt iam nos de ſomno ſurgere, nunc enim propior eſt noſtra ſalus quàm cùm credidimus:* Sic olim Apoſtolus naſcentem Eccleſiam, ſic modo vt renaſcamur & renouemur, Eccleſia nos excitat, primo hoc ſui renouati anni die; quaſi ſi è ſomno ſurgeremus. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Quænam ſunt illa opera? quænam arma? exquire.

In hunc etiam finem, opportune Euangelium de ſecundo Chriſti aduentu, cùm mundus vniuerſus renouabitur; At quo renouabitur modo? expende, vt ſic diſcas hodiernam renouationem inſtituere. Sicut enim manente rerum ſubſtantia, res om-
Apoc. 21. nes immutabuntur, ijdem cœli, eademque terra, ſed aliter affecta omnia, atque in meliorem ſtatum ita erunt immutata vt dicantur noui cœli, noua terra, & noua facta omnia: *Mutatione non abolitione fui,* ait S. Hieronymus: Sic plane nos non alij quam nos ipſi, & tamen alij per renouationem efficimur, non alij ſcilicet erimus in ſubſtantia rerum agendarum, ſed in modo agendi; Eadem quippe nobis ſemper ſeu deuotionis ſeu miniſterij noſtri

ſunt explenda officia, ſed non eodem modo, non ſomnolentè vt alias, non negligenter & perfunctoriè, ſed religiosè & perfectè. Sicut in reſurrectione corpus idem noſtrum erit, ſed non quale modò eſt, non corruptibile & mortale, *ſurget enim ſpirituale*, inquit Apoſtolus: ita ex S. Gregorio, *vetuſta vita protinus vſus mutatur ſi anima ſuperno ſpiritu afflata, & in ſummis appetat quod contempſerat, & contemnat in infimis quæ appetebat.* 1. Cor. 15. l. 27. Mor. c. 13.

Hoc eſt renouari mente, hoc eſt reſurgere animo, hoc eſt quod ex veritate propoſita, iam eniti debemus cum Gratia quæ hoc ipſo ſe offerre dicenda eſt in hunc finem, quò nos amanter inuitat, vt tam voluntariè & libenter omnino reſurgamus, quàm neceſſario reſurgendum erit corpore, ad poſtremum Iudicij diem. Neque enim minus debemus Bonitati diuinæ, quam Poteſtati. Cogita quanta ſit illa Bonitas quæ apparuit in primo Chriſti Domini aduentu, in Incarnatione, in Natiuitate, in Infantia, in Pueritia, in Conuerſatione, in exemplis, in miraculis, in paſſione & in morte. Nonne hîc tibi bonus Dominus? nonne hæc Bonitas tantum de te meretur, quantum Iuſtitia, quantum Potentia, aut quælibet alia Virtus diuina? *Magnus Dominus & laudabilis nimis, paruus Dominus & amabilis nimis.* S. Bern.

II. PVNCTVM.

A*TQVI hoc Bonitas à nobis exigit vt ſic modò renouemur.* Id quidem ſæpius exigit prout ipſa neceſſitas poſtulat, ſed cum hodie renouetur memoria primi illius aduentus, quo factus Homo Deus, *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus*; quid aptius à nobis exigere ſeu poſtulare concipiendus eſt, quàm quod primo illo ſuo aduentu, à Mundo magis poſtulauit? Quid eſt autem quod à mundo ſuis in vitijs inueterato & ſeneſcenti magis poſtulauit, niſi vt reformaretur & renouaretur? Eſt enim nouus ille homo cunctis hominibus induendus, depoſito veteri cum actibus ſuis, vt toties monet Apoſtolus. Itemque apte S. Gregorius, *Quia Dominus ac Redemptor noſter nouus homo venit in mundum, noua præcepta dedit mundo, vita enim veteri noſtra in vitiis enutrita contrarietatem oppoſuit nouitatis ſuæ.* Bar. 3. Epheſ. 4. Coloſſ. 3. Hom. 32. in Euang.

Sicque euidenter apparet illud ipſum eſſe quod à nobis modò poſtulat, niſi forte putes nihil in te iam reſidere quod renouetur. An illud putas?

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

S*ICVT igitur ad ſecundum Domini aduentum renouabitur mundus, ita modo animus noſter æque eſt renouandus*; Quia videlicet tantum debemus Bonitati Chriſti quæ hanc modo animi renouationem à nobis exigit, quantum eius Poteſtati debetur quæ reſurrectionem corporum & totius mundi immutationem impetrabit. Eſto enim non cogat neceſſariò Bonitas, ſicut coget Poteſtas; minuſne propterea illi debetur? Nihilne vltro & ſponte cōcedes roganti Domino? Nonne indignum generoſo pectore ſic expectare donec cogaris? Nonne illud pudendum, quia libertati tuæ relinquet dare quod rogat, idcirco deneges? Nihilne Benignitati, nihil Bonitati dabis? An minus modo meretur Chriſtus quàm tùm merebitur, quia modo bonitate magis, quam poteſtate tecum agit? An ignoras te eò magis cogi quò minus cogeris, cum ſtrictiora bonæ voluntati ſint vincula Charitatis quam neceſſitatis? Nonne idcirco ſic Chriſtus Dominus primò venit
Oſee 11. manſuetus & humilis vt te amore deuinciret, *ſic te attraheret in funiculis Adam, in vinculis Charitatis?* ô dignum Chriſto finem! ô dignum fine tam nobili Chriſtum! ſed ô me indignū & Chri-
Eccleſi. 16. ſto & tali fine, ſi non commoueor! *Ecce cælum*, inquit Sapiens, *& cæli cælorum, abyſſus & vniuerſa terra in conſpectu illius commouebuntur, montes ſimul & colles & fundamenta terræ cum conſpexerit illa Deus, tremore concutientur; Et in omnibus his inſenſatum eſt cor!* Appareat anima mea, appareat hodie gratia illa Saluatoris,
Tit. 2. *Quæ apparuit omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo. Et ſicut erunt ſigna in Sole & Luna & ſtellis*, ſic in mente tua, ſic in corpore, & in minimis quibuſcumque geſtis ſeu vitæ negotiis, ſigna ſint animi renouati.

Thren. 5. *Conuerte nos Domine & conuertemur, innoua dies noſtros ſicut à*
l. 1. de imit. *principio*: Adiuua me Domine Deus in bono propoſito, & da mi-
Ch. c. 19. hi nunc hodie perfectè incipere, quia nihil eſt quod hactenus feci.

Hac

Hac Hebdomade, in conſiderationem venient eæ Perſonæ quæ propius ſpectant & attinguntMyſterium Incarnationis Chriſti Domini.

FERIA SECVNDA.

DE ÆTERNO PATRE FILIVM NOBIS DANTE.

Sic Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret. Ioa. 3.

VERITAS PRACTICA.

Sic Deus dilexit mundum, vt ſic mundus diligeret Deum ſicut dilectus eſt.

Senſus huius particulæ *ſicut*, atque adeo totius Veritatis hic eſt, quod quemadmodum Deus mundo ſuum indicauit amorem, donando ei Filium, quem vnice diligebat, ſic mundus Deo ſuum indicet, donando ei quod carius & pretioſius habuerit; Ad hoc enim tenetur ex illa dilectione Dei qua præuentus eſt per donum Filij.

RATIO EST, Quia Deo nobis indicanti ſuum amorem, tenemur ei noſtrum indicare quo fieri poteſt conuenientiori modo.

Sed non eſt modus conuenientior, quàm donando ei quod carius & pretioſius poſſidemus.

Ergo illi donandum eſt, ſicque diligendus Deus ſicut nos diligit. Quod certe eſt rarum & pretioſum.

C

I. PVNCTVM.

QVOD primum in tota Incarnati Verbi œconomia conſiderandum venit, æterni Patris eſt Charitas nobis donantis Filium ſuum. *Sic Deus dilexit mundum.* Nihil aliud Eum mouit, quàm dilectio, & certe magna dilectio, quam ipſe admiratur Filius. Admirare cum illo.

Tantæ vero Charitati quid debetur, niſi par Charitas, quanta quidem in nobis eſſe poteſt? Nam vt ait S. Bernardus: *Cum amat Deus, non aliud vult quàm amari, quippe non ad aliud amat, niſi vt ametur.* Quænam vero par eſſe poteſt & conuenientior Charitas niſi donando ei quod habemus carius ſicut Ille Charitatem ſuam nobis oſtendit donando Filium ſuum?

Serm. 83. in Cant.

Ad hoc certe tenemur ex illa Charitate, atque ad hoc perſoluendum debitum excitamur ex propoſita Veritate, cuius hoc eſt fundamentum primo ſtatuendum, Deo nobis iudicanti ſuum amorem, tenemur ei noſtrum indicare quo fieri poteſt conuenientiori modo, id eſt, tam ſimili & æquali, quantum Deo & nobis conuenire poteſt. Quid iuſtius? quid rationabilius? Nam ſi amor non niſi amore reciproco compenſatur, vt infra videbitur, quomodo poteſt intelligi illa amoris reciprocatio niſi paribus aut conſimilibus amicitiæ ſignis? Vnde dilectus Diſcipulus cum de perfecta Dei Charitate ſermonem intuliſſet ſic pergit; *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare:* quaſi diceret, debet ſe gerere erga illum, ſicut ille ſe geſſit erga ipſum; Quod & apertius Idem: *Non diligamus,* inquit, *verbo, neque lingua, ſed opere & veritate*; In quem ſenſum Apoſtolus, *Et hoc oro vt Charitas veſtra magis ac magis abundet in omni ſcientia & in omni ſenſu, vt probetis potiora.* Velleſne huic orationi obſiſtere, conſtringendo Charitatem tuam?

1. Ioan. 2. *Ibid. 3.* *Phil. 1.*

II. PVNCTVM.

SED *non eſt modus conuenientior quo poſſis Deo indicare tuum amorem, quàm Ei dando quod carius habes.*

Ipſe eſt enim modus quo Deus ſuum manifeſtauit, donando nobis Filium, nam licet multa iam dediſſet hominibus, nihil

Digitized by Google

æque tamen ad amorem indicandum fuit, ac donum Filij. Ratio eſt manifeſta, quia quò donum eſt magis proportionatum donanti, quò eſt illi carius, & quò vtilius cui donatur; eò certe eſt clarius amoris indicium. At nullum tale donum eſt à Deo datum hominibus, in quo hæ conditiones reperiantur quàm donum Filij.

Primò enim, quam habent proportionem creata omnia cum Creatore? Vnigenitus vero Patris, ipſe eſt æqualis Genitori. Deinde quis dicat terrena hæc & caduca omnia, multum eſſe cara Deo qui plura ex illis dat inimicis quam amicis? Filius vero Dei, *Hic eſt Filius dilectus, in quo ſibi bene Pater complacuit.* Matth. 3. & 17. Denique quis temporalium vſus? quænam eorum vtilitas præ vtilitate & neceſſitate Domini Ieſu? Eſto enim deſint temporalia, eſto deſit ipſa vita temporalis, quid damni ſi ſuccedit æterna? At ſi æterna pereat, quale par damnum? periret autem niſi datus eſſet Ieſus. Vnde patet euidenter ſolum hoc eſſe donum quo ex certiſſimis notis diuinus amor in homines indicari poſſit. Quod videbatur innuere Apoſtolus cum diceret, *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Rom. 8. Ac proindè hinc etiam liquet, non eſſe modum conuenientiorem quo ſuum homines amorem in Deum, poſſint indicare, quàm ſi quid Deo donent quod habuerint pretioſius & carius, ipſique Deo gratius; quia hoc eſt commune omni amori, vt ſic ſe indicet & non aliter. *Nunc cognoui*, inquit Deus Abrahamo, *quod times Deum, id eſt, colis & diligis, & non pepercisti vnigenito Filio tuo propter me.* Gen. 22. Videſne certum amoris indicium in dono rei chariſſimæ?

III. PVNCTVM.

HOC eſt igitur quod Deo dare debemus, hoc eſt quamobrem ſic Deus dilexit mundum donando ei Filium ſuum vnigenitum, vt ſic mundus diligeret Deum, donando Ei quod carius & pretioſius habet. Nam ſi, vt primo probatum eſt, Deo nobis indicanti ſuum amorem tenemur & noſtrum indicare, quo fieri poteſt conuenientiori modo; quis conuenientior modus eſſe poteſt, quàm quo ipſe Deus eſt vſus, vt nos exemplo ſui prouocaret? Sic diuinæ dilectionis diſcipulus: *In hoc apparuit Charitas Dei* 1. Ioan. 4.

Digitized by Google

in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc eſt Charitas: quaſi diceret, hæc eſt forma, hoc exemplar charitatis exhibendæ: Vnde & concludit, *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Id eſt, quia nos præueniens amore ſuo, ſic affectum noſtrum excitat ad eum redamandum vt ſimul intellectum inſtruat quomodo eum redamare poſſimus;& ſimus inexcuſabiles ſi tanto deſimus debito.

Exprome itaque anima quod habes carius, quod pretioſius, ſiue ſit pecunia, ſiue fama, ſeu parentes, aut ſanitas, ſeu ipſa vita humana. Vide ſi quod eorum ſit quod Deus à te velit, an ſis parata dare? nullus alioquin eſt in Deum amor. O pudor! O probrum! Deus proprio non parcit Filio, vt mihi ſuum amorem indicet, & parcam famæ! Exardeſce contra. *Nulla maior eſt ad amorem inuitatio, quàm præuenire amantem,* inquit ſanctus Auguſtinus, *& nimis durus eſt animus qui ſi dilectionem neſciebat impendere, nolit rependere.*

De Catech. rud.

FERIA TERTIA.

DE FILIO DEI SEIPSVM OFFERENTE.

Tunc dixi, ecce venio. Pſ. 39. Hebr. 10.
Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Iſ. 53.

VERITAS PRACTICA.

Quam in ſe attrahit gratiam qui ſe Deo libens offert, eandem ſibi detrahit qui quod offert non reddit.

RATIO EST, Quia qui ſe Deo libens offert, idcirco multam in ſe Gratiam attrahit, quod bonam indicet voluntatem quam præcipue reſpicit Deus in oblatione noſtri, & quam qui ſubtrahit, talem ſibi detrahit gratiam.

Digitized by Google

Sed qui non reddit quod offert, ſubtrahit illam bonam voluntatem. Ergo & quam in ſe attrahit gratiam qui ſe Deo libens offert, eandem ſibi detrahit qui quod offert non reddit. Quod ne damnum eueniat, probè eſt intelligendum, quòd ſicut oblatio noſtri debet eſſe affectiua, ita & effectiua, exemplo Chriſti Domini qui hoc ipſum perfectè fecit ad quod ſe obtulit.

BIBLIOTECA ... ROMA

I. PVNCTVM.

HÆC illa eſt Diuina Perſona quæ dicitur Verbum *quod Caro factum* eſt de quo infrà toti. Nunc vero quàm ſe libenter obtulerit, contemplare. Primò quidem quando cum aliis ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonis conſenſit in reparationem generis humani per diuinam Incarnationem. Deinde quo primo momento eſt Incarnatus, vt ait Apoſtolus ex Pſalmiſta, ***Ingrediens mundum dicit, hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.*** *Hebr. 10.*

Denique dum inter homines ageret, ſic ſæpius aut ſingulis pene momentis ſeſe offerebat pro eorum ſalute. Itane Domine memor mei fuiſti? Fili, ne dubites. Admirare & gratias age.

Et verò ſic nos ipſos offerre decet; Sed quod caput eſt, id omnino efficiendum eſt ad quod nos obtulerimus: cum alioquin nulla futura ſit oblatio, nullus inde fructus, & nulla Gratia. Sic *Ioan. 17.* Chriſtus Dominus opus ſuum perfectè conſummauit; Nos vero quam faciles ſumus ad acceptandum, tam faciles ad deponendum; Quamobrem valde conſideranda Veritas qua de effectu monemur, perinde neceſſario ad oblationem & gratiam, ſicut affectu.

Cur enim affectus eſt neceſſarius? Cur affectiua debet eſſe oblatio noſtri? Nonne vt ſic pronam & propenſam voluntatem noſtram in obſequium Dei declaremus? hoc eſt enim maxime quod reſpicit in omnibus, ac præcipue in iis quæ ſibi offeruntur. ***Omnis,*** inquit, ***voluntarius & prono animo offerat primitias Domino;*** *Exodi 35.* Tum poſtea; ***Obtulerunt mente promptiſſima atque deuota primitias Domino,*** *Ibid.* Rurſumque ibidem. ***Omnes viri & mulieres mente deuota obtulerunt donaria.*** Denique notum illud S. Gregorij, ***Nihil offertur Deo ditius voluntate bona:*** quia ſcilicet tantam in ſe attrahit *Hom. 5. in Euang.*

Digitized by Google

Gratiam, vt quàm bona eſt Deo præueniente voluntas, tam diues eſt & abundans cœleſtibus donis, Deo ſubſequente. Da mihi Domine quod tibi offeram. Fili, iam multa ſatis à me habes quæ tu iniquè tibi vſurpas.

II. PVNCTVM.

SED *qui Deo non reddit quod offert, bonam illam voluntatem ſubtrahit, neque poteſt dici bona & propenſa voluntas niſi ſit effectiua ſimul atque affectiua.* Id eſt, niſi ſic efficiat aut ita conetur efficere cum Dei gratia quidquid efficiendum ſuſcipit, vt ſi non fiat, ſit potius defectus poteſtatis quam voluntatis.

Hoc eſt enim propriè velle quando ſi quod poſſis & debeas; id omnino efficias; cùm è contra ſi quod potes & debes non efficis, non potes vere dici illud velle. Cur enim non efficis niſi quia

Prou. 11. 13 non vis, cum vt ſupponitur illud poſſis & debeas; Sic in prouerbiis dicitur, *vult & non vult piger*: vult ex quadam rei complacentia, ſed quia non operatur nō vult abſolute & proprie. Magis

1. p. q. 19. a. 6. poteſt dici *velleitas, quā abſoluta voluntas*, inquit ſanctus Doctor.

Quod præcipuè verum, eſt coram Deo & in ijs quæ Deus vult vt agamus. Si enim defectu voluntatis illa non agimus, quomodo talis deficiens voluntas poterit eſſe bona, quæ non erit conformis diuinæ? Quid eſt enim eſſe bonum, niſi quod eſt

p. 2. q. 19. a. 9. conforme ad propriam regulam & menſuram? Quænam eſt autem regula & menſura noſtræ voluntatis niſi diuina? Sic Idem ſanctus Doctor concludit nullam proinde eſſe humanæ voluntatis bonitatem, niſi *ex conformitate ad Diuinam*; ac proinde etiam niſi ſit effectiua voluntas, non ſit omnino bona, quia non ſit conformis ſuæ regulæ. O quam pauci homines bonæ voluntatis, qui putantur multi!

III. PVNCTVM.

QVAM *ergo in ſe attrahit gratiam qui ſe Deo libens offert, eandem ſibi detrahit, qui quod offert non reddit*; Quia ſubtrahit bonam voluntatem cuius defectu ſæpius denegantur Gratiæ quæ in eius conſiderationem collatæ vel conferendæ eſſent.

Malach. 1. *Dixiſtis, ecce de labore, & exſufflaſtis illud, dicit Do-*

minus exercituum. Exſufflatur nempe quod offertur quando cùm reddi debet, non redditur: ſicque nulla eſt oblatio, niſi ſit ex æquo effectiua, atque affectiua. Nam ſi debet eſſe affectiua vt oblationi jungatur bona voluntas ſine qua non eſſet accepta oblatio: certe idcirco etiam debet eſſe effectiua, cum ſine effectu non eſſet bona voluntas. Ad quid enim & quorſum te offers, niſi ad aliquid agendum aut patiendum? Sed quid prodeſt te offerre niſi reuera id velis ad quod te offers? Aut quando indicabis te velle, niſi cum ſe dederit occaſio, ſic agas & patiaris, ſicut promiſiſti? *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli.* Nonne tu ex illis qui multa proponunt & pauca faciunt, qui dum nihil patiuntur, fortes ſunt & ad omnia validi, cùm autem vel minimum quid aduerſi occurrerit, ſtatim deficiunt. *Ecce docuiſti multos & manus laſſas roboraſti, nunc autem venit ſuper te plaga & defeciſti, tetigit te, & conturbatus es. Vbi eſt timor tuus, fortitudo tua, patientia tua & perfectio viarum tuarum?* Reſponde & confundere. Satius eſſet non affici ad efficiendum aliquid, quam id non efficere ad quod affectus es. *Eo Domine,* inquiebat Patri Filius, *& non iuit,* alter vero idem iuſſus, *nolo,* inquit, *& iuit.* Quis ex duobus voluit? *quis ex duobus fecit voluntatem Patris?* Chriſtus eſt Dominus qui interrogat, Vide quid reſpondeas, & Caue ne ex ore tuo te iudicet.

Pſ. 77. *Iob. 4.* *Matth. 21.* *Iſ. 53.*

Videri poſſunt quæ habentur infrà Feria 2. poſt Dominicam 4. Aduentus: & vigeſimo nono die Decembris.

FERIA QVARTA.

DE SPIRITV SANCTO, QVANTVM AD OPERATIONEM MYSTERII INCARNATIONIS.

Spiritus Sanctus ſuperueniet in te. Luc. 2.

Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Act. 7.

VERITAS PRACTICA.

Quàm rarò cogitas Chriſtum, tàm crebrò reſiſtis Spiritui Sancto.

Vel sic.

Nulla in re frequentius Spiritui Sancto reſiſtitur, quàm quod infrequentius de Chriſto cogitetur.

RATIO EST, quia in ea re frequentius Spiritui Sancto reſiſtitur, ad quam impellit frequentius.

Sed nulla res eſt ad quam impellat frequentius, quam vt dè Chriſto cogitetur.

Ergo nulla in re frequentius Spiritui Sancto reſiſtitur, quàm quod de Chriſto non frequentius cogitetur. Quod certe eſt præcauendum.

I. PVNCTVM.

LICET tota Trinitas ſit operata Myſterium Incarnationis, dicitur tamen hoc Opus ſpeciale Spiritus Sancti, quia opus eſt ſingulare Bonitatis quæ ſpecialiter attribuitur Spiritui Sancto, ſicut Patri potentia, & Filio ſapientia. O vere opus ſingulare bonitatis! Ille ipſe eſt autem Spiritus Sanctus, illa ipſa eſt bonitas quæ fidem, deuotionem, & alios pietatis affectus circa hoc Incarnati Verbi myſterium in mentibus noſtris operatur; O quæ & quanta ſuggerit, ſi audiretur! Verùm, cùm in multis alijs, tum in hoc præcipue parum attenditur. Vnde & ipſe per
Iſ. 53. Prophetam, *Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt?*

Hinc nata Veritas valdè expendenda, *Quàm raro & infrequenter Chriſtum cogitamus, tàm frequenter reſiſtimus Spiritui Sancto.*

Et Ratio quidē aperta eſt, cum liquidò pateat tam crebrò nos vniuerſim diuinis Illius monitis reſiſtere, quam illa frequentiora ſunt: tùm verò particulatim vnumquemque frequentius in re ſingulari ſeſe illi opponere, in qua frequentius ab eo commo-
Ier. 17. uetur. *Indurauerunt ceruicem ſuam ne audirent me, & acciperent diſci-*

Digitized by Google

diſciplinam. Quare aggrauatis corda veſtra ſicut aggrauauit Aegy- 1. Reg. 6.
ptus & Pharao cor ſuum! Dura exprobratio.

II. PVNCTVM.

SED *nulla res eſt ad quam nos vniuerſim Spiritus Sanctus impellit frequentius, quàm ad cogitationem de Chriſto Domino, varioſque inde conſequentes affectus,* Ad hoc enim præcipue eſt miſſus, vt ipſe Chriſtus Dominus ait, *Cum venerit Paraclitus quem Ego mit-* Ioann. 15.
tam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, ille teſtimonium perhibebit de & 16.
me. Ille me clarificabit quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Vnde & Apoſtolus vocat eum Spiritum Filij, dicens; *Miſit Deus ſpi-* Gala. 4.
ritum Filij ſui in corda veſtra. Cur porrò Filij potius quã Patris? quia ſcilicet totus eſt in Filio Patris clarificando & celebrando.

Atque hinc fit vt cùm Apoſtoli pleni eſſent Spiritu ſancto eique fideliter obedirent, nihil niſi Ieſum prædicarent, nihil ſaperent dulcius, nihil loquerentur aut commendarent frequentius quàm Dominum Ieſum. Quod ita verum eſt vt licet forma baptiſmi ſit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, illi tamen Act. 8.
in ſolo nomine Ieſu baptizaſſe dicuntur, quod vt ait S. Thomas 3. p. q. 66.
ſic nomen Chriſti magis honorabile reddebatur. Hinc Apollo a. c.
vir ille Apoſtolicus, cum primò conuerſus eſſet, *& feruens ſpi-* Act. 18.
ritu loqueretur, docebat diligenter ea quæ ſunt Ieſu, inquit ſcriptura. Sic conſequenter ſpirituales viri, quò magis ſpirituales, & à ſolo Spiritu ducti, eò magis toti in ſolo Ieſu.

Sit inſtar omnium teſtis S. Bernardus qui, *ſi ſcribas,* inquit, in Cant.
non ſapit mihi, niſi legero ibi Ieſum. Si diſputes, inquit, *aut conferas,* ſer. 15. 20.
non ſapit mihi niſi ſonuerit ibi Ieſus. Ieſus mel in ore, in aure melos, in 22. 43.
corde Iubilus, ſed eſt & medicina. Tum verò fuſius de ſuauitate ſimul coniuncta cum vtilitate huius Nominis pergit dicere, vnde hæc deduci ratio facile poteſt, cur Spiritus Sanctus frequentiorem de Chriſto cogitationem inducat, quia videlicet nulla eſt potentior cogitatio, vt quæ ſuauis ſimul & vtilis eſſe, ſeu ad malum euitandum, ſeu ad bonum faciendum ſentiatur. Expende amplius quam vera ſit & potens iſta ratio, & agnoſce quàm crebros ſenſeris de Ieſu motus. O ſi in Tyro & Sidone excitati fuiſſent!

III. PVNCTVM.

N*VLLA ergo in re frequentius Spiritui ſancto reſiſtitur, quàm quòd infrequentiùs de Chriſto cogitetur:* Cum in his præcipue rebus Ei reſiſtatur ad quas impellit præcipue. Neque ſit aliud ad quod impellat frequentius quàm vt de Domino Ieſu cogitetur: Vnde eſt illud Apocalypſis frequentiſſimum: *Spiritus & Sponſa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat, Veni.* Et poſt pauca, *Etiam venio cito. Amen: Veni Domine Ieſu.* Atque hinc tantopere in Galatas mouebatur Apoſtolus quod de Chriſto ſibi prædicato nonnihil remiſiſſent: *O Inſenſati, quis vos faſcinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Ieſus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus?* Oportet certe eſſe infaſcinatum, ſic reſiſtere tam crebris & validis Spiritus ſancti motibus in re tam nobili, tam neceſſaria, tam facili, & delectabili. Si tibi ſublimia quædam & difficilia intellectu proponeret, ſi dura & aſpera voluntati, certe obedire deberes, cum ille non deeſſet auxilio. At quænam tibi proponit? Ieſum Infantem in Virginis vtero, Naſcentem in ſtabulo, vagientem in cunis, fugientem in Ægyptum, laborantem in Nazareth, docentem Ieroſolymis, conuerſantem cum hominibus, patientem ab Inimicis, morientem in Cruce, regnantem in Cœlo, venturum ad Iudicium. Hæc vt cogites, vt loquaris, & in mores tuos inducas, exhortatur. Quid hic adeò difficile & arduum vt te excuſes! tamen vnam hanc cogitandi de Chriſto difficultatem accuſas! O probrum! ô pudor! *Quomodo dicis quod amas me, cùm animus tuus non ſit mecum!* Reſponde conquerenti Chriſto, & eius Spiritui ingemiſcenti.

Apoc. 22. *Gal. 3.* *Iud. 16.*

FERIA QVINTA.

DE DESIDERIO SANCTORVM PATRVM CIRCA ADVENTVM DOMINI.

Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum. Iſ. 45.
Deſiderium ſuum Iuſtis dabitur. Prou. 10.

VERITAS PRACTICA.

Vix vllus eſt, qui non ſe verè putet deſiderare Chriſtum, & vix vllus eſt, qui Eum verè deſideret.

RATIO huius poſtremæ partis, quæ ſola poteſt habere difficultatem, hæc eſt, quòd verè deſideranti, nunquam Chriſtus poſſidendus denegetur.

Sed ex Iſtis qui ſe verè putant deſiderare Chriſtum, vix vllus eſt, qui Eum vnquam poſſideat.

Ergo & vix vllus eſt, qui Eum verè deſideret. Quod quàm ſit lugendum, patet.

I. PVNCTVM.

QVEM ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, hunc vehementer deſiderabant antiqui illi Patres, quorum hæ ſunt voces & deſideria. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Iſ. 45. *Vtinam dirumperes cælos & deſcenderes, à facie tua montes defluerent.* Ibid 64. Neque fuit inane eorum deſiderium, ſic enim deſiderando & petendo, meriti ſunt de congruo quod petebant, vt ait S. Thomas. Atque hinc oritur 1. p. q. 2. Veritas valde conſideranda, *Quòd vix vllus ſit è Chriſtianis, qui* a. 11. *non ſe verè putet deſiderare Chriſtum, magis ac magis poßidendum, cùm vix tamen vllus ſit, qui verè eum deſideret.*

Prima pars Veritatis nullam prorſus habet difficultatem. Quis enim eſt hominum, qui non appetat ſcire, aut qui ſibi bene non velit? Quid eſt autem dignius? quid vtilius? & quid beatius ſiue ad intelligentiam, ſiue ad voluntatem explendam, quàm quæ de Chriſto Domino ſciri & amari poſſunt? Longè enim veriùs, quàm de Elia, de Illo dici poteſt. *Beati ſunt qui te viderunt, & in* Eccleſ. 48. *amicitia tua decorati ſunt.* Tu de te ipſo quid ſentis? Nonne etiam plura & plura de Illo ſentire appeteres? Reſtat itaque declaranda poſtrema pars, quâ dicitur, *vix vllum eſſe tamen, qui Eum verè deſideret.*

Neque verò maiorem habet difficultatem, quàm præcedens, ſi

Digitized by Google

attentè conſideretur quod primò præmittitur expendendum, *Verè deſideranti Chriſtum nunquam negari*; ſic apertè Sapiens ſub
Sap. 6. nomine Sapientiæ. *Facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit, aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet. Dignos ſe ipſa circuit quærens, & in viis oſtendit ſe hilariter, & in omni prouidentia occurrit*
Dan. 9. *illis*. Quid clarius? Sic Danieli præ aliis ſunt indicatæ quædam particulares circunſtantiæ myſterij Incarnationis, *quia vir deſi-*
Luc. 2. *deriorum es*, inquit illi Angelus. Sic Simeoni ſeni ſe infans Ieſus amplexandum dedit, quia ſenex infantem videre ante mortem
Mat. 17. vehementer deſiderarat. Sic Moyſi & Eliæ apparuit in Transfi-
Luc. 19. guratione, quia faciem eius ardentiùs alijs expetiuerant. Sic Zachæo quærenti videre Ieſum quis eſſet; *Hodie*, inquit, *in domo tua*
Mar. 16. *oportet me manere*. Sic Magdalenæ ante omnes, atque alijs mulieribus ante Apoſtolos, dum reſurgit ſe videndum præbet, quia illæ ſingularem præ ſe tulerant in Eum curam & ſtudium. Ac
Hom. 25. in Euang. præclarè quidem de S. Magdalena Diuus Gregorius. *Quæſiuit priùs, & minimè inuenit: perſeuerauit vt quæreret, vnde & contigit vt inueniret; actumque eſt vt deſideria dilata creſcerent, & creſcentia*
Serm. 32. in Cant. *caperent quod inueniſſent. Sed & Thomæ*, inquit S. Bernardus, *iuxta deſiderium cordis eius palpandum ſe præbuit, & voluntate labiorum eius non fraudauit eum*. Atque vniuerſim de omnibus verè deſiderantibus idem Sanctus concludens, *Igitur*, inquit, *iſtiuſmodi magnis ſpiritibus magnus occurret Sponſus, & magnificabit facere cum eis, emittens lucem ſuam & veritatem ſuam*. Vide ſermonem integrum & præcedentem, qui toti ſunt de hoc argumento; cùm, vt ipſe
Serm. 31. ait, *Per ſe ipſum dignatur inuiſere animam quærentē ſe, quæ tamen ad quærendum toto ſe deſiderio & amore deuouit. Et hoc ſignum iſtiuſmodi aduentus eius, ſicut ab eo qui expertus eſt edocemur, ignis ante ipſum*
Pſal. 96. *præcedet. Oportet namque vt ſancti deſiderij ardor præueniat faciem eius ad omnem animam, ad quam eſt ipſe venturus, &c.* Concaleat hoc ardore cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcat ille ignis.

II. PVNCTVM.

SED *ex Iſtis qui ſe verè putant deſiderare Chriſtum, vix vllus eſt qui Eum vnquam poſſideat.*

Digitized by Google

Si de perfecta poſſeſſione, quæ in hac etiam vita haberi poteſt, ageretur, non eſſet mirum, quòd vix à quoquam poſſideretur vt poſſideri poteſt: cùm & ipſe Apoſtolus non ſe ſatis arbitretur comprehendiſſe, ſed vltra pergens, *Sequor*, inquit, *ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.* Phil. 3. Verùm de hac perfecta poſſeſſione non hic agitur, neque tam fortè ex his ſumus, quibus dolendum eſt deeſſe aliquid perfectionis, quàm ex iis quibus ipſa vix lucent Euangelij principia, nec quàm longè abſint à Chriſto, norunt; ad quos aptè Apoſtolus: *Etenim cùm deberetis eſſe Magiſtri, propter tempus, rurſum indigetis vt vos doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei.* Hebr. 5. Quodnam eſt illud exordium ſermonum Dei? quænam ſunt elementa huius exordij? Nonne hæc ſunt quæ toties audiuiſti, & quæ nondum didiciſti? *Beati pauperes ſpiritu. Beati mites. Beati miſericordes. Beati qui lugent, & qui patiuntur propter iuſtitiam. Væ vobis diuitibus. Væ vobis qui ridetis nunc. Væ cùm benedixerint vobis homines. Beati cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me. Benedicite maledicentibus vobis.* Mat. 5. Luc. 6.

Hæc ſunt videlicet elementa & principia Chriſtianæ quam profitemur religionis; hæc eſt poſſeſſio Domini, & hoc teſtamentum Chriſti Ieſu quem colimus; hæc eſt doctrina Magiſtri noſtri; hæc eſt ſalutis via quam aperuit, hæc veritas quam docuit; hæc humana vita quam egit. Tanto quis noſtrum magis aut minùs illũ poſſidet, quanto magis aut minùs intellectu practico capit, voluntate efficaci amplectitur, & memoriâ vigilanti recordatur illas primas Veritates, vt ſeſe his totum intus & foris accommodet & conformet. *Verba*, inquit, *quæ Ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Ioan. 6. *Hic ſermo viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum.* Hebr. 4. Id eſt, ſic ipſe Chriſtus in nobis manens in nobis operatur, prout à nobis poſſidetur, ſic diuidit appetitum à ratione, & rationem à gratia, vt cùm eius verbis credimus, cùm fidem factis oſtendimus, cùm denique vitam verè Chriſtianam & Euangelicam viuimus, appetitus cedit rationi, & ratio Gratiæ. Hoc eſt poſſideri à Chriſto; hoc eſt Chriſtum poſſidere. *Elegit ſibi Dominus Iſrael in poſſeſſionem ſibi.* Pſal. 134.

Iam verò quis eorum, qui ſe verè putant Chriſtum deſiderare,

Digitized by Google

ſic Chriſtum poſſidet ? Capíſne tu, qui præ te fers tale deſiderium, quale illud, quàm horrendum *Væ diuitibus, aut à mundo benedici?* An te beatum & fortunatum putas, cùm malediceris, cùm impugnaris ? An omni petenti tribuis ? An ſaltem parato viuis animo, ſic te in omnibus gerere, qualem decet Chriſti diſcipulum ? An putares ſtudioſum alicuius artis bene poſſidere Authorem quem ſequitur in illa arte diſcendi, ſi non magis eum poſſideret in vſu & praxi, quàm tu Chriſtum poſſideas in praxi Veritatum quas docuit ? Vide vias tuas, vide ſenſus tuos internos & externos, & vide quantùm diſſentiant ab Authore tuo. Vide in

Epheſ. 4. quantis tibi Apoſtolus diceret: *Vos autem non ita didiciſtis Chriſtũ, ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Ieſu, deponere vos ſecundùm priſtinam conuerſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris.*

III. PVNCTVM.

HINC *ergo apertè liquet, quòd vix vllus ſit qui verè Chriſtum deſideret, tametſi vix vllus ſit qui non ſe verè putet Eum deſiderare.* Cùm enim verè deſideranti nunquam denegetur Chriſtus, & tamen Illum tam pauci poſſideant, vt vix vllus Eum in ipſis elementis Exordij ſermonum eius percipiat, quantùm ad praxim; certè non aliunde prouenit, quàm quòd non verè deſideret, quem ſe deſiderare putat. Nam ſi de omni Iuſtorum deſi-

Prou. 10. derio vniuerſim & abſolutè dicitur, *Deſiderium ſuum Iuſtis dabi-*

Pſal. 106. *tur. Animam eſurientem ſatiauit bonis; & Beati qui eſuriunt & ſi-*

Math. 5. Agg. 2. *tiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur:* quanto magis id verum eſſe oportet de deſiderio rei deſideratiſſimæ, qualis eſt ille qui dicitur *deſideratus cunctis gentibus; qui eſt totus deſiderabilis,*

Cant. 5. ſeu, vt habent ſeptuaginta, *totus deſiderium.* Quantumcumque enim anima ipſum deſideret, Ipſe animam magis deſiderat: Atque in hoc mutuo vtriuſque deſiderio, quid eſt quod vnionem & poſſeſſionem impedire poſſit ?

Serm. 31. in Cant. De hoc mutuo Sponſi & ſponſæ deſiderio, præclarè admodum S. Bernardus in Cantica, inducens cuſtodem Angelum lamenta ſponſæ nunciantem, & aduentum ſponſi renunciantem. *Diſcurrit medius,* inquit, *inter dilectum & dilectam, vota offerens, referens dona: excitat iſtum, placat illam.* Et quæ plura habet, ex quibus

Digitized by Google

euidenter patet, quàm verum ſit, verè deſideratum Dominum poſſideri, aut ſi non poſſidetur, non verè deſiderari.

Sed, inquies, ſe tamen illum deſiderare ſentiunt. At verò quis neget nos ſæpe falli in noſtris ſenſibus? Vtri magis adhibenda fides? an veritati ſeſe vltro poſſidendam offerenti: an mendaci animæ dicenti ſe verè quærere nec inuenire? Errant verò vehementer, & in hoc errant, quòd eorum deſideria non ſint ſatis ardentia, non ſint ſatis pura, excluſis aliis, non ſint ſatis digna Chriſto. Tale eſt bonum Dominus Ieſus, vt ei capiendo dilatandus ſit animi ſinus, quod fit ardentibus & puris deſideriis. *Deſiderium, ſinus cordis eſt,* inquit S. Auguſtinus, *capiemus, ſi quantum poſſumus, extendamus.* *in Pſal. 34.* Itáne extendis ſinum? Itáne, quantum potes, deſideras? Itáne, quantùm ſanitatem, quantùm ſcientiam & honorem, ſic tu Ieſum deſideras? O cordis humani probrum! quid deſideras anima, niſi bonum? & quid melius Domino Ieſu? Quid eſt humanum & terreſtre, ad quod ſi ſolo deſiderio perueniri poſſet, non libenter deſiderares? Et ad Domini Ieſu poſſeſſionem, vnum ſufficit deſiderium, nec tamen adhibes! Confundere & erudire.

Vide in 2. parte Feriam quintam Hebdomadæ ſanctæ. Et in Indice, *V. deſiderium.*

FERIA SEXTA.

DE SANCTISSIMA VIRGINE MARIA MATRE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens: pulchra vt luna: electa vt ſol: terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Cant. 6.

VERITAS PRACTICA.

Sicut omnis à Maria reſpectus, impoſſibile eſt vt pe-

reat : Ita omnis ab Ea deſpectus, neceſſe eſt, vt intereat.

RATIO EST, *Quia idcirco omnis reſpectus ab Ea non perit, quia per Eam obtinet Gratiam Finalis perſeuerantiæ cum qua nemo perit.*

Sed omnis etiam deſpectus ab Ea, priuatur illa Gratia, qua quiſquis priuatur, perit.

Ergo ſicut omnis reſpectus ab Ea, impoſſibile eſt vt pereat, ita omnis deſpectus ab Ea neceſſe eſt vt intereat.

S. Bonau. in phar. l. 1. c. 5. *Quæ ſententia eſt plurimorum ſanctorum Patrum, & valde conſideranda ad augendum cultum Beatiſſimæ Virginis Matris.*

I. PVNCTVM.

PERPENDE primò quod ſanctiſſima Virgo tale eſt opus, vt ſublimiores quæque mentes illud conſiderantes nonniſi mirentur & dicant, *Quæ eſt iſta?* Hinc ſancti Ioannis Chryſoſtomi celebre dictum, *quod qui Beatam Viginem non ſtupet, Deum neſcit.* Admirare, obſtupeſce.

Aduerte ſecundo quod quatuor ſunt veluti capita quò referuntur cætera eius præconia, quæque in ſupradictis Canticorum verbis continentur. Primum eſt Virginalis Maternitas quæ *Aurorâ* exprimitur. Secundum eſt, Gratiæ amplitudo quæ per *Lunam* adumbratur; Tertium eſt Gloriæ ſingularis ſublimitas quæ in *Sole* repræſentatur. Quartum denique, ampliſſima poteſtas velut *Caſtrorum acies ordinata.* O vere admiranda in omnibus.

Tertio denique diſces, qualis Illi propterea cultus debeatur, nempe ſingularis qui dicitur hyperduliæ ſupra omnes ſanctos, infra ſolum Deum, vnde ſanctus Bernardus, *Nihil tibi, ô Domina, æquale, Nihil comparabile. Omne quod eſt, aut ſupra te, aut infra eſt; Supra te ſolus Deus · infra te, quod Deus non eſt.*

Ad hunc porro reddendum cultum, non parum conferet propoſitæ Veritatis conſideratio, cuius hæc eſt prima pars omni acceptione digniſſima; *Quod omnis reſpectus ab ea, impoſſibile eſt*

vt

Digitized by Google

vt pereat, quia ſcilicet per eam, obtinet gratiam finalis perſeuerantiæ, cum qua nemo perit. Sic illa non obſcurè, *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. In me gratia omnis viæ & veritatis: in me omnis ſpes vitæ & virtutis.* Quod ſic illuſtrat S. Anſelmus; *Velocior eſt nonnunquam ſalus memorato nomine eius quàm inuocato nomine D. Ieſu: non quod ipſa maior & potentior ſit, nec enim ipſe magnus & potens eſt per eam, ſed illa per ipſum: quare ergo? Dicam quod ſentio. Filius eius Dominus eſt & Iudex omnium, diſcernens merita ſingulorum. Dum igitur ipſe, à quouis ſuo nomine inuocatus non ſtatim exaudit, profectò id iuſte facit: Inuocato autem nomine Matris, etſi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur; merita tamen Matris intercedunt vt exaudiatur.* Breuius Idiota. *Quos ſæpe Iuſtitia Filij damnare poteſt, Matris miſericordia liberat.* Fuſiſſime vero ſanctus Bernardus ſermone de aquæ ductu, vbi poſtquam de Mediatrice interponenda ad Mediatorem egit, ſic pergit: *Inueniſti, inquit Angelus, gratiam apud Deum; feliciter; ſemper hæc inuenit gratiam, & ſola eſt gratia quâ egemus, ſola eſt gratia qua ſaluamur. Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit inuenit, & fruſtrari non poteſt.* Idemque alibi. *In hoc conuenienter vocatur Regina miſericordiæ, quod diuinæ pietatis abyſſum cui vult, & quando vult, quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat, cui ſancta ſanctorum ſuffragia ſui patrocinij præſtat.* Salue Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo & ſpes noſtra ſalue.

Prou 8. *Eccleſ. 24.* *De excel. Virg. c. 6.* *Sermo 1. in Sal. Reg.*

II. PVNCTVM.

SED ſimiliter omnis ab ea deſpectus neceſſe eſt vt intereat, quia priuatur illa gratia perſeuerantiæ, quâ quiſquis priuatur, perit. Hoc enim vnum & idem eſt deſpici ab ea, & priuari gratia quam communicat alijs, ſicut ab ea reſpici nihil aliud eſt quam reſpectos ſic adiuuari vt obtineant gratiam qua ſaluentur; ſic prorſus ab ea deſpici nihil eſt aliud quam deſpectos à Filio & à Matre non ita adiuuari vt defectu ſimilis gratiæ, pereant in peccato.

Et quidem horum perditionis cauſa eſt peccatum proprium ſic diuina in eos exigente Iuſtitia. Sed cum Illi pro quibus in-

Digitized by Google

tercedit Mater miſericordiæ, etiam peccauerint, nec tamen perierint, cur alij potius puniti fuerint quam alij, curue potius interierint in peccatis, dici verè poteſt inde eſſe quod pro ipſis non interuenit eadem Mediatrix; ac proinde qui iam à Chriſto deſpectus eſt, ſicque ab ea ſimul deſpicitur vt non adiuuetur; neceſſe eſt vt pereat, quia priuatur gratia qua ſi donatus fuiſſet, non periiſſet, & qua donatus fuiſſet ſi ab ea reſpectus eſſet. S. Bern. ſer. 1. de Natiuit. *Sic eſt voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam.* O Mariæ dignitatem, ô Mariæ potentiam!

III. PVNCTVM.

SICVT ergo omnis à Maria reſpectus impoſſibile eſt vt pereat; ita omnis ab ea deſpectus neceſſe eſt vt intereat.

S. Aug. l. de perſeu. c. 1. Merè gratuita eſt illa perſeuerantiæ gratia, mere gratuitum donum quod nemo hominum mereri poteſt, vt certo obtineat: multi autem ac pene omnes ſuis merentur peccatis vt eo 22. q. 137. a. 4. priuentur, ſicque merito vnicuique timendum eſt, quod niſi adiuuetur ab Ea cui nihil recuſatur, omnino pereat. Sic omnino ſanctiores quique ſentiunt. Sanctus Ephrem antiquus & valde probatus author, Serm. de S. Deip. *Intemerata*, inquit, *prorſuſque pura, virgo Deipara, ſpes deſperantium, tu portus procellis vexatorum, ſolatium mundi, & omnium ſalus, ſub alis tuis cuſtodi me, & protege, non mihi alia fiducia, Virgo ſincera.* Apud Metaph. S. Ioannes Chryſoſtomus: *Per hanc peccatorum veniam conſequimur. Aue igitur mater, cælum &c. aſſidue pro nobis precare Ieſum filium tuum, vt per te miſericordiam inuenire poſſimus.* Serm. 18. de ſanctis. S. Auguſtinus: *Tu es ſpes vnica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in te Beatiſſima, noſtrorum eſt expectatio præmiorum.* S. Bernardus: Serm de aquæ ductu. *Filioli, hæc peccatorum ſchala, hæc mea maxima fiducia eſt.* S. Thomas: Opuſc. de ſalut. Angel. *Sicut nauigantes per ſtellam diriguntur ad portum, ita Chriſtiani per Mariam ad Salutis gloriam.* Alij, quia longiores ſunt, reticentur.

Hic tu quid agas miſer peccator? non illam coles à qua te S. Io. Dam. orat. de Nat B.V. ita pendere intelligis, vt vix aliter ſic ſperanda ſalus? ſed in quo eius cultus? Quid eum promouet? Quid retardat? Hæc inueſtiga diligentius, & te illi totum offer. S. Bonau. in pharetra.

Digitized by Google

SABBATO

DE SANCTO IOSEPHO SPONSO VIRGINIS MATRIS.

Ite ad Ioſeph, & quicquid ipſe vobis dixerit, facite. Geneſ. 41.

VERITAS PRACTICA.

Melius itur ad S. Ioſeph imitatione Virtutis eius, quam laude.

RATIO EST, Quia quò melius à nobis colitur S. Ioſeph, eò melius ad eum itur.

Sed melius imitatione virtutum colitur, quam vlla laude.

Ergo ſic melius ad Eum itur. Ac proinde quantum neceſſe eſt Eum adire, tantum eſt imitari.

I. PVNCTVM.

NOTA eſt hiſtoria Patriarchæ Ioſephi, filij Iacob quem fratres vendiderunt, quique in Ægypto tam glorioſus fuit, vt ad eum cuncti Ægyptij inopia laborantes à Rege mitterentur: *Ite ad Ioſeph.* Nunc vero idem nobis à Deo dictum putemus de S. Ioſeph quem ſic honorare decreuit, vt cùm magis laboramus tum ad eum præſertim ſubleuandi mittamur. Cùm ſint autem eius adeundi tres præcipuæ viæ ſeu modi Laude, prece, & imitatione virtutum. Hic poſterior eſt aliis præferendus, & vere melius itur ad eum imitatione eius virtutum, quàm laude vel vlla prece.

Nam quid eſt illum adire niſi colere, niſi ſibi eum demereri

Digitized by Google

tercedit Mater miſericordiæ, etiam peccauerint, nec tamen perierint, cur alij potius puniti fuerint quam alij, curue potius interierint in peccatis, dici verè poteſt inde eſſe quod pro ipſis non interuenit eadem Mediatrix; ac proinde qui iam à Chriſto deſpectus eſt, ſicque ab ea ſimul deſpicitur vt non adiuuetur; neceſſe eſt vt pereat, quia priuatur gratia qua ſi donatus fuiſſet, non periiſſet, & qua donatus fuiſſet ſi ab ea reſpectus eſſet. *S. Bern. ſer. 1. de Natiuit.* *Sic eſt voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam.* O Mariæ dignitatem, ô Mariæ potentiam!

III. PVNCTVM.

SICVT ergo omnis à Maria reſpectus impoſſibile eſt vt pereat; ita omnis ab ea deſpectus neceſſe eſt vt intereat.

S. Aug. l. de perſeu. c. 1. Merè gratuita eſt illa perſeuerantiæ gratia, mere gratuitum donum quod nemo hominum mereri poteſt, vt certo obtineat: multi autem ac pene omnes ſuis merentur peccatis vt eo *22. q. 137. a. 4.* priuentur, ſicque merito vnicuique timendum eſt, quod niſi adiuuetur ab Ea cui nihil recuſatur, omnino pereat. Sic omnino ſanctiores quique ſentiunt. Sanctus Ephrem antiquus & valde *Serm. de S. Deip.* probatus author, *Intemerata*, inquit, *prorſuſque pura, virgo Deipara, ſpes deſperantium, tu portus procellis vexatorum, ſolatium mundi, & omnium ſalus, ſub alis tuis cuſtodi me, & protege, non* *Apud Metaph.* *mihi alia fiducia, Virgo ſincera.* S. Ioannes Chryſoſtomus: *Per hanc peccatorum veniam conſequimur. Aue igitur mater, cœlum &c. aſſidue pro nobis precare Ieſum filium tuum, vt per te miſericor-* *Serm. 18. de ſanctis.* *diam inuenire poſſimus.* S. Auguſtinus: *Tu es ſpes vnica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in te Beatiſſima, noſtrorum eſt expectatio præmiorum.* S. Bernardus: *Filioli, hæc peccato-* *Serm de aquæ ductu.* *rum ſchala, hæc mea maxima fiducia eſt.* S. Thomas: *Sicut nauigantes per ſtellam diriguntur ad portum, ita Chriſtiani per Mariam ad* *Opuſc. de ſalut. Angel.* *Salutis gloriam.* Alij, quia longiores ſunt, reticentur.

S. Io. Dam. orat. de Nat B. V. Hic tu quid agas miſer peccator? non illam coles à qua te ita pendere intelligis, vt vix aliter ſic ſperanda ſalus? ſed in quo eius cultus? Quid eum promouet? Quid retardat? Hæc inueſtiga diligentius, & te illi totum offer.

S. Bonau. in pharetra.

Digitized by Google

SABBATO

DE SANCTO IOSEPHO SPONSO VIRGINIS MATRIS.

Ite ad Ioſeph, & quicquid ipſe vobis dixerit, facite. Geneſ. 41.

VERITAS PRACTICA.

Melius itur ad S. Ioſeph imitatione Virtutis eius, quam laude.

RATIO EST, Quia quò melius à nobis colitur S. Ioſeph, eò melius ad eum itur.

Sed melius imitatione virtutum colitur, quam vlla laude.

Ergo ſic melius ad Eum itur. Ac proinde quantum neceſſe eſt Eum adire, tantum eſt imitari.

I. PVNCTVM.

NOTA eſt hiſtoria Patriarchæ Ioſephi, filij Iacob quem fratres vendiderunt, quique in Ægypto tam glorioſus fuit, vt ad eum cuncti Ægyptij inopia laborantes à Rege mitterentur: *Ite ad Ioſeph.* Nunc vero idem nobis à Deo dictum putemus de S. Ioſeph quem ſic honorare decreuit, vt cùm magis laboramus tum ad eum præſertim ſubleuandi mittamur. Cùm ſint autem eius adeundi tres præcipuæ viæ ſeu modi Laude, prece, & imitatione virtutum. Hic poſterior eſt aliis præferendus, & vere melius itur ad eum imitatione eius virtutum, quàm laude vel vlla prece.

Nam quid eſt illum adire niſi colere, niſi ſibi eum demereri

Eſther. 6. & propitium reddere? hoc eſt enim quod intendit Deus, *Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare.* Vnde id ſequitur quòd quàm perfecte Eum coles, tam perfecte adibis. Salue patriarcharum decus & Eccleſiæ ſanctæ Dei Oeconomus, cui panem vitæ & frumentum electorum conſeruaſti.

II. PVNCTVM.

SED melius imitatione virtutum colitur S. Ioſeph, quàm vlla laude vel prece.

Nam cum omnis honor & cultus proueniat ab æſtimatione quam facimus de eo quem honoramus: quantò apertius erit ſignum meæ de Sancto æſtimationis, tanto erit maior illius cultus: Longe autem apertius erit ſignum cùm eius virtutes imitabor, quàm cum laudauero; nam facta præſtant verbis. Qui tantùm laudat nec imitatur, dubiam facit laudationem, cur enim non opere exprimit, quod ſermone? At vero qui imitatur, etiam ſi non laudat verbis, opere ipſo magnificat. Hinc ſanctus Ioannes Chryſoſtomus ſermonem egregium ſcripſit de Tom. 3. Martyribus quod vel laudandi non ſint, vel imitandi, *Quoniam*, inquit, *quem delectet ſancti alicuius meritum, delectare debet par circa cultum Dei obſequium: quare aut imitari debet ſi laudat, aut laudare non debet ſi imitari detrectat.*

Adde quod ipſi ſancti in obſequiis noſtris magis ſpectent gloriã Dei & noſtram ſalutem, quam ſui venerationem; Eſt autem Deo glorioſius & nobis vtilius eos imitari quam laudare. Non quod à nobis laudandi non ſint, ſed quod magis etiam imitandi. Serm. 5. de feſt. om. Sanct. Sic apte S. Bernardus; *Ad quid ſanctis laus noſtra? Ad quid glorificatio noſtra? quò eis præconia noſtra? pleni ſunt, bonorum noſtrorum non egent, nec quicquam eis noſtra deuotione præſtatur. Plane quod eorum memoriam veneramur, noſtra intereſt, non ipſorum.* Quaſi diceret, magis coluntur, magiſque ſibi gratificatum putant, ſi ipſorum præclare geſta factis conſectemur quam verbis, *Quorum* Hebr. 13. *intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem*, inquit Apoſtolus. O vera Charitas quæ non quærit quæ ſua ſunt.

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

MELIVS *ergo itur ad ſanctum Ioſeph, imitatione virtutum.* Cum ſic melius colatur & honoretur : ſic melius obtineatur quod quæritur. Ite ad Ioſeph & quodcumque dixerit vobis,facite. Quid eſt autem quod dicit nobis faciendum,niſi quod ipſe fecit ? Quid porrò eſt quod ipſe fecit ? quænam eius virtutes quas imitemur ? diſces ex hoc quadruplici capite.

Primum,quod fuerit ſponſus ſanctiſſimæ Virginis, ac proinde illi quam-ſimillimus ; Nam in coniugio perfecte inſtituto, coniuges ſic ſibi ſimiles eſſe debent, vt nulla morum diſſimilitudine diſſentiant. Fuit autem hoc Mariæ & Ioſeph coniugium diuinitus factum, ac proinde perfectum quantum ad hanc animorum & vitæ conformitatem. O qualem igitur oportuit fuiſſe Sanctum Ioſeph ? Qualis ſcilicet erat Maria.

Secundum, quia Pater fuit D. N. Ieſu Chriſti à quo educaretur, regeretur, & cui ſe Dominus regendum daret, velut ipſi Deo Patri , vnde ſequitur S. Ioſepho omnes Dei voluntates notas fuiſſe ex quibus regeret Filium ſibi commiſſum, & ex quibus Pater ipſe Nutritius dirigeretur vt facilius infantem regeret. O vere virum ſecundum cor Dei, qui faciat omnes voluntates eius.

Tertium, quia Contubernalis Ieſu & Mariæ per triginta fuit annos, ex quorum quotidiana familiaritate quas non hauſit virtutes ? Nam de Vnoquoque Eorum verè dici poteſt quod Sapiens dicebat de Sapientia : *Sciens quoniam mecum communicabit de bonis : Et præclaritas in communicatione ſermonum Ipſius.* *Sap. 8.*

Quartum denique caput peti poteſt ex ijs quæ de eo referunt Euangeliſtæ , in quibus inſignis elucet *Iuſtitia*, cum dilectam ſponſam in tam ancipiti dubio de eius grauiditate tam ſuauiter habuit. *Obedientia*, cùm tam prompte ipſa horâ qua monitus ab Angelo fuit, ſeceſſit in Ægyptum. *Patientia* in tantis rerum anguſtiis. *Humilitas* in religioſiſſimo ſilentio. *Renunciatio* ſiue Abnegatio perfecta omnium, cùm non modo patria, parentes, domus, ſupellex & omnia deſerenda fuerunt , dum infans eſſet Ieſus ; ſed quando factus eſt vir, quando ad triceſimum vitæ annum prædicare Chriſtus cœpit : ô quæ tum deſideria Ioſephum Patrem mouere poterant vt Filium prædicantem audiret ! ſed

Digitized by Google

moriendum fuit, & libenter deſiit viuere cum iam vitâ ipſius non egeret Filius, propter quem ſolum viuebat Pater.

Hæ ſunt Virtutes imitandæ; & tùm earum aliquis exercendus actus cum adire deſideras ſanctum Ioſeph. Aduerte quid iam poſſis eius exemplo, in quibus pati, humiliari, & abnegari.

Vide infra in Vigilia Natiuitatis Domini, & die decima Ianuarij, ac vndecima.

Digitized by Google

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

DE SANCTO IOANNE BAPTISTA LAVDATO A CHRISTO DOMINO.

Hic eſt de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Matth. 11.

VERITAS PRACTICA.

Hoc eſt vere laudabile, laudari ab officio.

RATIO EST, Quia laudari à voluntate Dei completa, hoc eſt vere laudabile.

Sed laudari ab officio, eſt laudari à voluntate Dei completa.

Ergo hoc eſt vere laudabile, laudari ab officio. Quam tamen laudem pauci merentur.

I. PVNCTVM.

C*VM audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi. Tu es qui venturus es an alium expectamus?* Vide quæ ſequuntur ex Euangelio hodierno; Et in multis illud præcipue contemplare, quàm ſapienter Chriſtus Dominus laudet ſuum Præcurſorem

ab hoc eius officio digne geſto. Quanta erant in Ioanne prædicanda? Conceptio mirabilis, Sanctitas ſingularis, Solitudo ſtupenda, Continentia inuſitata; nihil tamen horum prædicat Dominus; ſed hoc vnum quod ſit Propheta & pluſquàm propheta, ſeu quod idem eſt, quod ſit ille Angelus prædictus à Malachia, qui aliter præcurſor dicitur, ad hoc miſſus à Deo vt præparet viam ante Chriſtum, Id eſt, vt diſponat homines ad eum recipiendum. Quo nomine illum præcipue Dominus laudat quia hoc erat eius præcipuum officium vt eſſet præcurſor Domini, quo quidem officio cùm præclare fungeretur, hæc erat eius etiam præcipua laudatio, *Nam hoc eſt vere laudabile, laudari ab officio,* benè ſcilicet adminiſtrato.

Mal. 3.

Ratio eſt euidens, quia laudari à Voluntate Dei completa ſeu plane effecta, hoc eſt vere laudabile. Hic eſt enim Finis omnis creaturæ vt ſit ad Deum, ſicut hoc eſt eius principium vt ſit à Deo, qui propterea dicitur *primus & nouiſſimus, α & ω, principium & finis.* Eſſe autem creaturas ad Deum, quid eſt aliud quam idcirco eſſe vt faciant verbum ſeu voluntatem eius? Eſt igitur earum finis Voluntas Dei. Iam vero cùm res aliqua finem ſuum perfecte attigit, nonne perfecta eſt? ſi porrò eſt perfecta nonne tum laudabilis quantum eſt laude digna? Sic ergo euidenter apparet, quod laudari à Voluntate Dei, hoc ſit vere laudabile.

Iſ. 44. Apoc. 1. Pſ. 148.

Sic Angeli nobiliores creaturæ maxime commendantur cùm de his dicitur: Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Sic ipſe Angelorum & hominum Dominus hoc vno ſe commendabat, *Vt faciam,* inquit, *voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Poſſet ne à te cogitari aliquid altius & ſublimius quod faceres, quam quod Deus vult? ſed poſſet ne etiam aliquid aliud cogitari quod te impediret, ne faceres quod ille vult?

Pſal. 102. Ioan. 4.

II. PVNCTVM.

SED *laudari ab officio rite adminiſtratio, eſt laudari à voluntate Dei completa, ſeu quàm plene fieri poteſt, adimpleta.*

Nam cum ſemel ex ordinatione diuina ſuſceptum eſt officium quoties bene illud adminiſtratur, toties Dei Voluntas efficitur, neque

Digitized by Google

neque aliter certius & manifeſtius diuina nobis voluntas innoteſcit, quam per noſtrum officium. Quis enim dubitet quin Deus ab vnoquoque velit vt id præſtet quod ab ipſo præſtandum accepit? Quis ſibi non dictum putet ab Apoſtolo, quod is dicit Archippo, *Vide miniſterium quod accepiſti in Domino, vt illud impleas?* Coloſſ. 4.
At de quouis alio bono opere quis ita certus eſſe poteſt? Imo quantumcumque bonum ſit opus, ſi repugnet officio ritè obeundo, tunc deſinet opus eſſe bonum, quia impedit aliud quod eſt certius bonum. Sed vnde eſt certius bonum, niſi quod eſt certius à diuina voluntate? Atque illud eſt quod monebat Apoſtolus; *Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus*; Et quæ plura pergit. Rom. 12.

Adde hîc verò, quod cùm officij cuiuſlibet plures ſint partes ſeu plures bene gerendi occaſiones, quiſquis ſic omnibus intentus eſt, vt nullam omittat, vere is dicetur totus eſſe in Dei voluntate adimplenda; quod non poteſt dici de alio quolibet bono opere, in quo tam frequens eſſe non poterit ſicut in officio & munere perſoluendo.

Denique non vna tantum Voluntas Dei in eo fit, ſed triplex illa de qua Apoſtolus: *Vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta:* Nempe cum id fit in ſubſtantia quod vult Deus; cum in modo ſicut vult; & in fine quia ſic vult. O quam præclare tum adminiſtratur officium cum ſic voluntas Dei adimpletur! & quàm vere tum voluntas diuina completur cùm ſic præclarè adminiſtratur officium! Rom. 12.

III. PVNCTVM.

HOC *eſt ergo verè laudabile, laudari ab officio*; Cùm ſit vere laudabile, laudari à voluntate Dei, quæ tantò perfectius adimpletur, quàm perfectius completur ab vnoquoque ſuum vitæ degendæ munus & officium. *Vita in voluntate eius*: ſeu naturalis, ſeu ciuilis, ſeu ſpiritalis vita: tota eſt in voluntate eius. Pſ. 29.

Non eſt quidem humana laus in officio bene gerendo appetenda, ſic enim deſineret bene geri ſi propter humanam Laudem gereretur: Sed idcirco dicitur vere laudabile, laudari ab officio, vt intelligas nulla te alia, te ab eo diſtrahendum, quan-

Digitized by Google

Eccleſ. 4. tumcumque ſit illa res laudabilis & appetenda. *Ne accipias faciem aduerſus faciem tuam.*

Eſto ſit aliud munus & officium tuo dignius & excellentius, ſi tamen tuum non eſt, & illud exercere velis, tuo prætermiſſo; non modo non laudabile, ſed probroſum tibi erit. *Non eſt tui* 2. para. 16. *officij, Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum; Egredere de ſanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam à Domino Deo.* Non qui officium maius & laudabilius geſſerit, ille eſt maior & laudabilior, ſed qui ſuum dignius adminiſtrarit, quantulum illud cumque fuerit. Quid ad te de aliis. *Tu me ſe-* Ioan. 21. *quere*, dicebat Dominus Petro; quaſi diceret vt interpretatur S. Chryſoſtomus: *opus ſuſcepiſti, id conſidera, perfice & labora. Quid ad te de Ioanne, tu officium tuum cura & exequere.*

Itane tibi eſt curæ tuum? Vide in quo deficias & quantum Dei voluntatem amas, quantum à Deo probari vis: tantum fidelis Sap. 9. eſto in hac parte. *Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam vt mecum ſit & mecum laboret.*

Vide intrà Ferias proxime ſequentes Dominicam quintam poſt Epiphaniam. Et in ſecunda parte in feſto S. Matthiæ. Feria 4. poſt Quinquageſimam. Feria 3. intra Octauas Aſcenſionis. Tres primas qua habentur inter Communes. Et Verbo, Vocatio, Officium &c.

IN EADEM DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

AD HÆC EVANGELII VERBA:

Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. Matth. 11.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Liberior & beatior eſt Ioannes in vinculis, quàm Herodes in epulis.

RATIO EST, Quia ille liberior verâ & beatâ libertate eſt, qui.

Digitized by Google

nulla re detinetur, quo minus agat quod agendum in Domino viderit.

Sed nulla re Ioannes in vinculis: Herodes vero cupiditate & metu detinetur, quo minus agat quod agendum videret.

Ergo liberior & beatior eſt Ioannes in vinculis, quàm Herodes in epulis.

VNDE illud ad praxim ducitur, quod nihil æque ſeruile eſt & minus liberum quam paſſio: nulla libertas maior & carior nobis eſſe debet quam illa libertas interior, qua ſoluitur animus omnibus terrenorum affectuum vinculis.

Prima propoſitio præſupponit multiplex genus libertatis de quo fuſius alibi. Satis ſit modo triplex illud obſeruare ad quod cætera omnia reuocantur. Primum eſt malæ cuiuſdam libertatis de qua Apoſtolus: *Vos in libertatem vocati eſtis, tantum ne libertatem detis in occaſionem carnis.* Et ſanctus Petrus, *Non velamen habentes malitiæ, libertatem.* Gal. 5. 1. Pet. 2.

Secundum genus eſt indifferentis, qualis eſt naturalis & humana libertas de qua dicitur: *Deus ab initio conſtituit hominem & reliquit illum in manu conſilij ſui. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Eccl. 15.

Tertium denique eſt veræ & beatæ libertatis quæ à Spiritu ſancto eſt iuxta illud Apoſtoli, *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas*; libertas ſcilicet ſpiritualis de qua ſic aptè ſanctus Leo: *Tunc eſt vera pax & vera libertas hominis, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præſide gubernatur.* Et alibi, *Cùm caro concupiſcens aduerſus ſpiritum ſpirituali cupiditate ſuperatur, tunc libera obtinetur ſanitas, & ſana libertas, vt & caro mentis iudicio, & mens Dei regatur auxilio.* Sic etiam ſanctus Auguſtinus, *libertas nulla vita eſt niſi beatorum, & legi æternæ adhærentium.* Et rurſum; *quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum, liber eſſe appetat, & quem regnare delectat, is omnium Regnatori ſubditus hæreat.* Ex quibus ſatis manet probata propoſitio. 2. Cor. 3. Serm. 1. de quadr. Serm. 4. de ieiun. Pēt. L. 1. de lib. arb. c. 15. L. de Rel. c. 48.

Secunda vero patet & Euangelio; nam præterquam quod ſanctam hanc libertatem ſanctus Ioannes iam apertè profeſſus Marci 6.

Digitized by Google

erat, cū Herodem arguit ſuæ libidinis: nunc etiam in vinculis ab eodem rege poſitus, quæ ſunt opportuna diſcipulis ſuis diligenter curat, dum ipſos mittit ad Chriſtum Dominum, à quo diſcant oculati teſtes Illum Eum eſſe qui promiſſus in lege eſt, & prædictus à prophetis; cui vni deinceps toti adhæreant. Hoc eſt ſcilicet eſſe liberum, hoc eſt nulla re detineri, non cupiditate honoris quem defert Chriſto, non metu mortis quam ſibi videt impendentem, & à qua non petit liberari. Contrà vero Herodes licet non ignoraret Ioannem eſſe iuſtum & ſanctum, licet illum audiret, & audito crederet in quibuſdam bonis patrandis: tanta tamen libidine detinetur vt contra fas omne, audeat vxore fratris abuti, nec ſibi videatur poſſe diſſoluere tam arcta quibus conſtringitur praui amoris vincula. Itane vero is poterit dici liber vera & beata libertate qua ſanctus Ioannes?

Adde, quod cùm iuraſſet ſaltatrici filię Herodiadis, ſe daturum illi quidquid petiiſſet, petiiſſet autem caput Ioannis Baptiſtæ: ſatis vidit rex Iudeus ſe nulla religione iuriſiurandi obligatum, nec niſi ſummo cum ſcelere conſenſurum in necem Viri omnium optimi. Tamen ita timet neſcio quid à Galilæis tùm ſimul diſcumbentibus, vt illo timore constrictus non auſit denegare quod poſtulatus eſt. Et hunc diceres fuiſſe liberum eâ libertate quam vnam ſancti veram & ſanam dicunt? Caue dicas, & Conclude, quod

LIBERIOR igitur ſine vlla comparatione & beatior eſt Ioannes in vinculis, quam Herodes in epulis. Et quiſquis ſua ſe cupiditate ſic deuinctum eſſe ſinit vt quod alioquin bene ageret, tunc non ſe poſſe putat, non eſt ille liber ſed ſeruus, & mancipium ſuæ illius
2. Pet. 2. cupiditatis. *Serui ſunt Corruptionis,* inquit ſanctus Petrus, *à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* Cui ſubſcribens Coa-
Rom. 6. poſtolus Paulus, *Neſcitis,* inquit, *quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam?*

Hanc Illi ſcilicet doctrinam & diſciplinam à magiſtro & Domino ſuo hauſerant qui Iudæis affirmarat, *Quod omnis qui facit*
Ioan 8. *peccatum ſeruus eſt peccati: & ſolos illos eſſe vere liberos quos Filius liberauerit.*

Quamobrem hanc excute ſeruitutem, & aſſere te cum gratia in libertatem filiorum Dei. Vide, ne vllo prauo affectu detinea-

Digitized by Google

tis, neque rerum proſperarum complacentia, neque aduerſarum diſplicentia ſinas te moueri. Subde hæc animo tuo quaſi indigna Chriſtianæ celſitudini. In hoc vno veram libertatem à vera ſeruitute dignoſce: *Quaſi enim*, inquit ſanctus Gregorius, *quodam iugo ſeruitutis premunt proſpera dum appetuntur: premunt aduerſa dum formidantur. At ſi quis ſemel à dominatione deſideriorum temporalium colla mentis excuſſerit, quadam iam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo deſiderio fœlicitatis afficitur, nullo aduerſitatis terrore coarctatur.* 3. Mor. 23.

IN EADEM EVANGELII VERBA.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Multi cum Herode Ioannem in vinculis tenent.

RATIO EST, Quia Ioannem in vinculis tenent qui quod ait Apoſtolus, Veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Rom. 1.

Sed multi Veritatem Dei in iniuſtitia detinent.

Ergo multi cum Herode Ioannem in vinculis tenent. Quod patet quam ſit horrendum & timendum ne ex illis ſis.

PRIMA propoſitio pendet omnino ex interpretatione verborum Apoſtoli: *Qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent*, & perinde eſt ac ſi diceret qui cognitam de Deo ac diuinis rebus veritatem iniuſtè ac malignè ſupprimunt, ac ſe diſſimulant cognoſcere, ne teneantur facere quod illa veritate cognoſcunt faciendum, & quod ſua voluntatis prauitate nolunt facere. Quando enim quibuſdam aperte apparet Veritas vt omnino eam negare non poſſint, ſentiunt ſe ſtimulari ad volendum & faciendum quod docet: vel ſi repugnent & nolint id facere; tùm ſtimulo conſcientiæ punguntur & cruciantur, quo vt ſe cruciatu liberent, abſcondunt & incarcerant quodammodo veritatem, tenent eam velut captiuam ne appareat, ne loquatur, & ne ſtimulum excitet. Hoc eſt autem quodammodo cum Herode Ioannem in vinculis tenere, quia hæc vna erat ratio cur Ioannem

Digitized by Google

Herodes vinciret & cuſtodiret in carcere. Nempe Ioannes Herodi hanc veritatem proponebat: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui:* Qua veritate cum Herodes ſe primo ſentiret commoueri ad coercendam libidinem, libido reſtitit, & in illa reſiſtentia factus eſt Herodi ſtimulus & angor mentis quem vt depelleret, captiuauit Ioannem, & in Ioanne veritatem: ne ſcilicet importuni eſſent monitores qui libidinem interturbarent. *Odium peperit veritas*, ait ſanctus Auguſtinus. *Non potuit æquo animo tolerari quod homo ſanctus monebat, qui vbique ſalutem eorum quærebat quos ſic monebat.*

Marci 6. *Serm. 10. in nouis ſerm.*

Sic igitur Ioannes in vinculis poſitus propter Veritatem cùm ſit velut imago quædam & repræſentatio ipſius Veritatis captiuatæ ab his qui eam nolunt audire, nonne hi quodammodo dici poſſunt cum Herode Ioannem in vinculis retinere?

AT vero, quæ eſt ſecunda propoſitio, multi ſic Veritatem Dei in injuſtitia ſeu in captiuitate detinent. Primo id declarat Apoſtolus de omnibus illis Gentilibus qui *cum Deum* ipſo naturæ lumine *cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt & coluerunt, ſed euanuerunt in ſuis cogitationibus.* Deinde id oſtendit etiam in Iudæis, qui cum facile poſſent noſſe Chriſtum Deum, non tamen cognouerunt quia cognoſcere noluerunt, *excæcauit enim illos malitia eorum.* Sic denique hæretici, ſchiſmatici & alij à fide orthodoxa diiuncti, qui de Chriſto audiuerunt: quin & ipſi Chriſtiani omnes qui vitam & mores Euangelio conformare nolunt, nonne ſciunt aut nonne ſcire poſſunt veritatem oppoſitam ſuo viuendi modo? Et tamen neſciunt, inquire ab eis vtrum ſe errare & peccare putent? negabunt, & audebunt affirmare quod ſi veritatem ſcirent, eam ſectarentur. Sed vt ſæpe dicendum erit, ignorantia eſt affectata, diſſimulatur veritas, incarceratur, captiuatur. *Verba oris eius qui ſic loquitur,* ait Pſaltes, *iniquitas & dolus. Noluit intelligere vt bene ageret.* Nonne vero hi multi ſunt? Nonne pene ſic omnes? Nõne tu qui hæc audis audiuiſti beatos eſſe pauperes, & miſeros diuites, beatos eſſe mites & qui perſecutionem patientur: infœlices eos contra, quos mundus fœlices vocat. Tu tamen itane ſentis? Itane te beatum putas in paupertate, & in indigentia? Itane te infœlicem in tua fœlicitate credis? At vbi Veritas illa euangelica quæ id enuntiat & prædicat?

Rom. 1. *Sap. 1.* *Pſ. 35.*

Digitized by Google

Detinetur videlicet in iniuſtitia, perperam explicatur, iniuſtè ab vnoquoque applicatur aliis & non ſibi. *Iudicium Domino cum habitatoribus terræ*, ait Propheta, *non eſt enim Veritas*; Quaſi diceret, inde iudicabuntur omnes homines quod perinde viuant ac ſi non eſſet veritas. *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis.* Oſee 4. Iob. 6.

Patet ergo quàm *Multi ſint qui cum Herode Ioannem in vinculis teneant*, cum multi ſint qui Veritatem Dei in iniuſtitia detinent, cuius veritatis defenſionem qui ſuſcipiunt ſicut repreſentantur in ſancto Ioanne, ſic illam qui captiuant, vt dictum eſt, Herodem habent prototypum quem vita exprimunt, licet ore deteſtentur. *Veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.* Pſ. 30.

AD HÆC EVANGELII VERBA.

Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Matth. 11.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Sicut ſcandalizans, ita peccat ſcandalizatus.

Id eſt. Sicut qui ſcandalizat, & auertit alium à bono, vel inducit in malum, male facit: Sic qui ſcandalizatur & ſe ſinit peruerti, tam male agit, & tam grauiter peccàt.

RATIO EST, Quia idcirco ſcandalizans peccat quòd ſit cauſa peccati alterius.

Sed qui ſcandalizatur eſt etiam cauſa ſui peccati.

Ergo ſicut ſcandalizans ita & ſcandalizatus. Quod quidem fuſius pertractatur in libris de ordine, in tertia operis parte, tomo quarto, diſcurſu 34. *vnde hæc pauca deriuamus.*

PRIMA propoſitio præſupponit ſcandalum eſſe actiuũ id eſt quo verè peruertitur alius, vel verbo, vel facto, ſiue id ioco, ſiue id ſerio fiat, *Ambulans recto itinere*, inquit Sapiẽs, *& timens Deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur via.* Iſte deſpe- Prou. 14.

Digitized by Google

ctus, iſta irriſio, iſti ſales & ioci qui in recte ambulantes contorquentur, ſcandala ſunt quibus à recto ſuo itinere reuocantur, quia nemo vult deſpici; confuſio difficile toleratur, malunt non facere bonum quàm faciendo erubeſcere. Tunc itaque dicitur ſcandalizans valde peccare, quia vt ait S. Bernardus: *Et defraudauit Dominum ſerui obſequio, & ſeruum Domini gratia.* Hoc eſt agere dæmonem & Antichriſtum, quorum hoc eſt opus & inſtitutum, bonos peruertere; Vnde illud eſt ſancti Ioannis in epiſtolis;
1. Ioan. 2. *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt. Cur ſubuertitis mentes filiorum*
Num. 32. *Iſraël,* aiebat Moſes, *nulli dubium eſt quin peccetis in Deum, & ſcitote quia peccatum veſtrum apprehendet vos.* Quale vero ſit pecca-
1. Reg. 2. tum ſic alibi declaratur, *Peccatum grande nimis coram Domino quia*
Iob. 30. *retrahebant homines à ſacrificio. Mandebant herbas & arborum cor-*
2. Mor. 15. *tices,* inquit Iob, Id eſt, vt fusè interpretatur ſanctus Gregorius, ſuis irriſionibus obſtruebant, & velut maligno radebant dente
Eccleſ. 36. quidquid boni in aliis apparebat. Hinc Sapiens: *Qui peſſimant*
Matth. 18. *plebem meam, inuenient perditionem.* Et Dominus, *Væ illi per quem*
1. Cor. 8. *ſcandalum venit:* Vnde & Apoſtolus; *Sic peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam in Chriſtum peccatis,* Et
Gal. 5. alibi. *Portabit iudicium quicumque eſt ille.* Ex quibus ſatis liquet quàm male agant qui à bono bonos auocant, aut in malum inducunt.

NVNC vero, quod eſt alterũ hic expendendum, quàm male hi etiam aut peius agant qui ſe ſinunt auocari ab aliis, eadem prorſus Ratio eſt, eademque ſcripturæ teſtimonia probant. Sunt enim perinde cauſa ſui peccati atque alij, quibus deberent reſiſtere, & quibus ſi cedunt, ſuâ culpâ cedunt, & propterea non minus quam illi aut forte grauius punientur. Nonne eſt Mundus, nonne eſt ille hoſtis qui cum carne & dæmone ſalutem noſtram oppugnat, & cui proinde non minus eſt reſiſtendum quam aliis? Quando Pater aut Mater ad malũ aliquod vellent impellere, non eſſent audiendi, quacumque propoſita pœnâ; & tu nugaces neſ-
Rom. 2. cio quos timebis offendere? An te putares excuſatum ſi te à carne aut dæmone impulſum ad peccandum excuſares? *In quo iudicas alium,* inquit Apoſtolus, *teipſum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.* Nempe cognoſcis malum eſſe quod alij faciunt, & quod nolles facere, niſi te ad illud impellerent: vnde & grauius peccas quia

Digitized by Google

quia contra lumen & conſcientiam tuam ſinis te agi & peruerti, ſicque manifeſtè creaturam præfers Creatori, & confuſionem quæ ab hominibus naſcitur magis times quam confuſionem quæ à Deo eſt, & quam expreſſa continent Chriſti verba, ***Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.*** Propterea Chriſtus Dominus vocatur *lapis offenſionis & petra ſcandali*, quia eſt cauſa obiectiua propter quam ſcandala fiunt & debent tolerari, nempe propter eius cultum propter Euangelicas Veritates quas docuit contra mundi mores & iudicia; Vnde & dicebat ipſe Dominus, ***Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.*** Id eſt qui ſuſcipit & non repellit ſcandalum, grauiter peccat & grauiter punietur: ***Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent, confuſi ſunt quoniam Deus ſpreuit eos.*** Tu times ſperni ab hominibus, & non times à Deo ſperni! Deus ille gloriæ & maieſtatis pro te tot probris & contumeliis affectus eſt, tu vero ne verbulum vllum pro illo poſſis pati! Certe hoc pauendum, nempe illa terra petroſa eſt vbi iactum ſemen perit, ſic ipſo Domino declarante; ***Qui ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud. Non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis; facta autem tribulatione & perſecutione propter verbum, continuo ſcandalizatur.*** Et quod eſt valde notandum, non tantum inde ſui eſt cauſa peccati ſicut alius à quo inducitur, ſed & alium ſcandalizat, alium confirmat in malo, quem forte conuertiſſet ſi firmus perſtitiſſet in bono, deprauat magis & roborat in ſua prauitate; Vnde illud eſt etiam Domini, ***ſcandalizabuntur & inuicem tradent***, id eſt, ſeſe mutuo ita peruertent, vt non modo boni peruertantur à peruerſis, ſed & ipſi peruerſi à bonis deficientibus magis in ſua peruerſitate confirmentur. Quò ſpectat illud Prophetæ, ***Confortaſtis manus impij, vt non reuerteretur à via ſua mala, vt viueret.*** Reuerſus nempe fuiſſet tuâ conſtantiâ & firmitate; nunc vero vix vnquam reuertetur quia videt probiores facile reſilire, nec ſe putabit magis quam illos perſeuerare poſſe.

Luc 9. · 1. Pet. 2. · Matth. 21. · Pſ. 52. · Matth 13. · Matth 24 · Ezech. 13.

SIC ergo ſicut ſcandalizans, ita & ſcandalizatus; ita vterque grauiter peccat, ſed quia ſcandalizatus minus forte agnoſcet peccatum ſuum quàm alius, idcirco ipſi eſt incumbendum dili-

Digitized by Google

gentius vt quæ dicta ſunt ponderet & ſibi applicet, tantoque magis timeat, quantò ſibi minus videt timendum. Nam ſi qui ſint ex hac vita puniti, ſcandalizatus & in errorem inductus ſæpe magis plectetur quam alius. Teſtis ille Propheta qui ſeductus ab
3. Reg. 13. alio, ſeductioni ceſſit, mox à leone deuoratus eſt in pœnam ſuæ defectionis; nec de ſeducente narratur ſumpta pœna. Vide notatum locum; & illud Apoſtoli transfer ad omnes occaſiones
Rom. 14. dandi vel accipiendi ſcandali: *Itaque quæ pacis ſunt ſectemur, & quæ ædificationis ſunt in inuicem cuſtodiamus. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei: omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat*, Id eſt, cum offendiculo & deſtructione proximi vel ſuæ ipſius conſcientiæ; *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Omne quod quis agit non perſuaſus id ſibi licere, ſed vel illicitum putans, vel dubitans vtrum liceat, peccatum eſt.
Ibid.
Aduerte diligenter: & Vide infrà die 16. Ianuarij. Feria 3. poſt Dominicam ſextam. Et in 2. parte Feria 3. poſt Dom. Septuageſima. Feria 6. poſt Dom. primam Quadrageſimæ. Feria 3. poſt Dom. quartam Quadrag. Feria 3. intra Hebd. tertiam poſt Paſcha. Et in Indice Verbo *Scandalum. Humilitas. Reſpectus humanis.*

HAC HEBDOMADE, conſideratur Annunciatio Angelica, vbi ſex gradus humilitatis annotantur.

FERIA SECVNDA.

De primo gradu humilitatis qui ex his verbis ducitur: Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Nullâ re homo quantumuis glorioſâ, gloriari poteſt.

RATIO EST, *Quia nulla res eſt hominis quam non ipſe acceperit.*

Sed nulla re accepta gloriari poteſt homo.

Digitized by Google

Ergo neque re vlla quantumuis glorioſa. Et tamen quàm multi vane gloriantur.

I. PVNCTVM.

VBI venit plenitudo temporis quo miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, primò *miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen Virginis, Maria.* Gal. 4.

Expendi ſingula poſſent, ſed illud imprimis quod dicitur, *Miſſum eſſe à Deo Angelum*, vt denotetur origo & principium beneficij Redemptionis humanæ eſſe à Deo. Agnoſce beneficium.

Sic porrò eſt de ſingulis quibuſque bonis; ſic à Deo proueniunt tanquam riui à fonte. *De cælo iſta poſſideo:* Dicebat vnus è ſeptem Machabæis. Atque hinc primus humilitatis gradus eruitur, cuius frequentior praxis in propoſita veritate conſiſtit, *Quod nullâ re homo quantumuis glorioſa gloriari poteſt.* 2. Mach 7.

Ratio eſt ita facilis & aperta vt ex ipſis verbis pateat, ſed quia in praxi longe eſt alius ſenſus, idcirco nō eſt ſegniter expendēda.

Primo itaque illud etiam atque etiam vide quàm verum ſit nullam rem eſſe hominis quam non ipſe acceperit. *Quid enim habes quod non accepiſti*, quærit Apoſtolus. Omnia bona vel ſunt temporalia, vel corporalia, vel ſpiritualia. Eſtne aliquid horum quod non acceperis? Ac de ſpiritualibus quidem nonne illud agnoſcis tanquam ex fide: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum?* De corporalibus vero, nonne cum Iobo dicis Deo, *Manus tuæ Domine fecerunt me & plaſmauerunt me totum in circuitu?* De temporalibus denique: Nonne ipſe Deus, *meum eſt*, inquit, *argentum, & meum eſt aurum?* Quàm præclare Dauid, & tu ſi ſapis cum illo, *Tua eſt Domine magnificentia & potentia, cuncta enim quæ in cælo ſunt & in terra, tua ſunt: tua diuitiæ & tua eſt gloria; tua ſunt omnia, omnis copia de manu tua eſt, & tua ſunt omnia.* 1. Cor. 4. Iacob. 1. Iob 10. Agg 2. 1. Par. 29.

II. PVNCTVM.

SED nullâ re acceptâ gloriari poteſt homo.

Sic enim conſequenter Apoſtolus, *ſi autem accepiſti, quid* 1. Cor. 4.

Digitized by Google

Sunt quidem apud homines humana hæc glorioſa, ſed non ſic apud Deum, vnde non ſunt vere glorioſa, non ſunt appetenda ſed potius contemnenda. Atque in hoc rerum humanarum contemptu ſitus eſt ſecundus humilitatis gradus qui proxime ad præcedentem accedit, hoc ſenſu, quod licet daremus homini multa ineſſe bona humana, ſeu naturalia, ſeu acquiſita, non deberet tamen in iis gloriari, quia *Nihil ex illis humanis vere eſt glorioſum*. Cum vero ſint humana illa vnde homo frequentius ſolet haurire gloriam, idcirco attentius hæc eſt Veritas expendenda ad ſolidæ humilitatis ſtudium.

Primum itaque illud conſidera quàm ſit verum quod prima propoſitione dicitur, nullam rem eſſe vere glorioſam quam non commendat Dominus. Cùm enim res non aliter dicatur glorioſa quam quod communicat homini gloriam, nulla res erit vere glorioſa, niſi veram communicet gloriam. At vero quomodo veram gloriam poſſet communicare res humana, quam non probaret & commendaret Dominus, cum vera gloria nihil ſit aliud quam ipſa Dei probatio & commendatio? Nam præterquam quod vniuerſim nulla eſt veritas in rebus, ſeu nulla res vera eſt niſi per reſpectum & relationem ad intellectum diuinum, vt ait S. Thomas, prout videlicet, ſic vere eſſe cognoſcitur ab Intellectu diuino perfectè omnia cognoſcente; hoc ſpeciatim tamen dici poteſt de gloria, quod nulla ſit vera niſi Deo approbante; quia omnis gloria non aliter oritur quam per approbationem alicuius iudicij; & quale erit iudicium, talis erit gloria; ſi falſum Iudicium, falſa gloria: ſi verum iudicium, vera gloria. Quodnam eſt autem verum iudicium niſi Diuinum? ac proinde quænam erit vera gloria, niſi quæ ex illo vero Iudicio formabitur & procedet? Vnde manifeſte patet nullam rem eſſe vere glorioſam quam non commendat Dominus; & in hunc ſenſum dixiſſe Apoſtolum, *Mihi autem pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die: qui iudicat me, Dominus eſt. Et tunc laus & gloria erit vnicuique à Deo cum iudicium de vnoquoque proferet Deus*. Vide locum Apoſtoli & eundem affectum indue.

1. p. q. 16. a. 1. & 6.

1. Cor. 4.

II. PVNCTVM.

SED *nulla res eſt in humanis quam commendat Dominus.* Si ſpectarentur res creatæ & humanæ vt ſunt creatæ &

Digitized by Google

permiſſæ à Deo, ſanè dicendus eſſet Deus illas probare & commendare: *Diligit enim omnia quæ ſunt, & nihil odit eorum quæ fecit*, vt ait ſapiens; Sed ſi conſiderentur vt ſpectantur ab hominibus vt ſunt merè humanæ & tranſitoriæ, nulla prorſus habita ratione finis ad quem referri debent: tunc vere dici poteſt nullam eſſe in humanis quam ſic commendet Dominus, ſicut eam commendant homines; cum aperte de omnibus pronunciet; *Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo quo laborat ſub ſole?* Sap. 11. Eccl. 1.

Et Chriſtus Dominus, quare omnia bona mundi contempſit & contemnenda docuit, niſi vt hoc ipſum manifeſtiſſime declararet! O formidandam Domini ſententiam in res omnes humanas; *Quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum!* Luc. 16. O quàm præclarè hoc intellexit qui dixit: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Phil. 3.

III. PVNCTVM.

RES *igitur nulla eſt in humanis vere glorioſa*; Quia nulla eſt glorioſa quam non commendat Dominus, & nulla eſt in humanis quam commendet, ſicut ſpectatur ab hominibus, humano tantum & naturali fine: Imo eas valde improbat ſeu potius eos qui in illis acquieſcunt. *Stulte! hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Luc. 12.

Contra eos autem qui inde gloriantur; *Hæc dicit Dominus, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis. Sed in hoc glorietur qui gloriatur; ſcire & noſſe me, quia Ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & iudicium & iuſtitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus.* Quaſi diceret, alia non ita placent ac probantur, in quibus magis ſolent gloriari homines. *Non eſt bona gloriatio veſtra*, inquit Apoſtolus. Tu tamen hoc vnum pene bonum ducis! Exardeſce contra; & ora cum Sapiente; *Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar; vanitatem & verba mendacia longe fac à me.* Ier. 9. 1. Cor. 5. Prou. 30.

Herodes vinciret & cuſtodiret in carcere. Nempe Ioannes Herodi hanc veritatem proponebat: ***Non licet tibi habere vxorem fratris tui:*** Quâ veritate cum Herodes ſe primo ſentiret commoueri ad coercendam libidinem, libido reſtitit, & in illa reſiſtentia factus eſt Herodi ſtimulus & angor mentis quem vt depelleret, captiuauit Ioannem, & in Ioanne veritatem: ne ſcilicet importuni eſſent monitores qui libidinem interturbarent. ***Odium peperit veritas***, ait ſanctus Auguſtinus. ***Non potuit æquo animo tolerari quod homo ſanctus monebat, qui vbique ſalutem eorum quærebat quos ſic monebat.***

Marci 6.

Serm. 10. in nouis ſerm.

Sic igitur Ioannes in vinculis poſitus propter Veritatem cùm ſit velut imago quædam & repræſentatio ipſius Veritatis captiuatæ ab his qui eam nolunt audire, nonne hi quodammodo dici poſſunt cum Herode Ioannem in vinculis retinere?

AT vero, quæ eſt ſecunda propoſitio, multi ſic Veritatem Dei in injuſtitia ſeu in captiuitate detinent. Primo id declarat Apoſtolus de omnibus illis Gentilibus qui *cum Deum* ipſo naturæ lumine *cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt & coluerunt, ſed euanuerunt in ſuis cogitationibus.* Deinde id oſtendit etiam in Iudæis, qui cum facile poſſent noſſe Chriſtum Deum, non tamen cognouerunt quia cognoſcere noluerunt, *excæcauit enim illos malitia eorum.* Sic denique hæretici, ſchiſmatici & alij à fide orthodoxa diſiuncti, qui de Chriſto audiuerunt: quin & ipſi Chriſtiani omnes qui vitam & mores Euangelio conformare nolunt, nonne ſciunt aut nonne ſcire poſſunt veritatem oppoſitam ſuo viuendi modo? Et tamen neſciunt, inquire ab eis vtrum ſe errare & peccare putent? negabunt, & audebunt affirmare quod ſi veritatem ſcirent, eam ſectarentur. Sed vt ſæpe dicendum erit, ignorantia eſt affectata, diſſimulatur veritas, incarceratur, captiuatur. *Verba oris eius qui ſic loquitur,* ait Pſaltes, *iniquitas & dolus. Noluit intelligere vt bene ageret.* Nonne vero hi multi ſunt? Nonne pene ſic omnes? Nóne tu qui hæc audis audiuiſti beatos eſſe pauperes, & miſeros diuites, beatos eſſe mites & qui perſecutionem patientur: infœlices eos contra, quos mundus fœlices vocat. Tu tamen itane ſentis? Itane te beatum putas in paupertate, & in indigentia? Itane te infœlicem in tua fœlicitate credis? At vbi Veritas illa euangelica quæ id enuntiat & prædicat?

Rom. 1.

Sap. 1.

Pſ. 35.

Digitized by Google

Detinetur videlicet in iniuſtitia, perperam explicatur, iniuſtè ab vnoquoque applicatur aliis & non ſibi. *Iudicium Domino cum habitatoribus terræ*, ait Propheta, *non eſt enim Veritas*; Quaſi diceret, inde iudicabuntur omnes homines quod perinde viuant ac ſi non eſſet veritas. *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis.* Oſee 4. Iob. 6.

Patet ergo quàm *Multi ſint qui cum Herode Ioannem in vinculis teneant*, cum multi ſint qui Veritatem Dei in iniuſtitia detinent, cuius veritatis defenſionem qui ſuſcipiunt ſicut repreſentantur in ſancto Ioanne, ſic illam qui captiuant, vt dictum eſt, Herodem habent prototypum quem vita exprimunt, licet ore deteſtentur. *Veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.* Pſ. 30.

AD HÆC EVANGELII VERBA.

Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Matth. 11.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Sicut ſcandalizans, ita peccat ſcandalizatus.

Id eſt. Sicut qui ſcandalizat, & auertit alium à bono, vel inducit in malum, male facit: Sic qui ſcandalizatur & ſe ſinit peruerti, tam male agit, & tam grauiter peccàt.

RATIO EST, *Quia idcirco ſcandalizans peccat quòd ſit cauſa peccati alterius.*

Sed qui ſcandalizatur eſt etiam cauſa ſui peccati.

Ergo ſicut ſcandalizans ita & ſcandalizatus. Quod quidem fuſius pertractatur in libris de ordine, in tertia operis parte, tomo quarto, diſcurſu 34. vnde hæc pauca deriuamus.

PRIMA propoſitio præſupponit ſcandalum eſſe actiuũ id eſt quo verè peruertitur alius, vel verbo, vel facto, ſiue id ioco, ſiue id ſerio fiat, *Ambulans recto itinere*, inquit Sapiẽs, *& timens Deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur via.* Iſte deſpe- Prou. 14.

ctus, iſta irriſio, iſti ſales & ioci qui in recte ambulantes contorquentur, ſcandala ſunt quibus à recto ſuo itinere reuocantur, quia nemo vult deſpici; confuſio difficile toleratur, malunt non facere bonum quàm faciendo erubeſcere. Tunc itaque dicitur ſcandalizans valde peccare, quia vt ait S. Bernardus: *Et defraudauit Dominum ſerui obſequio, & ſeruum Domini gratia.* Hoc eſt agere dæmonem & Antichriſtum, quorum hoc eſt opus & inſtitutum, bonos peruertere; Vnde illud eſt ſancti Ioannis in epiſtolis;
1 Ioan 2. *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt. Cur ſubuertitis mentes filiorum*
Num. 32. *Iſraël,* aiebat Moſes, *nulli dubium eſt quin peccetis in Deum, & ſcitote quia peccatum veſtrum apprehendet vos.* Quale vero ſit pecca-
1. Reg. 2. tum ſic alibi declaratur, *Peccatum grande nimis coram Domino quia*
Iob. 30. *retrahebant homines à ſacrificio. Mandebant herbas & arborum cor-*
2. Mor. 15. *tices,* inquit Iob, Id eſt, vt fusè interpretatur ſanctus Gregorius, ſuis irriſionibus obſtruebant, & velut maligno radebant dente
Eccleſi 36. quidquid boni in aliis apparebat. Hinc Sapiens: *Qui peſſimant*
Matth. 18. *plebem meam, inuenient perditionem.* Et Dominus, *Væ illi per quem*
1. Cor. 8. *ſcandalum venit:* Vnde & Apoſtolus; *Sic peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam in Chriſtum peccatis,* Et
Gal. 5. alibi. *Portabit iudicium quicumque eſt ille.* Ex quibus ſatis liquet quàm male agant qui à bono bonos auocant, aut in malum inducunt.

NVNC vero, quod eſt alterũ hîc expendendum, quàm male hi etiam aut peius agant qui ſe ſinunt auocari ab aliis, eadem prorſus Ratio eſt, eademque ſcripturæ teſtimonia probant. Sunt enim perinde cauſa ſui peccati atque alij, quibus deberent reſiſtere, & quibus ſi cedunt, ſuâ culpâ cedunt, & propterea non minus quam illi aut forte grauius punientur. Nonne eſt Mundus, nonne eſt ille hoſtis qui cum carne & dæmone ſalutem noſtram oppugnat, & cui proinde non minus eſt reſiſtendum quam aliis? Quando Pater aut Mater ad malũ aliquod vellent impellere, non eſſent audiendi, quacumque propoſita pœnâ; & tu nugaces neſ-
Rom. 2. cio quos timebis offendere? An te putares excuſatum ſi te à carne aut dæmone impulſum ad peccandum excuſares? *In quo iudicas alium,* inquit Apoſtolus, *teipſum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.* Nempe cognoſcis malum eſſe quod alij faciunt, & quod nolles facere, niſi te ad illud impellerent: vnde & grauius peccas quia

Digitized by Google

quia contra lumen & conſcientiam tuam ſinis te agi & peruerti, ſicque manifeſtè creaturam præfers Creatori, & confuſionem quæ ab hominibus naſcitur magis times quam confuſionem quæ à Deo eſt, & quam expreſſa continent Chriſti verba, *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Propterea Chriſtus Dominus vocatur *lapis offenſionis & petra ſcandali*, quia eſt cauſa obiectiua propter quam ſcandala fiunt & debent tolerari, nempe propter eius cultum propter Euangelicas Veritates quas docuit contra mundi mores & iudicia; Vnde & dicebat ipſe Dominus, *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.* Id eſt qui ſuſcipit & non repellit ſcandalum, grauiter peccat & grauiter punietur: *Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent, confuſi ſunt quoniam Deus ſpreuit eos.* Tu times ſperni ab hominibus, & non times à Deo ſperni! Deus ille gloriæ & maieſtatis pro te tot probris & contumeliis affectus eſt, tu vero ne verbulum vllum pro illo poſſis pati! Certe hoc pauendum, nempe illa terra petroſa eſt vbi iactum ſemen perit, ſic ipſo Domino declarante; *Qui ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud. Non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis; facta autem tribulatione & perſecutione propter verbum, continuo ſcandalizatur.* Et quod eſt valde notandum, non tantum inde ſui eſt cauſa peccati ſicut alius à quo inducitur, ſed & alium ſcandalizat, alium confirmat in malo, quem forte conuertiſſet ſi firmus perſtitiſſet in bono, deprauat magis & roborat in ſua prauitate; Vnde illud eſt etiam Domini, *ſcandalizabuntur & inuicem tradent*, id eſt, ſeſe mutuo ita peruertent, vt non modo boni peruertantur à peruerſis, ſed & ipſi peruerſi à bonis deficientibus magis in ſua peruerſitate confirmentur. Quò ſpectat illud Prophetæ, *Confortaſtis manus impij, vt non reuerteretur à via ſua mala, vt viueret.* Reuerſus nempe fuiſſet tuâ conſtantiâ & firmitate; nunc vero vix vnquam reuertetur quia videt probiores facile reſilire, nec ſe putabit magis quam illos perſeuerare poſſe.

Luc 9. · *1. Pet. 2.* · *Matth. 21.* · *Pſ. 52.* · *Matth 13.* · *Matth 24* · *Ezech. 13.*

SIC ergo ſicut ſcandalizans, ita & ſcandalizatus; ita vterque grauiter peccat, ſed quia ſcandalizatus minus forte agnoſcet peccatum ſuum quàm alius, idcirco ipſi eſt incumbendum dili-

Digitized by Google

gentius vt quæ dicta ſunt ponderet & ſibi applicet, tantoque magis timeat, quantò ſibi minus videt timendum. Nam ſi qui ſint ex hac vita puniti, ſcandalizatus & in errorem inductus ſæpe magis plectetur quam alius. Teſtis ille Propheta qui ſeductus ab
3. Reg. 13. alio, ſeductioni ceſſit, mox à leone deuoratus eſt in pœnam ſuæ defectionis; nec de ſeducente narratur ſumpta pœna. Vide notatum locum; & illud Apoſtoli transfer ad omnes occaſiones
Rom. 14. dandi vel accipiendi ſcandali: *Itaque quæ pacis ſunt ſectemur, & quæ ædificationis ſunt in inuicem cuſtodiamus. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei: omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat*, Id eſt, cum offendiculo & deſtructione proximi vel ſuæ ipſius conſcientiæ; *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Omne quod quis agit non perſuaſus id ſibi licere, ſed vel illicitum putans, vel dubitans vtrùm liceat, peccatum eſt. Aduerte diligenter: & Vide infrà die 16. Ianuarij. Feria 3. poſt Dominicam ſextam. Et in 2. parte Feria 3. poſt Dom. Septuageſima. Feria 6. poſt Dom. primam Quadrageſimæ. Feria 3. poſt Dom. quartam Quadrag. Feria 3. intra Hebd. tertiam poſt Paſcha. Et in Indice Verbo *Scandalum. Humilitas. Reſpectus humanis.*

Ibid.

HAC HEBDOMADE, conſideratur Annunciatio Angelica, vbi ſex gradus humilitatis annotantur.

FERIA SECVNDA.

De primo gradu humilitatis qui ex his verbis ducitur: Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Nullâ re homo quantumuis glorioſâ, gloriari poteſt.

RATIO EST, Quia nulla res eſt hominis quam non ipſe acceperit.

Sed nulla re accepta gloriari poteſt homo.

Ergo neque re vlla quantumuisglorioſa. Et tamen quàm multi vane gloriantur.

I. PVNCTVM.

VBI venit plenitudo temporis quo miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, primò *miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilea cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen Virginis, Maria.* Gal. 4.

Expendi ſingula poſſent, ſed illud imprimis quod dicitur, *Miſſum eſſe à Deo Angelum*, vt denotetur origo & principium beneficij Redemptionis humanæ eſſe à Deo. Agnoſce beneficium.

Sic porrò eſt de ſingulis quibuſque bonis; ſic à Deo proueniunt tanquam riui à fonte. *De cælo iſta poſſideo*: Dicebat vnus è ſeptem Machabæis. Atque hinc primus humilitatis gradus eruitur, cuius frequentior praxis in propoſita veritate conſiſtit, *Quod nullâ re homo quantumuis glorioſa gloriari poteſt.* 2. Mach 7.

Ratio eſt ita facilis & aperta vt ex ipſis verbis pateat, ſed quia in praxi longe eſt alius ſenſus, idcirco nõ eſt ſegniter expendẽda.

Primo itaque illud etiam atque etiam vide quàm verum ſit nullam rem eſſe hominis quam non ipſe acceperit. *Quid enim habes quod non accepiſti*, quærit Apoſtolus. Omnia bona vel ſunt temporalia, vel corporalia, vel ſpiritualia. Eſtne aliquid horum quod non acceperis? Ac de ſpiritualibus quidem nonne illud agnoſcis tanquam ex fide: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum?* De corporalibus vero, nonne cum Iobo dicis Deo, *Manus tuæ Domine fecerunt me & plaſmauerunt me totum in circuitu?* De temporalibus denique: Nonne ipſe Deus, *meum eſt*, inquit, *argentum, & meum eſt aurum?* Quàm præclare Dauid, & tu ſi ſapis cum illo, *Tua eſt Domine magnificentia & potentia, cuncta enim quæ in cælo ſunt & in terra, tua ſunt: tua diuitiæ & tua eſt gloria; tua ſunt omnia, omnis copia de manu tua eſt, & tua ſunt omnia.* 1. Cor. 4. Iacob. 1. Iob 10. Agg 2. 1. Par. 29.

II. PVNCTVM.

SED nullâ re acceptâ gloriari poteſt homo.

Sic enim conſequenter Apoſtolus, *ſi autem accepiſti, quid* 1. Cor. 4.

gloriaris, quaſi non acceperis? Sic & S. Cyprianus: *In nullo glo-*
l. 3. ad Quir. 4. *riandum quando noſtrum nihil eſt*; Si quid enim mutuo accepiſſes vel tanquam depoſitum; an illo gloriari velles, aut poſſes tanquam tuo? Sic cogita de re quacunque tua, ſic eſſe tuam tanquam non ſit tua. Nam primò non aliter accepiſti, quàm vt eam reddas, quoties repetet Ille à quo accepiſti. Deinde quicquid ſit quod acceperis magis eſt in poteſtate & dominio Dei, ſiue vt conſeruetur in eſſe ſuo, ſiue vt deſtruatur & pereat, quàm in tua poteſtate, vnde magis illud eſt Dei quam tuum. Denique quomodocumque tuum ſit, ſic eſt tibi datum à Deo vt prouenientem inde gloriam ſibi reſeruarit, atque ita illud quantum ad gloriam ſic conſiderare debes tanquam non tuum, quia reuera non eſt tuum, vt inde glorieris. Neque tu ipſe ita tuus es vt de te ipſo gloriam ſumas, cum te tuaque omnia ad Deum velut ad finem referre debeas, vt ipſe toties & tam manifeſte tibi ſignifica-
Iſa. 48. tum voluit: *Propter me propter me faciam vt non blaſphemer, & gloriam meam alteri non dabo. At ego*, inquit ſuperbus, *mihi*
S. Bern. ſerm 4. in Nat. Dom. *eam, licet non dederis, vſurpabo.* O deteſtandam ſuperbiam.

III. PVNCTVM.

N*VLLA re igitur homo, quantumcumque glorioſa, gloriari poteſt:* Quia nulla res eſt quam non acceperit, & nulla re accepta gloriari poteſt, quia ſemper manet in dominio illius à quo eam accepit, & cui debet reddere, quoties repetet: nec denique alio fine eam accepiſſe potuit quam vt omnem inde prouenien-
1. Cor. 3. tem gloriam illi referret. Sic præclare Apoſtolus, *Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? Miniſtri eius cui credidiſtis, & vnicuique ſicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit; Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.*

Ah quoties contra peccaſti! quàm graue illud peccatum! quid inde damni! quid periculi! quid remedij! Hæc reuolue atten-
Eccl. 10. tius: audi ſapientem, *Noli extollere te in faciendo opere tuo.* Et quid-
2. Cor. 3. quid egeris ſemper illud Apoſtoli cogita, *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Digitized by Google

FERIA TERTIA.

DE SECVNDO HVMILITATIS GRADV AD HAEC ANGELI VERBA.

Aue gratia plena, Dominus tecum. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Nulla res eſt in humanis verè glorioſa.

RATIO EST, Quia nulla res eſt vere glorioſa quam non commendat Dominus.

Sed nulla res eſt in humanis quam commendat Dominus.

Ergo nulla res eſt in humanis vere glorioſa. Et tamen in his majorem ſuam homines conſtituunt gloriam!

I. PVNCTVM.

SIC intuere animo aduolantem Virgini Angelum, vt magis Eum loquentem audias; ſic vero loquentem audi vt magis mireris quid non loquatur quam quid loquatur. Cur enim laudaturus Virginem tot laudis argumenta ſilet? Cur nihil de eius pulchritudine? nihil de eius nobilitate? nihil de ſcientia? nihil de poteſtate? nihil denique de cæteris humanis donis quibus Illa plene abundat! Eſto; ſit gratia plena, eſto ſit hoc glorioſum & magnificum. At nonne etiam naturalibus & humanis erat plena donis? nonne hæc etiam glorioſa & commendanda? O Iudicia Dei & hominum quam longe diuerſa ſunt! *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ* Iſ. 55. *veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus: quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.*

Digitized by Google

Sunt quidem apud homines humana hæc glorioſa, ſed non ſic apud Deum, vnde non ſunt vere glorioſa, non ſunt appetenda ſed potius contemnenda. Atque in hoc rerum humanarum contemptu ſitus eſt ſecundus humilitatis gradus qui proxime ad præcedentem accedit, hoc ſenſu, quod licet daremus homini multa ineſſe bona humana, ſeu naturalia, ſeu acquiſita, non deberet tamen in iis gloriari, quia *Nihil ex illis humanis vere eſt glorioſum*. Cum vero ſint humana illa vnde homo frequentius ſolet haurire gloriam, idcirco attentius hæc eſt Veritas expendenda ad ſolidæ humilitatis ſtudium.

Primum itaque illud conſidera quàm ſit verum quod prima propoſitione dicitur, nullam rem eſſe vere glorioſam quam non commendat Dominus. Cùm enim res non aliter dicatur glorioſa quam quod communicat homini gloriam, nulla res erit vere glorioſa, niſi veram communicet gloriam. At vero quomodo veram gloriam poſſet communicare res humana, quam non probaret & commendaret Dominus, cum vera gloria nihil ſit aliud quam ipſa Dei probatio & commendatio? Nam præterquam quod vniuerſim nulla eſt veritas in rebus, ſeu nulla res vera eſt niſi per reſpectum & relationem ad intellectum diuinum, vt ait
1. p. q. 16. a. 1. & 6. S. Thomas, prout videlicet, ſic vere eſſe cognoſcitur ab Intellectu diuino perfectè omnia cognoſcente; hoc ſpeciatim tamen dici poteſt de gloria, quod nulla ſit vera niſi Deo approbante; quia omnis gloria non aliter oritur quam per approbationem alicuius iudicij; & quale erit iudicium, talis erit gloria; ſi falſum Iudicium, falſa gloria: ſi verum iudicium, vera gloria. Quodnam eſt autem verum iudicium niſi Diuinum? ac proinde quænam erit vera gloria, niſi quæ ex illo vero Iudicio formabitur & procedet? Vnde manifeſte patet nullam rem eſſe vere glorioſam quam non commendat Dominus; & in hunc ſenſum dixiſſe
1. Cor. 4. Apoſtolum, *Mihi autem pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die: qui iudicat me, Dominus eſt. Et tunc laus & gloria erit vnicuique à Deo cum iudicium de vnoquoque proferet Deus.* Vide locum Apoſtoli & eundem affectum indue.

II. PVNCTVM.

S*ED nulla res eſt in humanis quam commendat Dominus.* Si ſpectarentur res creatæ & humanæ vt ſunt creatæ &

Digitized by Google

permiſſæ à Deo, ſanè dicendus eſſet Deus illas probare & commendare : *Diligit enim omnia quæ ſunt, & nihil odit eorum quæ fecit*, vt ait ſapiens ; Sed ſi conſiderentur vt ſpectantur ab hominibus vt ſunt merè humanæ & tranſitoriæ, nulla prorſus habita ratione finis ad quem referri debent : tunc vere dici poteſt nullam eſſe in humanis quam ſic commendet Dominus, ſicut eam commendant homines ; cum aperte de omnibus pronunciet ; *Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo quo laborat ſub ſole?* Sap. 11. Eccl. 1.

Et Chriſtus Dominus, quare omnia bona mundi contempſit & contemnenda docuit, niſi vt hoc ipſum manifeſtiſſime declararet ! O formidandam Domini ſententiam in res omnes humanas ; *Quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum!* Luc. 16. O quàm præclarè hoc intellexit qui dixit : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Phil. 3.

III. PVNCTVM.

R*ES igitur nulla eſt in humanis vere glorioſa* ; Quia nulla eſt glorioſa quam non commendat Dominus, & nulla eſt in humanis quam commendet, ſicut ſpectatur ab hominibus, humano tantum & naturali fine : Imo eas valde improbat ſeu potius eos qui in illis acquieſcunt. *Stulte ! hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* Luc. 12.

Contra eos autem qui inde gloriantur ; *Hæc dicit Dominus, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis. Sed in hoc glorietur qui gloriatur ; ſcire & noſſe me, quia Ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & iudicium & iuſtitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus.* Quaſi diceret, alia non ita placent ac probantur, in quibus magis ſolent gloriari homines. *Non eſt bona gloriatio veſtra*, inquit Apoſtolus. Tu tamen hoc vnum pene bonum ducis ! Exardeſce contra ; & ora cum Sapiente ; *Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar ; vanitatem & verba mendacia longe fac à me.* Ier. 9. 1. Cor. 5. Prou. 30.

Digitized by Google

FERIA QVARTA.

DE TERTIO HVMILITATIS GRADV QVI APPARET IN TVRBATA VIRGINE, AD LAVDES SVAS.

Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Ad laudes noſtras tremere potius conuenit, quàm exultare.

RATIO EST, Quia in tentatione & periculo peccati tremendum eſt potius quàm exultandum.

Sed laudes noſtræ, noſtræ ſunt tentationes; noſtra ſunt peccandi pericula.

Ergo in his tremendum potius quàm exultandum. Quod tamen rarum eſt.

I. PVNCTVM.

PRIMO illud eſt ſupponendum quod ait S. Bernardus de Beatiſſima Virgine, *turbata eſt, ſed non perturbata.* Deinde audiendi ſunt ſancti Patres atque Interpretes, qui hanc turbationem ad humilitatem eius præcipue referunt. *De apparitione Angeli non fuit turbata,* inquit Lyranus, *ſed de ſalutatione inſolita, quia nihil mirabilius eſt vere humili, quàm ſua exaltatio. Erat cogitans cum verecundia quia pauebat,* ait S. Ambroſius. Sed quid pauebat? Laudes ſcilicet ſuas. Licet enim ab his, neque ab vllo obiecto induceretur in peccatum: ſic ſe tamen vbique

vbique gerebat & cóntinebat, ſicut ſi peccatis eſſet obnoxia, vt nos ſcilicet peccatores ſic diſceremus nobis cauere, ſic diſceremus humilitatem conſeruare, tremendo potius ſicut Illa tremuit, ad Laudes noſtras, quàm exultando, ſicut cæteri hominum ſolent exultare, atque vt ita exultent ſe mutuis celebrant laudibus : *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi!* Iob. 21.

Tu contrà contemplare attentius Veritatem propoſitam, cuius Ratio eſt euidens, quia in tentatione & periculo peccati, tremendum nobis eſt potius quàm exultandum. Nam ſi credimus peccatum eſſe malum vt fides docet : & ſi ad apprehenſionem mali tremimus, vt natura experitur, quid ſequitur niſi timor & tremor in tali periculo, *quaſi à facie colubri*, vel Leonis, & ſicut Eccleſ. 21. aiebat Dauid, *Timor & tremor venerunt ſuper me.* Licet vero non Pſal. 54. ſentiatur ille tremor quia peccatum non eſt malum ſenſibile, perinde tamen in effectu ſentiri ſuo modo debet, ſicut in affectu. *Si Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* Reſponde, & niſi ſit timor in periculo peccati, reſponde nullum in te eſſe timorem Dei, quia vt Ipſe ait in ſcripturis : *Timor Domini expellit peccatum.* Eccleſ. 1.

II. PVNCTVM.

SED laudes noſtræ, noſtræ ſunt tentationes, noſtra ſunt peccandi pericula. Sic aperte Sapiens ; *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo, ore laudantis.* Et Prou. 27. S. Auguſtinus, *tentamur*, inquit, *his tentationibus quotidie Domine, ſine ceſſatione tentamur, quotidiana fornax noſtra eſt humana lingua.* Et rurſum : *Facta quæ innoteſcunt hominibus, habent tentationem periculoſiſſimam ab amore laudis.* Quid eſt enim tentari niſi ſollicitari & impelli in peccatum ? At quis neſciat ex auditis Laudibus facilem eſſe lapſum in ſuperbiam, in vanitatem & præſumptionem animi, quæ cum manifeſtiſſime peccata ſint, conſequens eſt vt Laudes quæ nos in illa inducunt, tentationes ſint & peccandi pericula. 10. Conf. 37 Ibid. 38.

Quamobrem quod dixit Sapiens, *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*, ſic S. Maximus apte interpretatur, *Ne laudantem adulatio moueat, nec laudatum tentet elatio.* Vnde & Propheta grauiter : *Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam* Iſ. 3. Eccl. 11. Hom. 59.

Digitized by Google

greſſuum tuorum diſſipant. Ah cœci & miſeri! ſic volumus decipi & diſſipari!

III. PVNCTVM.

AD laudes ergo noſtras tremere potius conuenit quàm exultare. Nemo enim ſanus exultet in damni eminentis periculo: Nemo tum ſapiens, non ſibi caueat, cùm vel in hoc ſapientis &

Prou. 14. ſtulti ponatur diſcrimen. *Sapiens*, inquit ſcriptura, *timet & declinat à malo, ſtultus tranſilit & confidit*. Sic ſapienter S. Augu-

10. Conf. 37 ſtinus: *Contriſtor laudibus meis, cum vel ea laudantur in me, in quibus ipſe mihi diſpliceo; vel etiam minora bona & leuiora pluris æſtimantur, quàm æſtimanda ſint*. Itemque alibi ad rem noſtram ap-

Serm. 5 de verbis Dñi. tiſſime: *Laudes iſtæ veſtræ grauant nos potius, & in periculum mittunt, toleramus illas, & tremimus inter illas*.

21. Mor. 9. Sic S. Gregorius: *neceſſe eſt*, inquit, *vt cùm audientium vtilitati non proficit, mentem noſtram fama laudabilis non eleuet ſed fatiget*.

in c. 31. Iobi. Quo de argumento Idem fuſiſſime in illud Iobi, *ſi vidi ſolem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum*: quæ omnia applicantur vanitati & ſuperbiæ.

Itane vero ſentis tam graue eſſe peccatum? Hic duplex error eſt quem committis; vel enim non putas te ita ſuperbum & vanum; vel tuam ſuperbiam & vanitatem tam graue eſſe pec-

Iacob. 4. catum. Contra vero audi S. Iacobum, *Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris, omnis exultatio talis maligna eſt*. Expende ſingula. Sicut enim tuum eſt quod dicit, *exultatis*, ſic plane quod adiungit, *omnis exultatio talis maligna eſt*.

FERIA QVINTA.

DE QVARTO HVMILITATIS GRADV CONSIDERANDO IN HIS MARIAE AD ANGELVM VERBIS.

Digitized by Google

Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Humilitas ita pugnat cum honoribus, vt non repugnet Obedientiæ.

RATIO EST, Quia humilitas ita pugnat cum honoribus, vt non repugnet Diuinæ Voluntati.
Sed ſi repugnaret Obedientiæ, repugnaret Diuinæ Voluntati.
Ergo ita pugnat cum honoribus, vt non repugnet Obedientiæ. Quod humilitatis Cultoribus imprimis conſiderandum eſt.

I. PVNCTVM.

QVOD erat Annuntiationis Angelicæ præcipuũ caput de concipiendo & pariendo Altiſſimi Filio, poſtquã audiuit humillima virgo: *Quomodo*, inquit, *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* quaſi diceret ſi hoc ita eſt ordinatum à Deo vt concipiam filium non repugno diuinæ ordinationi, & parebo ſtatim atque cognouero quomodo Virgo poſſit concipere ſine viro. *Faciendum credit*, inquit S. Ambroſius, *quæ quomodo fiet, quærit. Legerat, Ecce Virgo concipiet, ideo futurum credidit: ſed quomodo fieret, non legerat.*

Hinc autem eruitur Veritas valde practica, plurimúmque conſideranda, *Quòd ita humilitas pugnat cum honoribus, vt non ſit pertinax nec repugnet obedientiæ.* Quia videlicet non repugnat Diuinæ Voluntati. Quid clarius? Quomodo enim humilitas virtus eſſet, & acceptiſſima Deo, ſi Deo repugnaret? Aut quomodo fieri poſſet vt Deo repugnaret, cùm non pugnet tàm acriter cum honoribus, niſi quia perſuaſum habet honores pugnare cum Deo? Siue vt clarius dicamus, non repugnet honoribus, niſi vt ne repugnet Deo, acceptando honores quos ipſe in ſcripturis tam ſæpe improbat. *Noli quærere à Domino ducatum: neque à rege cathedram honoris. Nolite in ſublime tolli.* Hinc ſanctus Auguſtinus, *Imperas nobis & in hoc genere continentiam, Da quod*

Eccleſ. 7. Luc. 12.

10 Conf. 37 *iubes, & iube quod vis. Tu nôſti de hàc re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum.* Ne ſcilicet plus vel minus honoris quàm vellet Deus, ſibi aſſumeret. Itane tu gemis propterea?

II. PVNCTVM.

SED *ſi Humilitas repugnaret Obedientiæ, repugnaret Diuinæ Voluntati.*

Non eſt enim alia certior via cognoſcendæ diuinæ Voluntatis, quàm per Obediētiam quæ legitimis redditur Superioribus, Rom. 13. per quos nos ita certo Deus regit, *Vt qui poteſtati reſiſtat*, inquit Apoſtolus, *Dei ordinationi reſiſtat; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Quæ quidem ab Apoſtolo dicta ſunt de Cap 26. Conſt. mon. iis principibus quorum vita tota erat impietas, vt ait S. Baſilius qui inde manifeſte colligendum docet, quàm potiori iure dicendum ſit, illum ordinationi & voluntati diuinæ obedire vel reſiſtere, qui Præpoſitis, quos vocat ſpirituales, obediuerit vel reſtiterit.

Neque alia de cauſa dictum putat ſanctus Gregorius à Scri- 1. Reg. 15. ptura, *Meliorem eſſe Obedientiam quàm victimas, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus Idololatriæ, nolle acquieſcere.* Sic enim ſcribit in hæc verba: *Qui repugnant Prælatorum imperiis, ideo vtique repugnant, quia diuinam voluntatem ſe ſcire melius æſtimant: Quaſi ergo peccatum ariolandi eſt repugnare, quia velut contempto diuino altari ad aras Dæmonum reſponſa percipiunt, dum cordis ſui præſtigioſis ac ſuperbis adinuentionibus credunt, & ſalubribus Prælatorum conſiliis contraria ſentiendo, refragantur.* Ex quibus quidem verbis non modo patet quàm verum ſit quod qui repugnet Obedientiæ, repugnet Diuinæ Voluntati; ſed quàm graue ſit & pernicioſum, ſic repugnare. Expende hanc grauitatem. Reformida periculum. Et propterea vide, ſi vacat quæ de hoc ipſo ſcripturæ loco fuſius habentur in 2. parte, ſabbato infra Hebdomadam quartam Paſchæ.

III. PVNCTVM.

HVMILITAS *igitur ſic pugnat cum honoribus, vt non repugnet Obedientiæ*, Ne repugnet diuinæ voluntati, quæ per

Digitized by Google

obedientiam declaratur. Quæ quidem cum Deo repugnantia tam aliena eſt à vera humilitate, vt quod ſcribit S. Bernardus, *Totius humilitatis ſumma in eo videatur conſiſtere, ſi voluntas noſtra Diuinæ Voluntati ſubiecta ſit; ſicut ait Propheta, nonne Deo ſubiecta erit anima mea?* *Serm. quod voluntas noſtra diu. vol. ſubd.*

In quam ſententiam ſic apte S. Gregorius: *Sunt nonnulli qui ex ſola humilitate refugiunt, ne eis quibus impares ſe æſtimant, præferantur; quorum profectò humilitas ſi cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera eſt, cum ad reſpuendum hoc quod vtiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt. Neque enim vere humilis eſt qui ſuperni nutus arbitrio vt debeat præeſſe intelligit, & tamen præeſſe contemnit: ſed diuinis diſpoſitionibus ſubditus, atque à vitio obſtinationis alienus, cum ſibi regiminis culmen imperatur, ſi iam donis præuentus eſt, quibus & aliis præſit, & ex corde debet fugere, & inuitus obedire.* Quod ſequenti capite confirmat exemplo Moyſis, *qui præeſſe*, inquit, *tantæ multitudini & noluit & obediuit. Superbus enim fortaſſe eſſet, ſi ducatum plebis innumeræ ſine trepidatione ſuſciperet, & rurſum ſuperbus exiſteret, ſi Authoris imperio obedire recuſaret. Vtrobique ergo humilis, vtrobique ſubiectus, & præeſſe populis ſemetipſum metiendo noluit; & tamen de imperantis viribus præſumendo conſenſit.* Idipſumque repetit in epiſtolis, *Nec ad appetendum locum procax inſiſtere, nec ad repellendum contumax debet inueniri. Vnde indignus ego ad ſuſcipienda Epiſcopatus onera, iuſſioni Omnipotentis Dei, veſtraque me voluntati ſubdidi.* *1 p. paſtor. c. 6.* *c. 7.* *Ep. 31.*

Sic denique ipſe Chriſtus Dominus, *accipiens*, vt ait S. Petrus, *à Deo Patre honorem & gloriam*, docuit nos ſic eſſe humiles in honoribus fugiendis & acceptandis, vt in vtroque vnicam ſpectemus Dei voluntatem. *Per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*, prout ipſe Dominus ordinarit. *2. Pet. 1.* *2. Cor. 6.*

Itane te comparas ad vtrumque indifferenter ex hoc motiuo? Vide ne ſuperbus ſis in ipſis honoribus aliquando fugiendis: & quanto magis in acceptandis? *Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo.* Caue. *Eccleſ. 19.*

Digitized by Google

FERIA SEXTA.

DE QVINTO HVMILITATIS GRADV, QVI EST MAXIME PROPRIVS BEATISSIMAE VIRGINI.

Ecce Ancilla Domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Quò quis eſt maior, eò & humilior.

RATIO EST, Quia quò quis ſe magis obſtrictum Deo ſentit, eò eſt humilior.

Sed quò quis eſt major, eò ſe magis obſtrictum Deo ſentit, ſi vere ſentit.

Ergo & eſt humilior. Aut certe humilior eſſe debet, vel major eſſe deſinit.

I. PVNCTVM.

VIDE *humilitatem; Ancillam ſe dicit quæ Mater eligitur; decebat humilitatem proferre, quæ Humilem erat paritura.* Sic paucis S. Ambroſius. Fuſius vero S. Bernardus, admirans quod in Actis Apoſtolorum non niſi poſt alias mulieres nominatur, *Itane,* inquit, *& mulierum ſeſe vltimam exhibebat vt nouiſſima omnium poneretur?* Et poſt pauca, *Cùm Maria, quantò maior erat, humiliaret ſe, non modò de omnibus, ſed & præ omnibus; merito facta eſt nouiſſima prima, quæ prima cùm eſſet omnium, ſeſe nouiſſimam faciebat. Merito facta eſt omnium Domina, quæ ſe omnium faciebat ancillam. Merito denique ſuper Angelos exaltata eſt, quæ & infra viduas & pænitentes, infra eam de qua ſeptem eiecta fuerant dæ-*

Act. 1. Ser. de verb. Apoc. ſignum magnum.

Digitized by Google

monia ineffabili ſeſe manſuetudine inclinabat. Illud videlicet legerat quod ait Sapiens, quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Eccleſi. 3.

Atque hinc nata Veritas modo expendenda, *Vt quò quis eſt major, eò ſit humilior :* Quia videlicet quò quis ſe magis obſtrictum Deo ſentit, eò eſſe humiliorem decet. Nam cum humilitati hoc ſit maxime proprium & eſſentiale vt hominem ſubijciat Deo, quid potentius ad hanc ſubiectionem magis promouendam quam ſi quis ſe agnoſcat magis illi obſtrictum ? Tum enim ſi generoſus eſt animus, gratitudo eum mouet ad agnoſcendum Benefactorem ſuum : aut ſi degener & ignauus eſt, ſaltem timet ne eò grauius peccet & puniatur quò maiorem habebat obligationem non peccandi. *Quem maxime diligebam, auerſatus eſt me!* Iob. 19. Hoc nimis inhumanum.

Adde quod cum procliuius ſit & periculoſius ex multis & magnis acceptis donis ſuperbire & efferri, periculum illud cautiorem merito quemquam reddit & ſibi attentiorem, ne labatur ; vnde illi qui vacat proximo recuperando, maxime commendatur, *Attende tibi ne incidas.* Eccl. 19.

Denique cùm Dei opera ſint perfecta, quoties augetur Caritas, toties augeatur neceſſe eſt humilitas, velut radix in arbore, aut velut pedes in humano corpore ; cum alioquin cætera ſuperpoſita ruerent, & fieret illius hominis ruina magna. Hinc apte ſapiens ; *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam :* Niſi ſcilicet par fundamentum iaciat. Itane tibi prouides ! Prou. 17.

II. PVNCTVM.

S*ED quò quis eſt maior, eo ſe magis obſtrictum Deo ſentit, ſi vere ſentit & iudicat.* Nam vnde eſt illa magnitudo, niſi à Deo? *Non poteſt homo accipere quicquam,* inquit S. Ioannes, *niſi fuerit ei datum de cælo.* Et quomodo quis eſſet magnus niſi hoc agnoſceret, quod paruos ne quidem latet ? Quomodo autem id agnoſceret, niſi ſe propterea magis obſtrictum ſentiret, cum mera ſit Dei Bonitas & Miſericordia, quod ſit illis donis præuentus ? *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex Ipſo & per Ipſum & in Ipſo ſunt omnia, Ipſi gloria in ſæcula, Amen.* Nonne id agnoſcis cum Apoſtolo ? Vis illud etiam ſancti Auguſtini di- Ioan. 3. Rom. 11.

Digitized by Google

In Pſ. 30. ctum: *Quia merita tua non præceſſerunt: ſed beneficia Dei te præuenerunt.*

III. PVNCTVM.

Qvò quis eſt igitur maior, eò & humilior: Quia magis eſt obligatus Deo, ſiue ob accepta bona, ſiue ob eorum rationem reddendam. *Cum enim augentur dona*, inquit S. Gregorius, *rationes etiam creſcunt donorum. Tanto ergo eſſe humilior atque ad ſeruiendum promptior quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorem conſpicit in reddenda ratione.* Et licet illa reddendæ rationis abeſſet obligatio, ſola Dei maior cognitio & Caritas hanc maiorem humilitatem ſecum adueheret, quia quò certe Deus magis cognoſcitur & amatur, eò minus coli & amari quàm par eſt, agnoſcitur, ac proinde magis ſe humiliat, qui magis amat; Vnde eſt illud Cantici Canticorum; *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet illam.* Sic qui ardentiores ſunt in Caritate, ac propterea Seraphim dicti ſunt, ſunt humiliores & præ humilitate, caput pedeſque velant, *vt quod deeſt affectui*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *hoc velo obtegant.*

Hom 9. in Euang. — Cant. 8. — Iſ. 6.

O quam longe ſumus ab hoc ſtatu, ait idem Sanctus, ſi quid forte ſanctius fiat, totum hoc exhaurit ſuperbia! Sunt nimirum quamplurimi ſimiles illi Statuæ, cuius caput erat ex auro optimo pectus & brachia ex argento, venter & femora ex ære: ſed pars quædam pedum fictilis, vbi percuſſa ſtatua ſtatim corruit, & comminuta eſt. Ob uuntur ſcilicet Dei donis, qui non inde magis humiliantur, vt illa ſuſtineant & ipſi ſuſtententur. *Deieciſti eos dum alleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem! ſubito defecerunt: perierunt propter iniquitatem ſuam. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus!*

L. 1. de Compunct. — Dan. 2. — Pſ. 72. — Iſ. 14. — Thren. 4.

SABBATO

Digitized by Google

SABBATO

DE SEXTO HVMILITATIS GRADV IN VERBO INCARNATO.

Et Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis. Io. 1.

VERITAS PRACTICA.

Se anteponit Chriſto, qui ſe omnibus non poſtponit.

RATIO EST, Quia qui ſe illi præfert quem Chriſtus ſibi præponit, ſe anteponit Chriſto.

Sed qui ſe omnibus non poſtponit, ſe illi præfert quem Chriſtus ſibi præponit.

Ergo & ſe anteponit Chriſto; Quod cum ſit intolerandum, plane neceſſe eſt nos infra omnes abijcere.

I. PVNCTVM.

STATIM atque ſanctiſſima Virgo verbis Angeli, ſeu Deo ſic ordinanti, vt eſſet Mater Filij, conſenſum præbuit, tùm *VERBVM CARO FACTVM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS.* O admirabile commercium. Contemplare omnia penſiculatim. Corpus humanum ex puriſſima Carne & Sanguine Immaculatæ Virginis formatur à Spiritu ſancto, ſeu à tota Trinitate per ſuam maximam Bonitatem. Anima ex nihilo creatur, ſicut & cæteræ, quæ illi Corpori infunditur; Verbum Dei qui eſt Filius Patris, ſecunda Perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, ſe illi Humanitati tam perfecte vnit vt ex duabus naturis, diuinâ & humanâ, exurgat vna Perſona quæ di-

citur IESVS CHRISTVS; verus Deus, verus homo, ſua non deſerens, dum aſſumit noſtra. *O Myſterium quod fuit à ſaculis & generationibus abſconditum, nunc autem manifeſtatum ſanctis eius!* Admirate, adora, & illud Apoſtoli penitus tibi infige, *Nihil per contentionem neque per manem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed SEMETIPSVM EXINANIVIT formam ſerui accipiens;* Id eſt, ſe ita dimiſit & humiliauit infra omnes homines, ſicut ſeruus infra Dominum ſuum, occultans quod erat & aſſumens formam, quæ præ diuina nihil erat. Sic te ipſum humilia; Sic plane ita neceſſe eſt, vt niſi te poſtponas omnibus, te anteponas Chriſto. Quod quia nolles, ſi crederes ita verè eſſe; vide accuratè quàm ſic verum ex propoſita Veritate.

Coloſſ. 1. *Phil. 2.* *Eman. ſa.*

Ac primo illud quod dicitur qui ſe illi præfert quem Chriſtus præponit, ſe Chriſto anteponit; non aliter eſt probandum quam ex ipſis probatis terminis. Quid enim euidentius? reuolue propoſitionem: Quid dubij? nonne ſi ambulando præcederes quem proxime ſequitur Chriſtus, Chriſtum præcederes? ſic plane ſi animo, ſi cogitatione tua te illi præfers quem ſibi Chriſtus facit præcedere, præcedis ipſum Chriſtum. O rem omnino miram, & tamen veram!

II. PVNCTVM.

SED *qui ſe omnibus non poſtponit, ſe illi præfert quem Chriſtus ſibi præponit.*

Iſ. 53. Duo hic eſſent probanda. Primum quod Chriſtus ſe poſtpoſuit omnibus. *Sed vel ex Scripturis id apertiſſimum eſt, quibus dicitur nouiſſimus virorum, vermis, & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis:* Vel reſeruatur fuſius exponendum in 2. parte vbi de eius comparatione cum Barabba: vnde quod reſtat alterum ſic declaratur. *Pſ. 21.*

Nam qui ſe omnibus non poſtponit, ſe præponit vel adæquat aliquibus, ſiue plures illi ſint, ſiue vnus, nihil refert, Eſto ſit vel vnus cui te præferas; tam vere te illi præfers quem ſibi Chriſtus præponit, quàm verum eſt ſe Chriſtum poſtponere omnibus.

Digitized by Google

tam ille vnus inter omnes recenſetur quibus ſe Chriſtus poſtponit, aut non ſe poſtponit omnibus. Sicut ſi vnus eſſet pro quo non eſſet Chriſtus mortuus, non eſſet mortuus pro omnibus, ita plane ſi vnus eſſet quem ſibi non præferret, non ſe poſtponeret omnibus, vnde tam neceſſe eſt fateri Chriſtum ſe illi poſtponere cui te præfers, quàm non diffiteris illum ſe infra omnes abiecisſe. Atque ex conſequenti tam certa eſt propoſitio, Quod qui ſe omnibus non poſtponit, ſe illi præfert quem Chriſtus ſibi præponit, vt de ea minus dubitare poſſis quam quod Chriſtus ſeſe exinaniuerit formam ſerui accipiens. Dubitaſne de hac eius humilitate? Dubitaſne Chriſtum ſe feciſſe humillimum & poſtremum omnium ? Non audiuiſti quod in humilitate iudicium *Act. 8.* eius ſublatum eſt ? id eſt præ vilitate & contemptu, ius ei non eſt redditum, cum accuſaretur : quod tamen nulli negatur hominum.

III. PVNCTVM.

S*E igitur Chriſto anteponit, qui ſe omnibus non poſtponit*, Cùm ſe illi anteponat quem ſibi Chriſtus tam vere præponit, quam ſe vere poſtponit omnibus. Quod de ſe fatebatur ingenuè ſanctus Bernardus : *Quoties*, inquit, *hominibus præeſſe deſidero, toties Deum meum praire contendo.* O quanta inde neceſſitas ſui humiliandi ! O quam ſapienter ille alius dicit qui de Imitatione Chriſti & de contemptu mundi ſcripſit : *Non nocet ſi omnibus te ſupponas, nocet autem plurimum ſi vel vni te præponas.* Hoc ante pridem ſic S. Ioannes Chryſoſtomus ; *Quod ſi recte ſapimus, nullos etiam nobis eſſe minores arbitrabimur, ſed nos excelli ab omnibus hominibus dicemus ; Et hoc dico non de nobis qui innumeris ſumus immerſi peccatis, ſed etiam ſi quis ſibi plurimorum bene geſtorum conſcius ſit, niſi apud ſe ſentiat, quod omnium ſit poſtremus, nulla ei futura vtilitas eſt ex omnibus ſuis bonis operibus.*

Hom. 1. ſuper miſſus eſt. *Lib. 1. de Imit. Ch. c. 7.* *Hom. 33 in Geneſ.*

Sanctus quoque Bernardus præclare admodum : *Si in quonam ſtatu*, inquit, *vnumquemque noſtrum habeat Deus, liquido cognoſceremus, nec ſupra ſane, nec infra ſedere deberemus, veritati omnino acquieſcentes. Nunc autem quia conſilium hoc poſuit tenebras latibulum ſuum, & ſermo abſconditus eſt à nobis, ita vt nemo ſciat ſi dignus ſit amore vel odio : iuſtius tutiuſque profecto iuxta ipſius veri-* *Serm. 37. in Cant.*

Digitized by Google

tatis conſilium, nouiſſimum nobis locum eligimus. Non eſt ergo periculum quantumcumque te humilies; eſt autem grande malum horrendumque periculum ſi vel modice plus vero te extollas, ſi vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas. Noli te comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipſum ſaltem inter nouiſſimos eligere locum nos voluit, ſed recumbe inquit, in nouiſſimo loco, vt ſolus videlicet Luc. 14. *omnium nouiſſimus ſedeas, teque nemini non dico præponas, ſed nec comparare præſumas.*

Hæc ex multis pauca; vnde ſatis videas quid deplores pro præterito, & quid in futurum ſtatuas. *Excelſi ſtatura ſuccidentur, &* Iſ. 10. *ſublimes humiliabuntur.* Vide in Indicibus, Verbo *Humilitas.*

Digitized by Google

DOMINICA
TERTIA ADVENTVS.

TESTIMONIVM S. IOANNIS BAPTISTAE DE CHRISTO DOMINO.

Ille eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius Ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Ioan. 1.

VERITAS PRACTICA.

Quàm benè de Chriſto Humilis, tàm malè meretur Arrogans.

RATIO hæc eſt inter alias, quod quàm bene Is de Chriſto mereri dicitur qui fidelis eſt Chriſti teſtis, tam male de Eodem mereri dicendus eſt qui contra ipſum teſtis eſt mendax.

Sed Humilis eſt fidelis Chriſti teſtis; Arrogans vero teſtis mendax.

Ergo quàm benè de Chriſto humilis, tàm malè meretur arrogans. Vnde quæ ad humilitatis Commendationem, ſuperiori dicta ſunt hebdomada, valide confirmantur.

I. PVNCTVM.

MISERVNT *Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem vt interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſũ Ego Chriſtus.* Lege quæ plura ſunt hodierni Euangelij, & cùm ex ſingulis fructum poſſis colligere, tum ex toto illo colloquio vide quam eſſet humilis ſanctus Ioannes, *Qui cum tantæ virtutis eſſet vt Chriſtus credi potuiſſet, elegit ſolide in ſe ſubſiſtere, ne humana opinione raperetur inaniter ſuper ſe.* Sic ſanctus de eo Gregorius. *Hom. 7. in Euang.*

Ad hanc porrò humilitatis imitationem oportuna eſt Veritas propoſita, ſi bene expendatur; Sic autem expendenda videtur, vt primo intelligas bene vel male mereri de Chriſto idem prope eſſe ac ſi dicatur, ſic ſe erga Illum gerere vt quod geſſeris, bene vel male, ſibi factum reputet & rependat. Cum videlicet ſanctus Ioannes præclarè vt vidimus, ac fideliter de Eo teſtatus eſt, tùm profecto de Illo eſt bene meritus, quia hoc teſtimonio bene illi fecit, & benefactum Chriſtus agnouit. E contra verò cum Iudæi de Chriſto detrahebant, hi male de illo merebantur, quia maledictis & malefactis ſuis ſeſe illi opponebant, & alios à credendo auocabant.

Atque hinc euidenter patet, quàm vera ſit prima propoſitio de fideli vel mendaci Teſte, nempe vt quantum ille bene meretur de Chriſto, tam hic male mereri dicendus ſit. Licet enim Chriſtus pro ſuo bonitate magis propenſus ſit ad obſequia ſibi præſtita compenſanda, quàm ad vindicandas iniurias: qui tamen injuriam ei infert, non deſinit tam male de eo mereri, quàm bene is meretur qui obſequium præſtat; imo & longe peius ille demereri videtur, quam alter mereatur, cùm longe grauius ſit in ſuo genere Regem, Patrem, aut alium cui multum debeas, offendere quàm illi benefacere. *Deut. 32.* *Haccine reddis Domino? Numquid non ipſe eſt Pater tuus?*

O ſi ſcires quantum debes Chriſto, tum intelligeres quid ſit de illo bene vel male mereri.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED *Humilis eſt fidelis Chriſti teſtis: Arrogans vero & ſuperbus teſtis eſt mendax.*

Nam quoties incidit quæſtio vel cogitatio de rebus bene geſtis, de acceptis donis cœleſtibus, vel de eorum acceptanda gloria, tunc Humilis recuſando gloriam fideliter teſtatur de Chriſto quod ſit bonorum omnium author, illique vni gloriam eſſe referendam. *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* *Pſ. 113.* *Omnia enim opera noſtra operatus es nobis.* *Iſ. 26.* *Gratia Dei ſum id quod ſũ.* *1. Cor. 15.*

At vero Arrogans hoc ipſo quò eſt arrogans & ſuperbus, ſibi attribuit quod Chriſti eſt, & negat Chriſto quod ſuum eſſe jactitat: licet enim ore confiteatur, factis tamen negat, cùm rei bene geſtæ laudem ſibi ſic debitam putat, vt niſi reddatur, excandeſcat: neque de Chriſti Domini gloria vllo modo ſollicitus, ſibi vni intendat extollendo. *Inſaniſti in me, & ſuperbia tua aſcendit in aures meas.* *4. Reg. 19.* Sic Dominus arroganti, cui & apte Apoſtolus, *Fruſtra,* inquit, *inflatus ſenſu carnis tuæ & non tenens Caput ex quo totum corpus creſcit.* *Coloſſ. 2.* *Vos teſtes mei, dicit Dominus*; At quàm longe diuerſi teſtes, humilis & ſuperbus! *Iſ. 43.*

III. PVNCTVM.

QVAM *benè igitur de Chriſto Humilis, tàm male meretur Arrogans:* Cùm ſe erga Chriſtum vterque tam oppoſito gerat modo, quàm verax & falſus teſtis opponuntur; atque ita vtriuſque ſtipendia tam diuerſa eſſe conuenit, *Quanta patet eſſe diuerſitas,* inter delatum obſequium, & illatam injuriam.

O humilitatis præmium ſupra quàm dici poteſt glorioſum cum ex Chriſti ore humilis audiet, *En teſtis meus fidelis.* *Apoc. 1.* O arrogantiæ probrum, ſupra omnem pœnam & infamiam, cum ab Eodem dicetur arroganti; *Inſurrexiſti in me, teſtis inique. Recordare quanta aduerſum me dixeris teſtimonia.* *Pſ. 26.* Et certe ſi arrogantia per ſe ſola ſic eſt inuiſa Domino, vt ipſe dicat, *Arrogantiam & ſuperbiam deteſtor*; *Prou. 8.* quanto magis eſt deteſtanda, cum ſit tam injurioſa Chriſto? Si vero de quolibet falſo teſte ſic affirmatur, *Teſtis falſus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur non effu-* *Pro. 19.*

Digitized by Google

giet; Quid de falſo teſte contra Chriſtum?

Et quidem non dubitabis hæc in arrogantes merito eſſe congerenda, ſed an ex illis ſis, forte non ita perſpicies; Aduerte diligenter. Tu quis es? quid dicis de te ipſo? An laudem omnem à te in Chriſtum reijcis? An gaudes humiliatione tua, vt Chriſtus
Iudith.16. inde exaltetur? *Apparuerunt humiles mei.* Ne tibi palpes in re tam ſeria. Numquam Chriſtum exaltabis niſi te deprimas: & quoties te exaltas, toties Chriſtum deprimis. Sic vtrumque opponi-
Iſ. 5. tur à Propheta: *Et incuruabitur homo, & humiliabitur, & oculi ſu-*
Ioan. 3. *blimium deprimentur; & exaltabitur Dominus. Illum oportet creſcere, me autem minui.* Iam vero vide, vtrum è duobus magis expediat, an depreſſione tua Chriſtum exaltari, aut exaltatione tua Chriſtum deprimi? Numquid non ſatis iam depreſſus eſt Chriſtus vt te exaltaret? Sic perge ad omnem prorſus elidendam ſuperbiam.

IN EADEM DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

AD HÆC EVANGELII VERBA:

Tu quis es? Ioan. 1.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Tres hominum ſtatus ad perfectionem tendentium, his tribus verbis, Tu quis es? eò valdè promouentur.

RATIO EST, Quia tres hominum ſtatus, qui dicuntur Incipientium, proficientium, & perfectorum, tunc valde promouenuentur ad perfectionem, quando à via purgatiua facilis & ſolidus fit progreſſus per illuminatiuam, ad eam quæ dicitur vnitiua.

Sed talis progreſſus fit facilis & ſolidus per illa tria verba.

Ergo illis tribus verbis, Tu quis es? tres hominum ſtatus valde promouentur: ac proinde crebro ſunt vſurpanda.

PRIMA

Digitized by Google

PRIMA propoſitio nullam difficultatem habet: Si quis plura tamen de illa deſideret; *Videatur,* ſanctus Thomas loco, *hic annotato,* & quæ infrà ex eo referuntur. 22. q 24. a. 9.

SECVNDA ſic breuiter demonſtratur: primo quidem in via purgatiua qua ſe Incipientes præteritis purgant peccatis, nihil aptius ad illam peccatorum purgationem ex vera contritione cum gratia faciendam, quam ſi quis ſibi ſerio & attente dicat, Tu quis es, qui Deum offendiſti? Tu creatura Creatorem! Tu ſeruus Dominum! Tu filius Patrem! Tu hummuncio viliſſimus ſummum Deum! Tu innumeris præuentus beneficiis Benefactorem eximium! Tu quis es? Tu Chriſtianus, tu Religioſus, Tu Sacerdos Chriſtum cruci affixiſti! *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique! Tu vero homo vnanimis, dux meus, notus meus qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.* Hæc bene expenſa mirum quantum efficiant in animis tantillum præparatis. Varij ſunt autem ſcripturæ loci vnde tales affectus eruantur. *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Ego te plantaui, vineam electam: Omne ſemen verum, quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum, vinea aliena.* Pſ. 54. Iſ. 5. Ier 2. Thren. 4

Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus color optimus! filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea! Candidiores nazaræi eius niue, nitidiores lacte; rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores, denigrata eſt ſuper carbones facies eorum! Popule meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui? reſponde mihi. Mich. 6.

DEINDE vero in Via illuminatiua qua proficientes creſcunt de virtute in virtutem, miræ proſiliunt in eorum animum illuſtrationes ex his verbis *Tu qui es,* ad omnes actus ſuos virtute temperandos. Tu quis es? non bellua, vt viuas cæco naturæ impetu, ſed homo ratione præditus, *vt intelligas vniuerſa quæ agis & quocumque te verteris,* ſicut Salomonem Filium, Dauid moriens admonebat. Tu quis es? non paganus, vt ciuili tantum & politica ratione viuendi viuas; ſed Chriſtianus, vt ſupernaturali lumine & motiuo moueatis. Tu quis es? non agreſtis non ruſticus, non rerum diuinarum ignarus, ſed in ſcholis eruditus & ad omnem pietatis formam educatus. Tu quis es? non ſæcularis, 2. R. 3.

Digitized by Google

non laïcus, non vili additus mancipio, non neceſſariis vitæ ſubſidiis comparandis, non importunis negotiantium curis preſſus; ſed ſegregatus ab omnibus, vt quod vnum eſt neceſſarium cogites & perficias; Nonne hinc lucidæ & ardentes ad omnes Virtutis actus in illuminante via ſuccenduntur faces?

Luc. 22. *Reges gentium*, aiebat Dominus, *dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur. Vos autem non ſic.* Quaſi diceret, ſpectandus cuique eſt ſtatus ſuus, conſideranda vocatio & perſona, dicendumque ſibi, Tu quis es? & dicenti virtus reſpondeat.

SIC denique in Via vnitiua, procedendo ſemper ad perfectiora, ex conſideratione ſui, ſiue quoad perſonam, ſiue quoad ſtatum, ſiue quoad locum, vel ad tempus, vel ad acceptas gratias, vnde accendaris ad plures aut ſublimiores Charitatis, Reſignationis, Deuotionis, & Diuinæ Vnionis actus. *Quis ego ſum, aut quæ eſt*
1. Reg. 18. *vita mea, aut cognatio Patris mei, vt fiam gener regis? Quid eſt ho-*
Pſ. 143. *mo quia innotuiſti ei, aut Filius hominis quia reputas eum? O homo tu*
Rom. 9. *quis es qui reſpondeas Deo! Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?* Quæ verba multum valent ad perfectam iudicij & voluntatis humanæ cum diuina ſubiectionem: nec parum promouent huius perfectæ ſubiectionis frequentem praxim, tria verba ſæpe repetita, *Tu quis es?* Tu quis es, qui diuina ſcruteris arcana? Tu quis es, qui te putes intelligere quæ ſoli Deo nota ſunt? Tu quis es, qui Deo ſic volenti, ſicque ordinanti, vel tantiſper contradicas? Tu quis es, qui reſpondeas tot acceptis beneficiis
Luc. 17. & gratiis? Tu quis es, *poſtquam omnia feceris, niſi ſeruus inutilis?*

EX quibus ſic conſideratis patet aperte Veritas de tribus illis verbis, pro triplici hominum ſtatu ſeu perfectionis, in qua tantum proficies quantum à te deficies: tantumque à te deficies, quantum attentè conſideraueris, quod admonebat ſanctus Ber-
2. de conſid. 4. & ſequentib. nardus Papam Eugenium, *Quid, quis & qualis ſis? Quid in natura; Quis in perſona: Qualis in moribus. Quid, verbi gratia, homo: Quis? Papa vel ſummus Pontifex; Qualis? benignus, manſuetus, vel quidquid tale*; Quo de argumento ibi fusè & in Cantica, vnde nos infra in tertia parte aptius. Satiſque modo ſit quod ſanctus Auguſtinus ſcribit: *Scito vnde veniſti, aut quo vadis: quomodo viuis: quantum proficis, vel deficis: quàm longe es à Deo vel prope, non ix-*

Digitized by Google

teruallis locorum, ſed ſimilitudine vel diſſimilitudine morum. Scito quomodo homo es, cuius conceptio culpa, naſci miſeria, viuere pœna, mori neceſſe. Serm. 36. l. de ſpir. & anima. c. 51.

Vide de hac noſtri cognitione in 3. parte Feriam tertiam Dominicæ vndecimæ poſt Pentecoſten.

IN EADEM DOMINICA.

AD HÆC EVANGELII VERBA.

Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini. Ioan. 1.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Vox clamantis in deſerto poſt Peccatum, Peccati conſcientia Peccatori audienda.

SENSVS EST, Quod ſicut poſt peccatum fit anima peccatoris quoddam deſertum, quia deſeritur ab omnibus ſuis bonis, & nullius capax eſt meriti: ſic in illo deſerto fit quadam vox clamantis ad peccatorem, quæ eſt ipſa peccati perpetrati conſcientia, quam peccator non minus debet audire ad dirigendam & parandam viam Domini, quam Iudæis erat audiendus ſanctus Ioannes.

RATIO EST, *Quia idcirco à Iudæis erat audiendus ſanctus Ioannes, quod ita ordinatum eſſet, vt prius à Ioanne baptizarentur baptiſmo Pœnitentiæ, ac deinde Chriſtum reciperent.*

Sed non minus eſt ordinatum vt peccator audiat conſcientiam de peccato pœnitendo & deponendo admonentem, vt ſic Chriſtum recipiat.

Digitized by Google

Ergo non minus eam debet audire quam à Iudæis eſſet audiendus ſanctus Ioannes.

Quod non debet tantum intelligi quoties ſacra communio eſt frequentanda, ſed quoties per peccatum Chriſtus expulſus eſt, vt requiratur, vt reuocetur, vt recipiatur: Vox illa, vox conſcientiæ clamantis pœnitentiam, eſt quantocius audienda.

AD primam propoſitionem non eſt hærendum diutius, cum apertè Chriſtus Dominus Iudæis exprobrauerit, quod cum Ioannem non audiuiſſent, nec ab eo baptizari
Matth. 21. eſſent, ſic diuinæ ordinationi non ſtetiſſent: *Baptiſmus Ioannis,* inquiebat illis, *vnde erat? è cælo? an ex hominibus?* reſponderunt ſe neſcire ſed mentiebantur, aut erat eorum ignorantia inexcuſabilis, cùm omnes haberent Ioannem vt prophetam, & ſatis pateret eum eſſe quem prædixerat Iſaias; ſed noluerunt fateri, ne ſeipſos condemnarent, quod ei non crediſſent, & quod ei non credentes, cœleſti & diuinæ ordinationi non ſe conformaſſent.
Luc. 7. Quod ipſe Dominus ſic alibi declarans expreſſius: *omnis,* inquit, *populus audiens & publicani iuſtificauerunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis. Pharizæi autem & Iuriſperiti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos, non baptiſati ab eo.* Quid clarius? & quid apertius ad indicandum quanti ſit momenti ordinatis ad ſalutem ſtare mediis, quæ dicuntur Dei conſilia?

SED, quæ eſt alia propoſitio declaranda, non minus eſt ordinatum vt peccator audiat conſcientiam de peccato pœnitendo & deponendo admonentem, vt Chriſtum recipiat. Duo hic eſſent diſtinctè exponenda, primum quomodo Conſcientia ſit vox clamans in deſerto cordis poſt peccatum. Deinde quomodo ſit ordinatum illam audiri à peccatore vt Chriſtum recipiat. De primo varij ſunt loquendi modi quibus Scriptura & patres vtuntur. Modo enim dicunt conſcientiam eſſe velut tribunal iu-
Rom. 2. ſtitiæ iuxta illud Apoſtoli de gentilibus: *qui oſtendunt opus legis ſcriptum in Cordibus ſuis, teſtimoniū illis reddente conſcientia eorum: & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut defendentibus.*
1. de off. 12. Sic S. Ambroſius, *Inocentium,* inquit, *& flagitioſorum merita diſ-*

Digitized by Google

cernit, vera atque atque incorrupta pœnarum præmiorumque arbitra. Idem vero alibi ſanctus Doctor declarat, quomodo vermi in ſcriptura comparetur, ***eo quod irrationabilia animæ peccata mentem rei ſenſumque compungant: & quædam exedant viſcera conſcientiæ, quæ tanquam vermes ex vnoquoque naſcuntur.*** Similitudo gladij & ſtimuli ſat frequenter etiam vſurpatur: ***quaſi gladio pungitur Conſcientia***, ait ſapiens. Chriſtus vero Dominus ad Saulum: ***Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.*** Sunt qui ſtupori dentium qui ſentitur ex eſu acerborum fructuum, conſcientiam dicant eſſe ſimilem, propter hos ſcripturæ locos, ***qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius.*** Flagellum alij nuncupant quo intus anima peccatoris cædatur, & arma militaria quibus aſſiduè ſtrepentibus contremiſcat, vt eſt apud Prophetam, ***Vox flagelli & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis aſcendentis, & micantis gladij, & fulgurantis haſtæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ.*** Quibus apte quadrat illud poëtæ non ignobilis: ***Quos diræ conſcia culpæ, mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit; Occultum quatiente animo tortore flagellum.*** Alij denique, vocem eſſe vel Correctoris, vel Pædagogi, vel Concionantis, vel quocumque modo clamantis, ***Quid feciſti,*** reſipiſce: vel tanquam ille Iobi ſeruus & nuncius qui perditis omnibus bonis, ***Euaſi ego***, inquit, ***ſolus vt nunciarem tibi***; ſic plane pereuntibus peccatori bonis cœleſtibus, ſola reſtat conſcientia, quæ acceptæ per peccatum cladis & ruinæ nuncium ferat; vnde vt dictum eſt, cùm anima velut deſertum fiat, rectè ***Vox in deſerto clamans ſeu clamantis,*** dici poteſt ſeu potius, ***Vox Domini concutientis deſertum.***

L. 7. in Luc. c. 14. *Prou. 12.* *Act. 9.* *Ier. 31.* *Ez. 18.* *Nahum 3* *Stat.* *S. Hier. in Ezech.* *Iob. 1.* *Pſ. 28.*

At vero quod eſt alterum huius ſecundæ propoſitionis caput, quomodo ſit ordinatum, illam audiri vocem à peccatore vt Chriſtum recipiat, tribus modis explicari poteſt, quibus recipitur Chriſtus. Primo enim reipſa recipitur in ſanctiſſimo Sacramento, poſt expiatam ritè conſcientiam, & in hoc ſenſu facile eſt intelligere quomodo ſit illa audienda peccatori, nempe expiando confeſſione peccata.

Secundo recipitur Chriſtus, recipiendo doctrinam eius quæ in proximis feſtis renouatur, vt dicetur ſequenti Dominica, cui doctrinæ recipiendæ parandus eſt cum gratia noſter animus, parandoque clamat Conſcientia, quàm fuerint vitæ præteritæ diſſimi-

Digitized by Google

les actus, quàm ſint Chriſti & mundi contraria dogmata, quantaque ſollicitudine Puer paruulus qui nobis in Doctorem eſt datus ſit audiendus, ex præſepi Bethleemitico, tanquam ex cathedra clamans, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

Tertio denique ſicut per peccatum expellitur Chriſtus, ita per veram pœnitentiam reuocatur & recipitur, *Ecce*, inquit, *ſto* Apoc. 3. *ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & canabo cum illo, & ille mecum.* Vox autem illa Chriſti pulſantis, vel eſt ipſa vox conſcientiæ per diuinam gratiam excitatæ, vel ipſa eſt Gratia excitans & commouens internam vocem qua peccator prouocatur ad reſipiſcentiam, quæ tam neceſſaria eſt ad recipiendum Chriſtum per gratiam ſanctificantem, quàm neceſſe omnino eſt antè expelli peccatum Zach. 1. quàm illa gratia recipiatur. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, dicit Dominus. Conuertimini de viis veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis.*

Hoc eſt dirigere & parare viam Dominô, ſic conuerti cum præueniente nos gratia. Hoc eſt quod clamat illa vox & gratiæ ſimul & conſcientiæ, non modo quando aliquoties confitendum eſt & communicandum, aut quando iam parandi ſumus ad proxima Domini natalitia: ſed ſtatim atque peccatum eſt, ſtatim vox Cant. 6. illa clamat, *Reuertere, Reuertere. Numquid qui cadit non reſurget?* Ier. 8. *Vade & clama ſermones iſtos contra aquilonem & dices: Reuertere* ibid. 3. *auerſatrix Iſraël, ait Dominus, & auertam faciem meam à vobis, quia ſanctus ego ſum, dicit Dominus, & non iraſcar in æternum. Veruntamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum præuaricata es.* Sic Gratia in Scripturis, ſic per Concionatores & alios innumeros modos excitare ſolet peccatorem: ſed vix vllo modo aptiori quam per Conſcientiam, quia hæc intus clamat, ſemper & vbique clamat, libere clamat, nulli adulatur, nullum timet niſi Deum.

O quis ergo non audiat illam vocem? quis ſaltem non videat ſic audiendam eſſe peccatori, ſi Chriſtum à ſe expulſum velit recipere, vt niſi audiat illam vocem, niſi reſipiſcat, niſi conuerta- Ioſue 7. tur, nunquam Chriſtus reuertatur. *Non ero vltrà vobiſcum donec CONTERATIS eum qui reus eſt.* Expende ſingula, & vrge acrius quale ſit motiuum non differendæ pœnitentiæ, quòd Chriſtus adſit intus vel abſit, prout peccatorem vere pœnitet ſui peccati.

Digitized by Google

Parumne cuiquam debet eſſe tanti hoſpitis præſentia vel abſentia ? quid mundus ſine ſole ? quid ſine duce acies ? ſine paſtore grex ouium ? ſine magiſtro ſchola ? ſine anima corpus ? aut ſine mente anima ? Sic de te cogita ſi ſine Chriſto ſis. *Scito & vide quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.* *Ier. 2.*

Hac Hebdomade, conſideratur Verbum Incarnatum reſidens in vtero Virginis Matris. Varij eius ſtatus ſub numero ſeptenario, ſigillatim in dies recenſentur, vnde Veritates practicæ ad Amoris Diuini gradus & effectus pernoſcendos eruuntur.

FERIA SECVNDA.

SEPTEM PRÆCIPVI TITVLI QVIBVS CHRISTVS DOMINVS DIGNOSCI POTEST.

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis eſt dilectus ex dilecto? Cant. 5.

VERITAS PRACTICA.

Affectu potius quam ſtudio Chriſtus cognoſcitur.

RATIO EST, *Quia cognitio Chriſti, qualis hic ad perfectionem deſideratur, Dei potius donum eſt quod recte diſpoſitis infunditur, quàm quod humana conquiratur induſtria.*

Sed ad donum hoc recipiendum, affectu magis quam ſtudio diſponimur.

Ergo & affectu potius quam ſtudio Chriſtus cognoſcitur.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

EXPENDI primò debet, quòd cùm homines naturâ ſcire deſiderent, nihil ſcitu deſiderabilius, nihil excellentius, nihil vtilius aut magis neceſſarium, quàm Chriſtus
Ioan. 17. Dominus. *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Tum ſanctus Petrus:
2. Petr. 3. *Creſcite vero in gratia & in cognitione Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti.*

Deinde verò aduerte, quod cùm multa de Chriſto Domino inueſtigari & ſciri poſſint, tùm verò quæ ſunt præcipua ex ſeptẽ eius Titulis eſſe petenda; ſicque legendo vel meditando conſideranda, vt quàm perfecte virtutes omnes ijs reſpondentes habuerit, quantoque propterea ſit nobis cultu colendus, expendatur.

Hi autem Tituli ſic breuiter recenſentur; Primus vnde alij deducuntur, MEDIATOR ſeu REDEMPTOR, & SAL-
1. Tim. 2. VATOR HOMINVM. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit Redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* 2. SACERDOS & PONTIFEX.
Pſal. 109. *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: Fidelis Ponti-*
Hebr. 2. *fex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi.* 3. REX & DO-
Iſ. 33. MINVS. *Dominus Iudex noſter, Legiſer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos.* 4. Totius myſtici corporis CAPVT.
Epheſ. 4. *Creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus ex quo totum corpus*
Iſaiæ 2. *compactum.* 5. PASTOR ſeu DOCTOR. *Docebit nos vias*
Ioan. 3. *ſuas & ambulabimus in ſemitis eius.* 6. SPONSVS, *Qui habet*
Hebr. 2. *ſponſam, ſponſus eſt.* 7. FRATER, *Non confunditur fratres eos vocare dicens: Nunciabo nomen tuum Fratribus meis.*

Qui de his igitur Titulis melius ſenſerit, is melius Chriſtum cognorit, atque vt ſic melius agnoſcatur, *Affectu potius quam ſtudio vel humanâ operâ eſt perquirendus.* Ratio eſt expedita, ſicque paucis exprimitur quæ fuſius meditando dilatetur. Nempe hæc Chriſti cognitio, donum eſt Dei potius quod recte diſpoſitis infunditur, quàm quod humana conquiratur induſtria. Res eſt tam ſublimis, tam diuina & ſupra omnem humanam euecta intelligentiam, vt non niſi à Deo, & non niſi rectè diſpoſitis communi-
Sap. 1. nicetur: *Quoniam in maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* O miſerandam illam maleuolam

Digitized by Google

ſeuolam animam, quid niſi inſipiens & inſipida in quam non intrat ſapientia!.

II. PVNCTVM.

A*TQVI ad hoc donum recipiendum, affectu magis quàm ſtudio vel conſideratione diſponimur.*

Non improbatur ſtudium nec conſideratio, imo eſt diligenter adhibenda; ſed in ipſa conſideratione debet anima plus vacare affectibus concitandis, quam diſcurſibus extendendis. Dum enim Admiratione, Gratitudine, Cōfuſione, Contritione, Compaſſione, deſiderio & alijs affectibus commouetur, purgat ſe cum Diuina gratia à peccatis, maleuolentiam ſuam excutit, diuinæ Iuſtitiæ ſatisfacit, & miſericordiam prouocat. ***Audiui ora-*** Iſ. 38.
tionem tuam, & vidi lachrymas tuas.

Deinde vero, quando voluntas ſe ſuis prauis exuit affectibus, vt puriores induat, Ipſe Intellectus fit capacior ad intelligendum, quod minus ante vidiſſet: quippe qui ante velut nube & fumo, ſic prauis obſcurabatur affectibus; ***Pſallam & intelligam*** Pſal. 1.
in via immaculata, quando venies ad me.

Denique cùm per communicationem voluntatum, & reciprocam affectuum retributionem, magis ſentitur præſens Chriſtus, magis etiam diſponitur animus ad eum cognoſcendum; ſic enim melius percipitur quàm ſit bonus & ſuauis, quàm fidelis & verax, quàm vere Paſtor, Frater & Sponſus; ***Quam bonus Iſ-*** Pſal. 72.
raël Deus, his quæ recto ſunt corde! Guſtate & videte quoniam ſua- Pſal. 33.
uis eſt Dominus. Itane guſtas? aut quamobrem non ita?

III. PVNCTVM.

S***IC igitur affectu potius quam ſtudio Chriſtus cognoſcitur:*** Cum ſic ad eius cognoſcendi gratiam ſine qua non poteſt bene cognoſci, diſponimur & aptamur. ***Hæc enim ſi vobiſcum adſint & ſuperent***, inquit S. Petrus de pijs affectibus, ***non vacuos, nec ſine*** 2. Petr. 1.
fructu vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt & manu tentans. Atque hinc præcurſor S. Ioannes qui ad Eum manifeſtandum totus erat, ***Erat***, vt ait Dominus, ***Lucerna ardens & lucens***; prius ardens, tum Ioan. 5.

L. 3. c. 43. lucens. *Nam quidam amando me intime*, vt eſt in libro aureo de Imitatione Chriſti, *didicit diuina, & loquebatur mirabilia: plus profecit in relinquendo omnia, quam in ſtudendo difficilia.* Tu magis luci attendis quam ardori. Tu magis paſceris viſu, quam guſtu: magis ſcire appetis quam facere.

Hoc deplorandum, & contrà vt deinceps magis afficiaris in orationibus, ſtatuẽdum: Iamiamque ex vnoquoque Titulo quem conſideraſti, affectum cum gratia elice congruentem. Saluatori gratitudinem exhibe; Pontifici cultum, Regi honorem, Capiti demiſſionem, Doctori docilitatem, Sponſo & Fratri amorem impende, repende, effunde coram illo Cor tuum, & velut ſancta Seraphim alis tuis te concita, vel potius ſine te concitari & affici.
Iſ. 6. Pſ. 17. *Quoniam quis Deus præter Dominum? Aut quis Deus præter Deum noſtrum?*

FERIA TERTIA.

SEPTEM SINGVLARES PERFECTIONES VERBI INCARNATI RESIDENTIS IN VTERO VIRGINIS MATRIS QVAE SINGVLAREM A NOBIS DILECTIONEM EXIGVNT.

Specioſus forma præ filijs hominum. Pſ. 44.
Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum puriſſimum, guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis. Talis eſt Dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus. Cant. 5.

VERITAS PRACTICA.

Aurum ignitum eſt amor Chriſti, in quo non tam ardor, quàm puritas quæritur.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia ad amorem ſui, Chriſtus totum cor noſtrum quærit.*

Sed non tam ardore quam puritate, totum Chriſto cor noſtrum traditur.

Ergo in Chriſti amore non tam ardor quam puritas quæritur.

I. PVNCTVM.

QVAM ſit omni modo perfectus Dominus, quàmque ſingulariter propterea ſit à nobis amandus, & per ſe patet, & cogitari poteſt attentius. Sed quas præ cæteris infantibus ſingulares habeat in ipſo Matris vtero perfectiones, non ita forte liquet, & ad ſingularem eius in nobis excitandum amorem vel maxime opportunum eſt inueſtigare. Hæ ſunt autem ſeptem in quibus conſiderandis plus minuſue moræ dabis, pro affectu quem ſenties. Prima eſt SANCTITAS, nam cæteri infantes ordinarie in peccato concipiuntur, at *Ille ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus & excelſior cælis factus.* Secunda, VSVS RATIONIS, ſeu virilis infantia, *Creauit Dominus nouum ſuper terram: Fœmina circumdabit virum.* Tertia, Diuinæ ſapientiæ & ſcientiæ theſauri ibi abſconditi, de quibus Apoſtolus atque imprimis GRATIA CAPITIS, *De cuius plenitudine nos omnes accepimus.* Quarta, COMMVNICATIO gratiarum cum ſanctiſſima ſua matre; Nullus infantum matrem ſuam eligit, nullus ex vtero eam nouit, nullus illi benefacit; Hic autem infans præterquam quod ſuam matrem elegit, ſic illi ſua communicat, vt quod habet mater Virgo, ad nutriendum filium, hoc à Filio accipiat. *Ego dilecto meo, & Dilectus meus mihi, qui paſcitur inter Lilia.* Quinta, SVBLEVATIO Matris vterum geſtantis; cum reliqui infantes ſint oneri & faſtidio matribus ſuis, Hic potius Matrem ſubleuat quam oneret; *Laua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Sexta, MERITVM continuum; Iam enim à primo Conceptionis ortu ſe ſuaque Patri offert pro nobis, nec vnquam ceſſat à virtutibus exercendis, vt infra videbitur; *Ideo ingrediens mundum dicit; hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Tunc dixi Ecce venio.* Septima eſt BEATITVDO animæ videntis Deum;

Hebr. 7. *Ier. 31.* *Coloſſ. 2.* *Ioan. 1.* *Cant. 6.* *Ibid. 2.* *Hebr. 10.*

Cant. 3. hoc eſt *diadema quo coronauit Illum Mater ſua, in die deſponſationis eius, & in die lætitiæ cordis eius.*

O verè ſpecioſum formâ præ filijs hominum, vere totum deſiderabilem, & electum ex millibus! Namquid qui tam ſingularis eſt in ſuis perfectionibus, ſic ſingulariter & vnice à nobis eſt diligendus? Hoc eſt videlicet *aurum ignitum*, quod ipſe nobis ſuadet emendum. Hic eſt amor quo vult amari, qui non ſiſtat in ardore ſed puritate. Excellentia quidem amoris eſſet, ſi ſimul iungi poſſent ardor & puritas, ſed comparatione facta vnius cum altero, dicitur Ardori præferenda Puritas, ſicut in auro ignito non tam ſpectatur vt aurum ardeat, quàm vt purum ſit & defœcatum ab omni alio prorſus metallo. Ita plane amor Chriſti ſiue ardeat, ſiue non: non tam ardor quæritur quàm eius puritas ab omni alia creatura. Cur ita porro? Quia videlicet Chriſtus totum cor noſtrum quærit. Expende hanc rationem valde ponderoſam. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota fortitudine tua.* Vbi ſexies vox *tota*, vel æquiualens repetitur, ad indicandum haud dubie, quantopere id exoptet. Et certe, nonne illi debetur? putaſne illi deberi amorem noſtrum? At quo iure? quo titulo? quo nomine? expende ſingula: & videbis eadem prorſus ratione deberi amorem ex toto corde, qua debetur amor. Confiteor tibi hoc Domine in toto corde meo.

Apoc. 3. Marc. 12. Luc. 10. Deut. 6. Pſ. 9.

II. PVNCTVM.

SED *non tam ardore quam puritate totum Chriſto cor noſtrum traditur.*

Quid eſt enim totum Chriſto cor noſtrum tradi? Nempe ſic à nobis vnice & ſimpliciter Chriſtum diligi, vt nulla prorſus alia creatura, cum ipſo diligatur, niſi ordinate propter ipſum. Sic ſanctus Baſilius & alij paſſim: *Quod dicit in toto, nullam in res alias diuiſionem admittit; quantum enim dilectionis in hac inferiora inſumpſeris, tantum neceſſe eſt vt demas de toto.*

In Pſalm.

At vero ardor non facit illam dilectionis ſimplicitatem, ſicut puritas: poteſt quis ardere in aliquo diuini amoris actu, qui ſimul inordinate feratur in alias creaturas; non poteſt autem ſic

pure Deus diligi: Nam puritas excludit omne aliud quod non eſt Deus, vel propter Deum. Sicut enim inordinato creaturæ amore cor inficitur, ſic non purgatur niſi illo amore excluſo. *Animas veſtras caſtificantes in obedientia Charitatis*, inquit Sanctus Petrus; nempe ſicut ad caſtitatem ſpectat excluſio ſenſualis amoris, ita ad Charitatem Dei, omnis iſte amor Creaturæ excludatur neceſſe eſt qui non pure ex obedientia, id eſt, ſicut Deus præcipit, exercetur. Quomodo autem præcipiat, audi; *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*, expende illud *ſicut*, quàm pure, quàm ſanctè, quàm ordinate. Itane diligis quicquid diligis? Et tamen præceptum eſt Domini.

1. Petr. 1.

Ioan. 15.

III. PVNCTVM.

AVRVM *igitur ignitum eſt amor Chriſti, in quo non tam ardor quam puritas quæritur*: Cùm totum quæratur cor, quod non tam ardore quàm puritate totum traditur. Sic dicitur, *finis præcepti Charitas, de corde puro*.

2. Tim. 1.

Ardenter quidem quantum poſſis dilige, ſed præcipue ſingulariter, purè, & vnice; Minus ſemper Chriſtum amabis, ſi quid cum illo ames, quod non pure pro illo ames, etiam ſi tibi illius amore ardere videaris. Poteſt Dæmon, poteſt natura tua illum ardorem ſenſibilem concitare & te decipere; ſed in puritate cordis nulla deceptio. Si quando etiam ardorem verum & ſanctum non ſentias, potes excuſari, quia non in noſtra ſitus eſt poteſtate, neque ad illum excitandum ſemper confertur gratia, cùm ſic ſenſibiliter Chriſtus non ita velit diligi ſicut purè & vnicè: hoc enim ſemper & abſolute vult. Hæc eſt eius natura immutabilis, vt non ex parte ſed ex toto diligatur. *Dilectus tuus*, ait Kempenſis, *talis eſt natura, vt alienum non velit admittere, ſed ſolum vult cor tuum habere & tanquam Rex in proprio throno ſedere*. Sic & Propheta, *Coanguſtatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue, vtrumque operire non poteſt*.

L. 2. de Imit. Ch. c. 7. & 8. vide.

Iſ. 28.

Quamobrem cum alterutri dilectorum ſit deſerendus locus, vtrum optas è duobus? Reſponde. *Quem vultis de duobus vobis dimitti?* Meminiſtin huius opprobrij quondã illati Chriſto? Hoc idem modo à te quæritur, cum de diligendo vnice Chriſto agitur, aut ſolus eſt diligendus, aut non diligendus; aut excludendus à corde Chriſtus, aut ille alius qui partem cordis occupat. O

Matth. 27.

pudor humani cordis! Cor quidem tuum nimis anguſtum eſt tam amabili Chriſto diligendo; ſed ſi Solum diligeres, non dedignaretur Chriſtus illas anguſtias. Quod vnum dedignatur, eſt ſocius cordis quem adhibes, etiamſi latius & capacius vniuerſo cor haberes! Dùm regnet ſolus in corde Chriſtus, poteſt ipſe ſatis regnum ſuum dilatare, ſed ſi ſocium ei addideris, regnum eius aut regni ſedem ſic anguſtas & conſtringis, vt nec ibi regnare poſſit, nec velit viuere.

FERIA QVARTA.

SEPTEM DONORVM SPIRITVS SANCTI PLENITVDO IN VERBO INCARNATO.

Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectus, Spiritus Conſilij & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ & Pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Iſ. 11.

VERITAS PRACTICA.

Si Spiritu viuimus, Spiritu & ambulemus. *Gal.* 5.

SENSVS verborum Apoſtoli eſt, vt quantùm patet nos poſſe ambulare ſpiritu, id eſt, omnia noſtra ſecundum Spiritus ſancti motum peragere, tantùm excitemur ad id peragendum, tàm certò credamus nos ita debere ambulare. Quod autem pateat nos id poſſe, inde euidens facit, quia, inquit, ſpiritu viuimus, ſpiritu animati & vegetati ſumus, ſicut probè ſcitis,

Digitized by Google

vnde nec dubitare poteſtis quin poſſimus: ac proinde etiam ſi poſſumus, quin debeamus. Ergo ita omnia in ſpiritu ſicut poſſumus & debemus, operemur, & ita ſpiritu ambulemus ſicut ſpiritu viuimus.

SIC autem breuiùs inde formatur Ratio. Si manifeſtè patet, nos poſſe ambulare ſpiritu, ſpiritu ambulemus, ſeu quod idem eſt, ad id excitemur, id nos debere credamus.

Sed ſi ſpiritu viuimus, manifeſtè patet nos poſſe ſic ambulare.

Ergo ſic ſpiritu ambulemus, ſic prouocemur, ſic perſuadeamur vt ambulemus.

I. PVNCTVM.

QVID de vnoquoque Spiritus Sancti Dono ſit ſentiendũ, & quomodo in Chriſto Domino fuerit, ſic paucius ex D. Thoma collige, quæ fuſius meditando perpendes. SAPIENTIA eſt cognitio & Contemplatio cauſæ altiſſimæ 2. 2. q. 45. quæ eſt Deus: Eſt & iudicium rectum de rebus omnibus, ſecun- a. 1. dum diuinas regulas. Sic Chriſtus Dominus dicebat, *ſicut audio,* Ioan. 5. *iudico, & iudicium meum iuſtum eſt.* INTELLECTVS eſt 2. 2. q. 8. intima quædam cognitio ſeu ſupernaturale lumen quo res ob- a. 1. ſcuras & reconditas ita penetramus, vt intus legere quodammodo videamur. Sic Chriſtus Dominus perfecte intelligebat, *& in-* Luc 24. *interpretabatur ſcripturas quæ de ipſo erant.* CONSILIVM 2. . q 52. eſt de ſingulis agendis ſupra naturalem & humanam prudentiam a 1. & 2. quæ ſic adiuuatur & perficitur: ſic Chriſtus D. *ductus eſt in deſer-* Matth. 4. *tum à ſpiritu*; *Et quæ Deo placita erant faciebat ſemper.* Ioan. 8.

FORTITVDO eſt qua peruenitur ad finem operis in- 2.2.q.193. choati, ad quem ex ipſa virtute fortitudinis peruenire non po- a. 1. tuiſſes, propter occurentes difficultates: *Et hoc præcipue operatur Spiritus ſanctus in homine*, inquit S. Doctor, *cum perducit eum ad vitam æternam, quæ eſt finis omnium bonorum operum, & euaſio omnium periculorum.* Sic Chriſtus Dominus toto vitæ ſuæ decurſu, *exultauit vt Gigas ad currendam viam ſuam in fortitudine ſpiritus* Pſal 18. *ſui.* SCIENTIA eſt circa res humanas, ſicut ſapientia circa Iſ 11.

Digitized by Google

pudor humani cordis! Cor quidem tuum nimis anguſtum eſt tam amabili Chriſto diligendo; ſed ſi Solum diligeres, non dedignaretur Chriſtus illas anguſtias. Quod vnum dedignatur, eſt ſocius cordis quem adhibes, etiamſi latius & capacius vniuerſo cor haberes! Dùm regnet ſolus in corde Chriſtus, poteſt ipſe ſatis regnum ſuum dilatare, ſed ſi ſocium ei addideris, regnum eius aut regni ſedem ſic anguſtas & conſtringis, vt nec ibi regnare poſſit, nec velit viuere.

FERIA QVARTA.

SEPTEM DONORVM SPIRITVS SANCTI PLENITVDO IN VERBO INCARNATO.

Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectus, Spiritus Conſilij & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ & Pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Iſ. 11.

VERITAS PRACTICA.

Si Spiritu viuimus, Spiritu & ambulemus. *Gal.* 5.

SENSVS verborum Apoſtoli eſt, vt quantùm patet nos poſſe ambulare ſpiritu, id eſt, omnia noſtra ſecundum Spiritus ſancti motum peragere, tantùm excitemur ad id peragendum, tàm certo credamus nos ita debere ambulare. Quod autem pateat nos id poſſe, inde euidens facit, quia, inquit, ſpiritu viuimus, ſpiritu animati & vegetati ſumus, ſicut probè ſcitis,

vnde nec dubitare poteſtis quin poſſimus : ac proinde etiam ſi poſſumus, quin debeamus. Ergo ita omnia in ſpiritu ſicut poſſumus & debemus, operemur, & ita ſpiritu ambulemus ſicut ſpiritu viuimus.

SIC autem breuiùs inde formatur Ratio. Si manifeſtè patet, nos poſſe ambulare ſpiritu, ſpiritu ambulemus, ſeu quod idem eſt, ad id excitemur, id nos debere credamus.

Sed ſi ſpiritu viuimus, manifeſtè patet nos poſſe ſic ambulare.

Ergo ſic ſpiritu ambulemus, ſic prouocemur, ſic perſuadeamur vt ambulemus.

I. PVNCTVM.

QVID de vnoquoque Spiritus Sancti Dono ſit ſentiendũ, & quomodo in Chriſto Domino fuerit, ſic paucius ex D. Thoma collige, quæ fuſius meditando perpendes.

SAPIENTIA eſt cognitio & Contemplatio cauſæ altiſſimæ quæ eſt Deus : Eſt & iudicium rectum de rebus omnibus, ſecundum diuinas regulas. Sic Chriſtus Dominus dicebat, *ſicut audio, iudico, & iudicium meum iuſtum eſt.* INTELLECTVS eſt intima quædam cognitio ſeu ſupernaturale lumen quo res obſcuras & reconditas ita penetramus, vt intus legere quodammodo videamur. Sic Chriſtus Dominus perfecte intelligebat *& interpretabatur ſcripturas quæ de ipſo erant.* CONSILIVM eſt de ſingulis agendis ſupra naturalem & humanam prudentiam quæ ſic adiuuatur & perficitur : ſic Chriſtus D. *ductus eſt in deſertum à ſpiritu ; Et quæ Deo placita erant faciebat ſemper.*

2. 2. q. 45. a. 1. — Ioan. 5. — 2. 2. q. 8. a. 1. — Luc 24. — 2. . q 52. a 1. & 2. — Math. 4. — Ioan. 8.

FORTITVDO eſt qua peruenitur ad finem operis inchoati, ad quem ex ipſa virtute fortitudinis peruenire non potuiſſes, propter occurentes difficultates : *Et hoc præcipue operatur Spiritus ſanctus in homine*, inquit S. Doctor, *cum perducit eum ad vitam æternam, quæ eſt finis omnium bonorum operum, & euaſio omnium periculorum.* Sic Chriſtus Dominus toto vitæ ſuæ decurſu, *exultauit vt Gigas ad currendam viam ſuam in fortitudine ſpiritus ſui.* SCIENTIA eſt circa res humanas, ſicut ſapientia circa

2. 2. q. 139. a. 1. — Pſ. 18. — Iſ 11.

2. 2. q. 9. a. 1. diuinas; iudicium ſcilicet rectum de rebus humanis & creatis ſecundum altiſſimam cauſam, prout ſunt à Deo conditæ, ſic de
Luc. 12 Math. 6. 16. iis iudicare & ordinare. Sic Chriſtus D. *Videte & cauete ab omni auaritia, Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Quid prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur?* PIETAS eſt filialis af-
2. 2. q. 121. a. 1. fectio erga Deum vt patrem, cui propterea cultum & officium
Math. 11. exhibemus. Sic Chriſtus D. *Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum*
2. 2. q. 19. a. 9. *ante te.* TIMOR eſt quo Deum voluntarie reueremur, & nos ipſi ſubducere refugimus. Sic Chriſtus Dominus dicitur, *Exau-*
Hebr. 5. *ditus in omnibus, pro ſua Reuerentia,* & hoc affectu reuerentiæ ſic
3. p. q. 7. a. 6. ordinarie mouebatur in Deum, vt hunc affectum habuerit præ cæteris pleniorem, inquit S. Thomas, vnde & dicitur de hoc
Apoc. 15. dono: *Et replebit eum ſpiritus timoris Domini. Quis non timebit te, Domine, quem ſic timet & reueretur Filius tuus?*

Sic vero vnicuique noſtrum ſicut Chriſto D. ſeptem illa dona conferuntur, cum gratia ſanctificante, vt ad actus ſupernaturales
1. Cor. 3. & vere ſpirituales, excitemur, *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Sed quàm longe ſumus ab ea obedientia quam Chriſtus illi exhibebat! Chriſtus numquam, nos fere ſemper reſiſtimus! *Quod vt diligentius caueamus,* opportunum eſt illud Apoſtoli; *Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus.*

Ratio hæc affertur inter alias, Quia quàm manifeſte patet nos facile poſſe ambulare ſpiritu, id eſt, agi & agere ex Spiritus ſancti motu, tàm aperte & potenter excitamur vt ita ambulemus. Nam cum ille agendi ſtatus ſit tam excellens & vtilis, vt ſatis ex ſe liquet, nihil videtur reſtare quò efficaciter excitemur ad illum ſtatum conſectandum, quàm vt probe ſciamus nobis id eſſe facilius & iucundius eò peruenire quàm putetur. Quando enim illa tria ſimul concurrunt: Excellentia rei, Vtilitas, & Faci-
Eccle. 4. litas, funiculus eſt ille triplex cui nihil reſiſtit. Hoc eſt igitur quod declarat illa prima propoſitio, perinde quaſi diceretur, ſi facilitas ambulandi ſpiritu, æque adſit ac præſtantia & vtilitas, nonne tum ambulabis? quid reſpondes? Tu qui hactenus nihil aliud reſpondiſti quò minus ſpiritu ambulares, quàm quia id difficilius: ſi tibi manifeſte oſtenditur, id eſſe facile, quid reſpondebis?

II. PVN-

II. PVNCTVM.

S*ED ſi ſpiritu viuimus, manifeſte patet nos poſſe facile ſpiritu ambulare.*

Primò enim in hunc præcipue finem nos Spiritus ille viuificat, vt vitam ſpiritualem viuamus, quod eſt ſpiritu ambulare; An vero potuit Spiritus ſanctus hunc finem in nobis prætendere, & non poterit nos ad eum perducere? Numquid legiſti de rotis illis myſticis, *Quocumque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu, & rotæ pariter eleuabantur ſequentes eum, ſpiritus enim vitæ erat in rotis?* Iam vero Idem ſpiritus in te non poterit quod in illis rotis? Ezech. 1.

Deinde vero, quære abs te, vnde habet corpus tuum vt moueatur quò velis? nonne à ſpiritu quo corpus viuit? Cur non ergo à Spiritu ſancto quo viuis, ſic moueri & ambulare poteris, cum non ſit minus potens ad te mouendum, quàm ſpiritus tuus naturalis ad mouendum corpus? *Spiritus eſt qui adiuuat infirmitatem noſtram.* Rom. 8.

Quod ſi dicis in te impediri Spiritum ſanctum, quo te minus facile moueat, quid eſt quod illum impedit? Circumſpice omnia, & videbis nullum eſſe alium præter te ipſum. An vero ſanus eſſes, ſi ſic corpus impedires? Et quidem corpus tuum poteſt impediri ne ambulet, etiam nolente te: At vero ne ambules ſpiritu, non poteſt impediri Spiritus ſanctus per quem ambulas, niſi te volente. O te miſerum qui cum beatiſſimus eſſe poſſis, te miſerum facis! *Miſerere animæ tuæ.* Eccli. 30.

III. PVNCTVM.

S*I ergo ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus*; Cùm ſcilicet ex vita ſpirituali quam nobis confert Spiritus ſanctus, aperte pateat nos facile poſſe ambulare ſpiritu: & quandoquidem ita eſt facile, vt dictum eſt, iam nihil reſtet quod excuſemus ne ita ambulemus. *Propter quod*, inquit Apoſtolus, *remiſſas manus & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.* Hebr. 12.

Neque vero excuſes mundum aut carnem; *Non enim accepimus ſpiritum huius mundi, vt ſecundum hunc mundum viuamus, ſed* 1. Cor. 2.

Digitized by Google

accepimus ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis; & ſecundum illa viuamus. Neque vt ſic ambulemus, expectandum eſt, donec nulli ſint contrarij carnis motus, ſed potius ſic ſpiritu ambulandum eſt, vt illi carnales motus comprimantur. Sic enim habes, *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi aduerſantur. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Nonne vis eius eſſe? At vbi crux? vbi malleus? vbi claui? An incepiſti ſeriò carnem cruci affigere? Solo ſpiritu Chriſtus ambulauit; *Et qui dicit ſe in Ipſo manere, debet ſicut Ille ambulauit, & ipſe ambulare.*

Gal. 5. — *1. Ioan. 2.*

Vide in 2. parte, in die Pentecoſtes, & in Indicibus Verbo *Spiritus.*

FERIA QVINTA.

SEPTEM ORDINARIÆ INFIRMITATES INFANTIVM, QVAS IN VTERO PATI VOLVIT VERBVM INCARNATVM.

Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Iſ. 53.

Non habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia, pro ſimilitudine, abſque peccato. Heb. 4.

VERITAS PRACTICA.

L. 3. de Imit. Ch. c. 5. Non viuitur in amore Chriſti, ſine dolore.

RATIO EST, Quia non viuitur in amore Chriſti, ſine graui zelo.

Digitized by Google

Sed talis zelus affert dolorem.

Ergo non viuitur in amore Chriſti ſine dolore; Qui tamen omni gaudio eſt præferendus.

I. PVNCTVM.

POTERAT quidem Dominus eſſe homo ſine matre, aſſumendo humanam carnem de quacumque materia voluiſſet vt ait S. Thomas. Aut certe ſi matrem habere voluit, poterat naſci ſtatim atque conceptus eſt. Aut ſi denique more aliorum Infantium in materno vtero nouem reſidere menſes voluit, poterat non ſubiacere illorum miſeriis & infirmitatibus. Verùm cùm verè nos amaret, vere dolores & languores noſtros cum ipſa vita ſubire voluit, vt nobis amorem ſuum apertius indicaret, & noſtrum prouocaret. 3. p. q. 31. 4. 4.

Hæ porrò ſunt ſeptem ordinariæ infirmitates infantium, quamdiu ſubſiſtunt in vtero; NONNISI vitâ matris viuere, & morte eius mori. NONNISI ſanguine viuere. NONNISI arcto & contracto corpuſculo. NON alio ſitu & ſtatu quàm qui horrorem inijceret intuenti. NON aliter quàm captiuum detineri. NVLLO libertatis vſu gaudere. NVLLO denique vti ſenſu, quàm tactu, nec pene aliter viuere quàm ſi non viueret.

Has omnes infirmitates ſic ſuſtinuit Dominus, vt præ cunctis infantibus longe grauiùs & acerbiùs eas ſuſtinuerit, cùm ipſe compos rationis & omni plenus ſcientia probe ſciret & aduerteret ſe in hoc miſerando eſſe ſtatu; Quod certe eſt tam horrendum & mirandum, vt hoc vnum præcipue admiretur Eccleſia: *Non horruiſti Virginis vterum.* Sic nos amabat, ſic ſe à nobis amari volebat, vt quemadmodum ille noſtris, ita nos eius doleremus malis.

Hic eſt ſenſus Veritatis propoſitæ, *Non viuitur in amore Chriſti ſine dolore*, Quia ſcilicet non eſt amor ſine zelo, nec zelus ſine dolore. Hæc ſunt modo expendenda. Ac primum illud quod non ſit amor Chriſti ſine zelo, id eſt ſine vehementi deſiderio amplificandæ eius gloriæ, notificandi eius nominis, & diuini eius amoris communicandi. Nam cùm IESVS tale ſit bonum,

Digitized by Google

tam præſtans, tam iucundum, tam omni ex parte amabile, vt quanto magis Cor amantis in eius amore dilatatur, tanto ſibi magis videatur conſtringi & arctari: Quid ei reſtat quàm vt corda omnium hominum deſideret, quibus Chriſtum ſuum magis amet, vel potius vt in cordibus omnium ipſe Dominus viuat &
Cant. 7. ametur ab omnibus? *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Hoc deſiderium tam vehementer aliquos incendit, vt quemadmodum ait ſanctus Bernardus, *Otium Con-*
Serm. 57. in Cant. *templationis pro ſtudio Prædicationis libentiſſime intermittant*, & S. Auguſtinus, *Rape ad Eum*, inquit, *Quas potes animas & dic*
4. Confeſſ. 12. *eis, hunc amemus, hunc amemus.*

II. PVNCTVM.

SED *talis zelus dolorem infert.*

Nam cùm Zelator diuini amoris videat ſe parum poſſe erga homines; cùm animaduertat longe plus valere vanitatem in mundo quam Veritatem; longe plus offendi Chriſtum quam diligi: quantis dolorum aculeis pungitur! quantis tabeſcit deſi-
Pſal. 118. deriis! *Tabeſcere me fecit Zelus meus. Veritatem dico in Chriſto, non mentior*, inquit Apoſtolus, *teſtimonium mihi perhibente conſcien-*
Rom. 9. *tia mea in Spiritu ſancto, quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.* Neque enim tantum non amatur Chriſtus, quod ſolum ſi eſſet, ſatis eſſet quod gemeretur; ſed præterea offenditur, & tot offenſis, tàm grauibus, tam ſæpe repetitis, & vix vnquam intermiſſis! O quis Chriſtum amet & non gemat!

An tu ſpirantem Eum, & viuum in Cruce pendentem ſine lachrymis intueri potuiſſes? At nonne magis Eum cruciari vel vno peccato lethali credis quam ſua cruce? *Cur me*, inquit Ille
Serm. 181. apud S. Auguſtinum, *grauiori tuorum criminum cruci affixiſti? Grauior apud me peccatorum crux in qua inuitus pendeo, quàm illa in quam tui miſertus aſcendi.* Si vel vni peccatori ſic Chriſtum loquentem & conquerentem audires, an illum diligeres & non doleres? Quid quod cum multis ita conqueritur? Quid quod tu
Zach 13. ipſe es cui loquitur, tu ipſe qui Eum cruci affigis! *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus ſum in*
Mal 13. *domo eorum qui diligebant me.* O plagas peccatorum, plagis cla-

Digitized by Google

uorum longe grauiores! *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me!* Deicida quid feciſti, cùm peccaſti? *Deduc quaſi torrentem lachrymas, per diem & noctem non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Thren. 2.

III. PVNCTVM.

NON *ergo viuitur in amore Chriſti, ſine dolore.* Aut enim non eſt amor, vel eſt zelus; aut non eſt zelus vel eſt dolor; & quidem dolor continuus, quia malum Amati quod eſt peccatum numquam ceſſat in mundo. Quamdiu autem is qui vere amat, in amato malum videt, tamdiu neceſſe eſt vt doleat, aut non vere amat. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?* Ah vbi eſt Deus tuus? Pſ. 41. Deus ille qui eſt in vtero virginis pro me! Deus ille qui in cœlo me expectat! Deus ille qui viuebat in anima: vbi eſt per peccatum? Quod ſi in cruce eſt per peccatum, totque ſint cruces quot peccata, vbi eſt Deus tuus! quot quantiſque in crucibus & cruciatibus!

Hoc eſt quod à zelo quotidie dicitur amanti Deum, *Vbi eſt Deus tuus?* Hoc eſt quod illi lachrymas tam continuas facit, vt ne quidem eas contineat dum panem ſumit. Hoc eſt denique quod amaram quandam iucunditatem facit, & iucundam amaritudinem, vt lachrymæ fiant panes, & panis fiat, *Panis doloris.* Quantum enim ex vna parte ſentitur doloris propter malum Amati, tantum ex alia, iucunditatis quidam ſenſus percipitur, quòd ille dolor ſit amoris dolor.

Itane tecum agitur? hoc intende, hoc ora: *Ciba me Domine pane hoc lachrymarum, & potum da mihi in lachrymis, in menſura.* Pſ. 79. *Hæc eſt ira contra peccatum, quæ eſt melior riſu. Cor ſapientium vbi hæc triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia non ſic temperata.* Eccl. 7.

Vide infra, die nono Ianuarij. Et in 2. parte feriam ſecundam poſt Dominicam Sexageſimæ & Quadrageſimæ.

Digitized by Google

FERIA SEXTA.

SEPTEM VIRTVTES QVAS, INTER ALIAS, CHRISTVS DOMINVS IN VTERO VIRGINIS MATRIS EXERCVIT.

Ego autem in terra Captiuitatis meæ confitebor illi. Tobiæ 13.

VERITAS PRACTICA.

Nunquam eſt Dei amor otioſus.

Hom. 30. in Euang. *RATIO affertur à S. Gregorio, cuius eſt hæc ipſa Veritas propoſita: Operatur etenim magna ſi eſt, ſi vero operari renuit, amor non eſt. Sic porro formatur Ratiocinatio.*

QVI vult & qui poteſt ſemper operari, nunquam eſt otioſus.
Sed Amor Dei vult & poteſt ſemper operari.
Ergo nunquam eſt otioſus, aut non eſt Amor Dei.

I. PVNCTVM.

Tob. 13. QVÆ de Tobia memorantur, *Quod cùm captus eſſet, in captiuitate tamen poſitus, viam veritatis non deſeruit*; &
Ibid. 13. quæ de ſe ipſe dicit, *Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi*, ſcilicet Deo, quem conſtantiſſime coluit: apte referri poſſunt ad Chriſtum Dominum, in virginali vtero velut in terra captiuitatis reſidentem. Ibi enim ne momentum quidem vnum elabi paſſus eſt, quo Deum nõ coleret, quo nobis non
Pſ. 24. benefaceret, & quo virtutis alicuius actum non exerceret. *Oculi mei ſemper ad Dominum.*

Hæ vero ſeptem inter alias cogitari poſſunt Virtutes, quas

Digitized by Google

repetitis aut continuatis actibus exerceret frequentius. GRATITVDO: HVMILITAS: RELIGIO: OBLATIO SVI: RESIGNATIO: COMPASSIO ſeu MISERICORDIA erga homines: CONTRITIO & Satisfactio pro ipſorum peccatis: Quia vt de ſe aiebat Iob, ſic vere Chriſtus; *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & ex vtero matris mea egreſſa eſt mecũ.* *Iob. 31.* Quæ vero Regina eſt omnium Charitas non recenſetur inter illas ſeptem, quia ſic omnibus coniuncta erat vt ab ijs nunquam abeſſet, nunquam non earum actus imperaret, informaret & regeret, cum nunquam ab amando vacaret ſicut ipſe dicebat; *Quia Ego quæ placita ſunt Ei, facio ſemper.* *Ioan. 8.*

Sic nos erudiebat, ſic nos exemplo ſuo docebat: *Numquam Dei amorem eſſe otioſum*; ſic nos permouebat ad id conſiderandum & exequendum.

Ratio quæ id perſuadet eſt facilis, quia videlicet, Qui vult & qui poteſt ſemper operari nunquam eſt otioſus. Quid eſt enim eſſe otioſum, niſi ceſſantem ab opere, ſeu non operantem, quando quis debet operari? Quid eſt autem quod quis non operetur, niſi quod non vult vel quod non poteſt operari? Sic de pigro & otioſo aperte Sapiens, *Noluerunt quicquam manus eius operari.* *Prou. 21.* Et illi operarij à patrefamilias inquiſiti, *Cur ſtarent tota die otioſi, reſponderunt, quia Nemo nos conduxit*; *Math. 20.* Quaſi dicerent, in noſtra non eſt poſitum poteſtate. Vnde cum hæ ſolum duæ afferantur rationes, cur quis non operatur, quia non vult, vel non poteſt, ſequitur manifeſtè, vt qui vult & qui poteſt ſemper operari, nunquam ſit otioſus.

Vtrum horum tibi deeſt? An voluntas, an poteſtas? *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam. Vſquequo piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo?*

II. PVNCTVM.

SED *Amor Dei vult & poteſt ſemper operari.*

Primò quidem vult tam vere quam verus amor eſt, cùm amor nihil ſit aliud quam voluntas amantis tam propenſa in amatum vt illi ſemper bene velit & benefaciat quantum poteſt. *Pondus meum, amor meus*, inquit S. Auguſtinus, *eò feror quocunque feror*, Id eſt, in id maxime propendeo quod amo. Hæc eſt *l. 13. Conf. c. 10.*

amoris natiua proprietas, vt amantis voluntatem inclinet in rem amatam. Quod expreſſius S. Dionyſius: *Exſtaſim faciens*, inquit, *diuinus amor, amatores ſui Iuris eſſe non ſinit, ſed in ea quæ amant penitus transfert*, vt ſcilicet agant, & agendo indicent quantum ament;

l. de diu nom. c. 10.

Prou. 30. Cant. 8. in Pſ 47. l. 23. c 5.

Hinc amor comparatur igni, *Qui nunquam dicit ſufficit, & lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aqua multa non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruent illam*: Vnde S. Auguſtinus, *Intellige vim Charitatis, Ipſa eſt virtus quam nemo vincit, huius ignem nulli fluctus ſæculi, nulla flumina tentationis extingunt*. Author vero libri de imitatione Ieſu ſic aptiſſime: *Amor Ieſu nobilis ad magna operanda impellit, & ad deſideranda ſemper perfectiora excitat. Amans volat, currit, & lætatur: liber eſt & non tenetur, dat omnia pro omnibus, & habet omnia in omnibus, quia in vno Summo ſuper omnia quieſcit, ex quo omne bonum fluit. Amor onus non ſentit, laborem non reputat, plus affectat quam valet, de impoſſibilitate non cauſatur, quia cuncta ſibi poſſe & licere arbitratur. Valet igitur ad omnia, & multa implet, & effectui mancipat, Vbi non amans deficit & jacet.*

1. Cor. 10. Coloſſ. 3.

DEINDE vero, quod poſſit ſemper vere operari, vel ex eo patet, quod quicquid Amans operetur, id referre poſſit ad Deum & ex eius amore facere; *Siue manducatis*, inquit Apoſtolus, *ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Et alibi: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere; omnia in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* Cum enim in his omnibus quæ à nobis ex officio vel neceſſitate, vel vtilitate proximi agenda ſunt, ſpectari poſſit eius Voluntas, quæ ſic vitæ noſtræ curſum ordinauit; Cumque in ea diuina voluntate adimplenda vel maxime Deo placeamus, quid eſt quod non ſemper operari, & bene operari poſſis?

O Bonitatem diuinam, quæ his contenta eſt noſtris quotidianis operibus! O humanam malitiam quæ tam parua Deo negat, quæ magna fierent ſi libenter Deo darentur.

III. PVNCTVM.

NVNQVAM *eſt igitur Dei amor otioſus*; Cum nunquam non operetur ſi velit; velit autem quantum poſſit; *Sic omni*

Digitized by Google

omni tempore diligit qui amicus eſt, vt ait ſapiens, *Sic Charitas* Prou. 7.
nunquam excidit, vt ait Apoſtolus, ſic Dominus, *in Charitate* 1 Cor. 13.
perpetua nos diligit, vt ipſe ait per Prophetam. Sic denique ad- Ier. 31.
moneris, *Non defraudari à die bono, & particula boni doni non te* Eccleſ. 14
prætereat. Itanè tu ſic conſtanter! Nunquid multæ tibi horæ de-
pereunt? An vis ceſſare ab amando? At quando otiaris, ceſ-
ſas amare, quia Dei amor non eſt otioſus. Etiamſi aliquando
operari non poſſes, etiamſi ad remittendum animum te inter-
dum otiari contingeret; ipſam etiam operandi impotentiam, ip-
ſam etiam otiandi neceſſitatem potes in amorem Dei conuerte-
re; ſi quod ex ratione & neceſſitate non potes facere; hoc ipſum
non facias quia Deus non vult hoc à te fieri. *Nolite deficere bene-* 2.Theſſ. 3.
facientes. Quodcumque facitis ex animo operamini, ſicut Domino, & Coloſſ. 3.
non hominibus. Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet ma- Eccl. 11.
nus tua.

SABBATO.

SEPTEM VIRTVTES PRÆCIPVÆ IN CVLTVM ET AMOREM VERBI INCARNATI EXHIBENDAE.

Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro:
Venite adoremus & procidamus ante Deum. Pſ. 94.

VERITAS PRACTICA.

Amor non niſi amore compenſatur.

RATIO EST, Quia Amor Dei erga nos de quo hîc agimus, non compenſatur niſi per aliquid æquale redditum.
Sed non niſi dato amore tuo, par & æquale reddideris.

Digitized by Google

Ergo ille amor non niſi amore noſtro compenſatur ; ac proinde omnia in cultum & amorem eius conuertenda.

I. PVNCTVM.

QVAM multis nominibus Chriſto Domino noſtra debeamus officia, quantùm id à nobis Pater deſideret, quantùm ipſe Filius mereatur, quantùm Spiritus ſanctus in id nos excitet, quantùm denique Angeli ſuo nos prouocent exemplo, qui ſtatim atque introductus eſt Primogenitus in orbem terrarum illud audiuerunt & executi ſunt, quod refert
Hebr. 1. Apoſtolus, *Et adorent Eum omnes Angeli eius* ; tu ipſe tecum reuolue.

Et ſi vero nullum eſt pietatis officium, nulla virtus, aut vllus virtutis actus quem non plene & integre in Eius cultum & honorem exercere debeas, tum hæ potiſſimum ſeptem virtutes ſunt exercendæ quæ ſunt præcipuæ, vtpote Theologicæ & Cardinales, ad quas cæteræ referuntur.

Ioan. 11. FIDES, credendo firmiſſime quicquid docet ; *Vtique Domine, ego credidi quia tu es Filius Dei qui in hunc mundum veniſti.*
2. Tim. 1. SPES, plane Ei fidendo in omnibus ; *Scio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.* CHARI-
Ioan. 21. TAS, *Etiam Domine ; Tu ſcis quia amo te.* PRVDENTIA,
1. Cor. 2. *Non Iudicaui me ſcire aliquid niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.*
Phil. 3. *Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei.* IVSTITIA, Quæcumque
Apoc. 4. ſunt Religionis, Pietatis & Gratitudinis : *Dignus es Domine Deus*
Ibid. 5. *noſter accipere gloriam & honorem & virtutem ; Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & diuinitatem, &c.* FORTI-
Matth. 8. TVDO. *Sequar te quocumque ieris. Domine tecum paratus ſum, &*
Ioan. 15. *in carcerem & in mortem ire : animam meam pro te ponam.* TEM-
Pſ. 72. PERANTIA. *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper*
Philip. 4. *terram? Scio & humiliari, ſcio & abundare, & ſatiari & eſurire, omnia poſſum in eo qui me confortat.*

Quæ quidem virtutes poſſunt exerceri ſine Charitate, ſed non meritoriè, non plene, nec perfectè. Neque vero tantum id curandum eſt, vt in Charitate habituali fiant, ſed vt à Charitate
1. Cor 13. actuali imperentur & informentur. Sic enim *Charitas omnia cre-*

dit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, & aliarum virtutum omnes exercet actus; aut vt exerceantur, ſic imperat, quaſi ipſa eos facceret & exerceret. *Omnia veſtra in Charitate fiant.* Sic Chriſtus Dominus omnia ex amore, *Et Amor nonniſi amore compenſatur*; ſeu Amori nihil ſufficit niſi amor. *Ibid. 6.*

Expende diutius rationem propoſitam. Vide quàm nulla fiat compenſatio niſi per aliquid æquale, aut quam prope accedens quantum fieri poterit. Sic enim Iuriſconſulti compenſare, *interpretantur liberare ſe àb ære alieno per retributionem alicuius æqualis. Compenſo namque eſt ſimul pondero & retribuo.* Quo ſpectat illud Sapientis: *Statera doloſa abominatio apud Dominum, & pondus æquum voluntas eius.* *Prou 11.*

Cogita quàm iuſte amor Dei ſeu diuina Bonitas velit à nobis amorem ſuum coli & compenſari, quantum in nobis erit. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur & ſimus.* Quàm indignum & probroſum, vt ſi quid melius habeas Deo reddendum, quod ille petat: tu illi neges! *Maledictus doloſus qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino, quia Rex magnus Ego, dicit Dominus exercituum. Væ illis quia in via Caïn abierunt.* *1. Ioan. 3.* *Mal. 1.* *Iudas* *Geneſ. 4.*

II. PVNCTVM.

SED *nonniſi dato amore tuo, par & æquale reddideris.* Mirum quidem ſi ſic etiam æquale dederis! quid eſt enim amor noſter ad diuinum? Sed quandoquidem eo contentus eſt Deus, & ſibi eo ſatisfactum putat, laudetur tanta Bonitas, & eò magis ametur, quò minus à nobis amari poteſt, & quo minus amori tanto tam modicus noſter amor adæquari poteſt! *Diligam Te Domine fortitudo mea.* *Pſ. 17.*

Aliud itaque magis eſt reuoluendum, Quod nihil æquale eſt amori quàm amor: Quod quidem verum eſt inter homines, at multo magis apud Deum, qui non noſtra ſed nos quærit, nos inquam totos poſſidendos: Neque nos aliter vere poſſidet quam dato corde & amore noſtro: Nec Illi aliud quidquam æquale reddideris niſi te totum ſic plenè poſſideat, vt nihil cordis & affectus ſuperſit quin ad Eum amandum, plane profuderis. Quia quod æqualitatem facit, ſi qua eſt æqualitas, non eſt rei datæ ſub-

Digitized by Google

ſtantia, non eius qualitas, aut quantitas; ſed tota & integra noſtrũ donatio; vnde ſicut æqualitas dicitur perfici quando totum donatur, ſic niſi detur, quicquid dederis, nihil æquale datur; Totum eſt dandum, in quo vno toto tota eſt æqualitas, & ſine quo nulla. Sic aptè ſanctus Bernardus de re tota, *Ipſe*, inquit, *meritum, ipſe ſibi præmium eſt amor: præter ſe non requirit cauſam, non fructum, fructus eius, vſus eius. Amo, quia amo; amo vt amem. Magna res amor ſi tamen ad ſuum recurrat principium, ſi ſuæ origini redditus, ſi refuſus ſuo fonti, ſemper ex eo ſumat vnde iugiter fluat. Solus eſt amor ex omnibus animæ motibus, ſenſibus, atque affectibus, in quo poteſt creatura, & ſi non ex æquo, reſpondere auctori, vel de ſimili mutuam rependere vicem.*

Serm. 83. in Cant.

Quidquid præter teipſum das, inquit ille ipſe Amator tuus, *nihil curo, quia non quæro datum tuum, ſed te; ſicut non ſufficeret tibi omnibus habitis præter me, ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato.* Ad hæc quid reſpondes? videſne ſaltem nihil par amori eſſe, quàm amorem?

L. 4. de Imit. Ch. c. 8.

III. PVNCTVM.

AMOR *igitur quo nos Deus amat non niſi amore noſtro compenſatur, ſi qua re compenſari poteſt.* Quia vt vides, nihil æquale eſt amori quàm amor, qui nos totos Amori diuino reddit, cui totum quod ſumus debemus; quod quando eſt perſolutum, ſatis quidem ſibi eſſe factum diuina bonitas reputat; ſed nunquam aliter, nunquam ſi quid deſit. *Anania, nonne manens tibi manebat? Vſquequo claudicatis in duas partes? Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* O certe diuinam æquitatem, quæ nihil à me petit niſi quod debeam & quod poſſum reddere! Sed ô diuinam Iuſtitiam, quæ id iure repetit & iure punit niſi reddidero!

Act. 2. 3. Reg. 18. Luc. 14.

Nec me putes, inquit ſanctus Bernardus, poſt multa de hoc argumento, *rem exaggerare ſermonibus: quia hic deficit omnis lingua, nec ſufficit oculus vel ad intuendum tantæ maieſtatis arcanum. Cum ergo ei donauero quicquid ſum, quicquid poſſum, nonne iſtud ſic eſt, ſicut ſtella ad ſolem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum? Non habeo niſi minuta duo, imo minutiſſima, corpus & animam, vel potius vnum minutum, voluntatem meam, & non dabo il-*

Serm. de quadr. debito.

Digitized by Google

lam ad voluntatem illius qui tantus tantillum tantis beneficiis præuenit, qui toto ſe totum me comparauit? Alioquin ſi illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conſcientia vado ad viſcera miſericordiæ Dei noſtri? Et quæ plura ibi habet.

Ah mi amor, Chriſte Ieſu, niſi hæc ſufficiant vt me toto, te totum amem, indignus plane ſum quem Tu ames, & dignus vere ſum illa maledictione quam intentat Apoſtolus tuus, *Si quis non* 1. Cor. 16.
amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema.

Vide in Indicibus Verbo, *Amor, Charitas.*

Digitized by Google

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

DE PRÆPARATIONE AD GRATIAS NASCENTIS CHRISTI DOMINI RECIPIENDAS.

Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Luc. 3.

ISTA præparatio non videtur fieri poſſe commodius, quàm per Virtutes ſeptem, totidemque Veritates oppoſitas ſeptem vitijs capitalibus, quæ maxime ſe opponunt illis Gratiis recipiendis. Illæ autem Virtutes & Veritates facile obſeruari poſſunt in Euangelio, ſeu in Myſteriis quæ ab Annunciato & Incarnato Verbo ſuperſunt conſideranda, vſque ad ipſam Natiuitatem. Quo tamen die Vigilia Natiuitatis Domini contigerit, tunc Meditatio propria quæ infra habetur die Sabbati, omiſſis aliis aſſumi poterit.

HODIE de Temperantia, quæ opponitur vitio gulæ ſeu vitæ laxiori, ab exemplo S. Ioannis Baptiſtæ commorantis in deſerto, & inclamantis vt paremus viam Domini, prout legitur in Euangelio hodierno.

VERITAS PRACTICA.

Sibi, non Domino viuit, qui temperatè non viuit.

RATIO EST, *Quia qui ſeipſum in victu & veſtitu non Dominum quærit, ſibi non Domino viuit.*

Digitized by Google

Sed qui temperatè non viuit, ſeipſum quærit in victu, non Dominum.

Ergo is ſibi non Domino viuit. Vnde & illud infertur quod quantum neceſſe eſt non ſibi ſed Domino viuere, tantum neceſſe eſt viuere temperatè.

I. PVNCTVM.

VITA illa auſterior quam agebat ſanctus Præcurſor Domini in deſerto, ſatis indicat quàm eſſet temperans, & quantopere nobis Temperantiam commendaret, ad præparandam viam Domini. Quàm vero huic præparationi ſit opportuna Temperantia, perpende ex oppoſito vitio, quod non minus pugnat cum Gratia naſcituri Domini, quàm caro repugnet ſpiritui. Hoc eſt videlicet primum quod Apoſtolus illi attribuit Gratiæ, *Quæ apparuit omnibus hominibus vt ſobriè, ſeu temperanter, tum iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo.* *Tit. 2.*

Quanti autem vniuerſim referat ſobriè & temperate viuere vel ex eo agnoſce, quod quàm neceſſe eſt non ſibi ſed Domino viuere, tam ſit neceſſe viuere temperate. *Sibi enim non Domino viuit, qui temperate non viuit.* Quæ quam ſit certa Veritas, ſic demonſtrat allata Ratio.

Qui ſeipſum in victu potius quàm Dominum quærit, ſibi non Domino viuit. Quid clarius? Quid eſt enim ſibi vel Domino viuere, quam ſe vel Dominum in vita quærere? Quomodo autem quis dicetur quærere in vita Dominum, qui in victu quem aſſumit pro vita tuenda, non Dominum ſed ſe ipſum quærit? Nonne ipſe victus ipſa eſt vita? Nonne pro eodem vtrumque ſumit Apoſtolus, quando ſic diſcurrit, *Qui manducat, Domino manducat; Nemo enim noſtrum ſibi viuit & nemo ſibi moritur.* Quænam eſſet hæc Apoſtoli ratiocinatio niſi tam clarum eſſet, manducare & viuere, vnum & idem eſſe, vt ex vno conceſſo, aliud inferatur? O quanta eſt cautio adhibenda in victu, in quo exploratur nùm quis ſibi viuat, an Domino? Et quam recte Sapiens: *Omnis labor hominis in ore eius!* *Eccl. 6.* *Rom. 14.*

Digitized by Google

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

DE PRÆPARATIONE AD GRATIAS NASCENTIS CHRISTI DOMINI RECIPIENDAS.

Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Luc. 3.

ISTA præparatio non videtur fieri poſſe commodius, quàm per Virtutes ſeptem, totidemque Veritates oppoſitas ſeptem vitijs capitalibus, quæ maxime ſe opponunt illis Gratiis recipiendis. Illæ autem Virtutes & Veritates facile obſeruari poſſunt in Euangelio, ſeu in Myſteriis quæ ab Annunciato & Incarnato Verbo ſuperſunt conſideranda, vſque ad ipſam Natiuitatem. Quo tamen die Vigilia Natiuitatis Domini contigerit, tunc Meditatio propria quæ infra habetur die Sabbati, omiſſis aliis aſſumi poterit.

HODIE de Temperantiâ, quæ opponitur vitiò gulæ ſeu vitæ laxiori, ab exemplo S. Ioannis Baptiſtæ commorantis in deſerto, & inclamantis vt paremus viam Domini, prout legitur in Euangelio hodierno.

VERITAS PRACTICA.

Sibi, non Domino viuit, qui temperatè non viuit.

RATIO EST, Quia qui ſeipſum in victu & veſtitu non Dominum quærit, ſibi non Domino viuit.

Digitized by Google

Sed qui temperatè non viuit, ſeipſum quærit in victu, non Dominum.

Ergo is ſibi non Domino viuit. Vnde & illud infertur quod quantum neceſſe eſt non ſibi ſed Domino viuere, tantum neceſſe eſt viuere temperatè.

I. PVNCTVM.

VITA illa auſterior quam agebat ſanctus Præcurſor Domini in deſerto, ſatis indicat quàm eſſet temperans, & quantopere nobis Temperantiam commendaret, ad præparandam viam Domini. Quàm vero huic præparationi ſit opportuna Temperantia, perpende ex oppoſito vitio, quod non minus pugnat cum Gratia naſcituri Domini, quàm caro repugnet ſpiritui. Hoc eſt videlicet primum quod Apoſtolus illi attribuit Gratiæ, *Quæ apparuit omnibus hominibus vt ſobriè, ſeu temperanter, tum iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo.* Tit. 2.

Quanti autem vniuerſim referat ſobriè & temperate viuere vel ex eo agnoſce, quod quàm neceſſe eſt non ſibi ſed Domino viuere, tam ſit neceſſe viuere temperate. *Sibi enim non Domino viuit, qui temperate non viuit.* Quæ quam ſit certa Veritas, ſic demonſtrat allata Ratio.

Qui ſeipſum in victu potius quàm Dominum quærit, ſibi non Domino viuit. Quid clarius? Quid eſt enim ſibi vel Domino viuere, quam ſe vel Dominum in vita quærere? Quomodo autem quis dicetur quærere in vita Dominum, qui in victu quem aſſumit pro vita tuenda, non Dominum ſed ſe ipſum quærit? Nonne ipſe victus ipſa eſt vita? Nonne pro eodem vtrumque ſumit Apoſtolus, quando ſic diſcurrit, *Qui manducat, Domino manducat; Nemo enim noſtrum ſibi viuit & nemo ſibi moritur.* Quænam eſſet hæc Apoſtoli ratiocinatio niſi tam clarum eſſet, manducare & viuere, vnum & idem eſſe, vt ex vno conceſſo, aliud inferatur? O quanta eſt cautio adhibenda in victu, in quo exploratur nùm quis ſibi viuat, an Domino? Et quam recte Sapiens: *Omnis labor hominis in ore eius!* Rom. 14. Eccl. 6.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED *qui temperatè non viuit, ſeipſum quærit in in victu, non Dominum.*

Quid hac etiam propoſitione euidentius? Quis non videt temperate non viuere, nihil aliud eſſe quam peccare contra temperentiam, vel excedendo in victu & potu; vel in cibo qui ſumitur, delectationem ſuam quærendo: vel quocunque tandem alio
V. S. Greg. 30. Mor. 17 peccetur modo? At verò ſic peccare nonne eſt ſeipſum quærere? nonne vel idcirco peccat qui ſic peccat, quia ſeipſum quærit?
Rom 16. *Huiuſmodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri,* inquit Apoſtolus.

Et licet aſſerant non aliter ſe commodius viuere velle, quam vt facilius Chriſto ſeruiant; Itane Chriſtus vitio colitur? Nonne ipſe toties contra?
Luc 6. *Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.*
Matth. 6. *Ideo dico vobis ne ſitis ſoliciti animæ veſtræ, quid manducetis. Nonne anima plus eſt quam eſca?*
Luc. 12. *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem paraſti cuius erunt?* Quis vero ille ſtultus niſi qui ſecum dicebat, *Requieſce, comede, bibe, epulare?* Denique quàm tremenda illa,
Ibid. 21. *Attendite autem vobis ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos dies illa repentina: tanquam laqueus enim ſuperueniet.* Itane verò poſt hæc, Intemperans dicet ſe Chriſtum in victu quærere?
Ioan. 6. *Quæritis me, quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.*

III. PVNCTVM.

SIBI *ergo non Domino viuit, qui temperatè non viuit*; Quia ſeipſum in victu quærit, non Dominum: quod plane vnum ac idem eſt quod ſibi non Domino viuere. *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ,* inquit ſanctus Iudas, *conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes:* Id eſt, ſe propter ſe nutrientes & viuentes. Hinc illud flebile & luctuoſum Apoſtoli:
Phil 3. *Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti, quorum Finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Perpende hæc poſtrema verba, nempe qui finis eſt noſter, noſter eſt Deus, ac proinde cùm intemperans

Digitized by Google

temperans ſibi & ventri viuat, ſe ſuumque ventrem pro fine habet, & conſequenter pro Deo. O perniciosiſſimam intemperantiam, cuius pernicies tam latè patet quam latè patens eſt vita, & quàm perniciosum eſt aliter viuere, quam Deo viuere!

Sic in hoc vitium generatim exardeſce vt particulatim aduertas, quale ſit tuum, in quo excedas aut deficias. Neque hic neceſſitatem excuſes, cum non ſit tam neceſſarium viuere, quam temperatè viuere; Neque enim tam neceſſe eſt vt viuas vita naturali, quam ne viuendo viuas tibi, ſed Domino. In hoc enim natus eſt Dominus, & in hoc mortuus, *Vt qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis eſt natus, eſt mortuus & reſurrexit.* 2. Cor. 5. Denique S. Auguſtinus ſic apte concludet; *Habet vir temperans, in rebus huius vitæ, regulam vtroque teſtamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ huius atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt vſurpet: Vtentis modeſtia, non amantis affectu.* L. de moribus. Eccl. c. 21.

Vide in Indicibus Verbo *Abſtinentia. Sobrietas. Temperantia. Gula.*

IN EADEM DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

AD HÆC EVANGELII VERBA DE S. IOANNE:

Venit in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ, in remiſſionem Peccatorum. Luc. 3.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Licet omni peccatori ſit neceſſariò pœnitendum: vix tamen vllus eſt qui neceſſariam agat pœnitentiam.

RATIO EST, *Quia neceſſariam non agit pœnitentiam, qui non retrahit animum à rebus quæ ſunt cauſa peccati.*

Digitized by Google

Sed vix vllus eſt qui ſic animum à rebus retrahat.

Ergo & vix vllus eſt qui neceſſariam agat pœnitentiam. Quod quàm ſit expaueſcendum, iam facile eſt conijcere.

I. PVNCTVM.

TOTA veritas, eiuſdemque declaratio ſic expreſſa refertur à Propheta Ieremia: *Hæc dicit Dominus, Numquid*
Ier. 8. *qui cadit non reſurget? & qui auerſus eſt non reuertetur? quare ergo auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa? apprehenderunt mendacium & noluerunt reuerti. Attendi, & auſcultaui, nemo quod bonum eſt loquitur.* NVLLVS EST QVI AGAT POENITENTIAM SVPER PECCATO SVO DICENS, QVID FECI? *Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Quaſi diceret: omnes in eodem animi ſtatu & affectu permanent, nullus retrahit animum à peccato, ſeu à rebus quarum affectu peccatur, quamdiu autem peccator non retrahet animum ab illis obiectis quæ ſunt cauſa peccati, nō aget neceſſariam pœnitentiam.

HOC itaque primum eſt in quo fundatur Veritas, & primo declarandum, quod congruam & neceſſariam non agit pœnitentiam qui non retrahit animum ſiue affectum inordinatum ab illis rebus quæ inordinatè & cum peccato diliguntur. Sic autem declaratur. Nam neceſſarium imprimis ad pœnitentiam illud ducitur ſine quo nulla eſt pœnitentia, & quo poſito, poteſt eſſe, licet alia deſint omnia. Talis eſt autem illa quam dicimus animi retractio ſeu reuocatio ab obiectis peccati: ipſa eſt enim, vt vocamus, eſſentialis pœnitentia, ipſe eſt dolor de peccato, ſiue ex Contritione fiat, ſiue ex Attritione cum ſacramento, nihil hic ad rem noſtram refert, vter ex duobus dolor exiſtat, dum modo ſit verus dolor qui tam neceſſarius eſt & tam intrinſecus pœnitentiæ, remittendiſque peccatis, vt ſi verus non eſſet dolor, non eſſet vera pœnitentia. Sic enim abſolutè Tridentinum
Seſſ. 14 c. 4 pronuntiat, *Quouis tempore, hunc dolorem ad impetrandam veniam peccatorum fuiſſe neceſſarium.* Neceſſaria etiam eſt Confeſſio & Satisfactio, ſed non ita ſemper & abſolutè, quin ſi per aliquam deeſſet impotentiam, quæ in variis caſibus poteſt contingere, poſſent ipſa contritione ſuppleri, ſicque peccator ſolum Contritus & non confeſſus ex impotentia confitendi, veniam

Digitized by Google

peccatorum obtineret. Non ita verò dici poteſt de defectu doloris, nam quantumcumque confeſſus ſis, quamtaſcumque eleemoſynas & ieiunia in ſatisfactionem feceris, nulla erit peccati venia niſi ſit de peccatis dolor, qui tam neceſſarius eſt ad illam obtinendam veniam, vt re nulla prorſus aliâ ſuppleri poſſit. *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & tremententem ſermones meos?* *Iſ. 66.*

QVOD verò verus non ſit dolor niſi retrahatur animus à re inordinate amata, vel ex eo manifeſtè patet quod nõ ſit verus dolor niſi ſit animus verè conuerſus, nec vlla vnquam vera peccatoris intelligitur eſſe pœnitentia, niſi ſit talis cõuerſio à peccato qualis eſſet Pagani ab infidelitate, aut Hæretici ab hæreſi ſua. Quid eſt porro conuerti Paganum aut Hæreticum? nonne eſt animum ita retrahere ab idolis & quibuſlibet infidelitatis aut hæreticæ prauitatis indiciis & notis, vt nulla prorſus eorum æſtimatio & affectio reſideat in animo, ſed potius deteſtatio & execratio? Sic plane de peccatis & de rebus inordinate dilectis quæ velut idola coluntur, & velut idola projicienda ſunt: aut certe ſi res retinentur, temperandus earum affectus: aut nulla plane conuerſio, nulluſve peccati dolor circa res tales admiſſus. *Abjicite Deos alienos qui in medio veſtri ſunt, & mũdamini.* *Gen 35.* *EPHRAIM quid mihi vltra idola?* *Oſee 14.* Quamdiu enim eſt inordinata cordis affectio, tamdiu eſt peccatum: quamdiu autem eſt peccatum in corde, non eſt contritio cordis, non eſt dolor, non eſt conuerſio peccatoris. *Securis ad radicem ponenda, facienda eſt arbor bona, & bonus eius fructus.* *Math. 12.* *POENITENTIAM certam*, inquit ſanctus Auguſtinus, *non facit niſi odium peccati, & amor Dei, quando ſic pœnites vt tibi amarum ſapiat quod antè dulce fuit.* *Serm. 7. de temp.* Hoc eſt, *auferre offendicula ſua à facie Domini.* *Ier. 4.* Hoc eſt, *circumcidi Domino, & auferre præputia cordis ſui.* Hoc eſt, *nouare ſibi nouale*; Vt quemadmodum aratro gleba terræ ab ipſis fibris ſtirpitus euellitur, ſic animus à peccati radice quæ in re amata ſiſtit, ſe conuertat. Hoc *Lact l. 6. inſt. c. 24.* eſt quod Græci μετάνοιαν dicunt, id eſt transmentationem ſeu mentis inuerſionem, cùm ſcilicet mens per peccatum rei cuipiam adhærebat, & ab ea per dolorem & conuerſionem in contrariũ retrahitur. *Numquam fuiſſet ipſa pecunia pro qua miſiſti eum:* Dicebat Tobiæ Coniugi de filio dolens mater. *Tob. 5.* Sic dicendum de re omni eſſet, pro qua Chriſtum à nobis dimiſimus.

II. PVNCTVM.

SED vix vllus eſt qui ſic animum à rebus retrahat.
Ier. 8. *OMNES conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium*; Quod duobus modis intelligi poteſt, primò vt conuerſi quidem fuerint dum de peccato doluerunt, ſed reuerſi ſunt poſtea, perinde ac ſi non doluiſſent. Quod ſic Iſaias expri-
Iſ. 56. mebat: *Omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum. Venite, ſumamus vinum & impleamur ebrietate. Et erit ſicut hodie, ſic & cras, & multò amplius.*

Secundò, vt ne quidem pœnitentes & confitentes verè doluerint, nec ſeſe conuerterint: ſicque nulla prorſus fuerit eorum pœ-
Ier. 3. nitentia, *Non in veritate, non in toto corde, ſed in mendacio*, vt ait Scriptura, id eſt fictè & ſimulatè; non quod vellent expreſſe fingere & ſimulare ſe reuerti, ſed quod vel ignorent, ignorantia tamen inexcuſabili, quid ſit verè conuerti; vel quod id ſibi putent impoſſibile, vel quod verius eſt, nolint omnino ſic animum, à pecunia, ab honore, & aliis delectabilibus auocare. Quocumque tandem modo id fiat, ſatis ſuperque patet, quàm pauci, & quàm vix vlli ſint qui minus afficiantur rebus ſuis, poſtquam confeſſi ſunt, quàm ſi omnino non fuiſſent confeſſi: vnde nec confitendo forſan cogitabant de animo ſic retrahendo; ſed dum confiterentur, & dicerent ſe dolere, ſatis id ſibi eſſe perſuadebant. Qua de re infrà fuſius, hebdomada tertia poſt Epiphaniam.

Aptè vero de his dicas quod ſanctus Gregorius ait de multis,
l. 27. Mor. c. 1. *Qui Prophetiæ ſpiritum accipiunt, ſed tamen ad ſanctitatis meritum non attingunt: ſicut irrationale animal*, nempe aſina Balaam, *rationis verba edidit, nec tamen ad permutationem naturæ rationalis acceſſit:* ita plane hi, dum peccata confitentur, conuerſionis & pœnitentiæ verba edunt, ſed dum verba tantum edunt, & animum
Act. 8. non conuertunt, remanent peccatores & impœnitentes. *In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.*

III. PVNCTVM.

LICET ergo ſit omni peccatori neceſſario pœnitendum, vix tamen vllus eſt qui neceſſariam agat pœnitentiam. Quia vix vllus

Digitized by Google

eſt qui verè retrahat animum à peccato, ſeu à re peccati, à re cui eſt annexum peccatum, non ex rei malitia, ſed ex inordinatione affectus circa illam: quę inordinatio quamdiu perdurat in animo, non poteſt eſſe verus dolor de peccato, nec proinde poteſt eſſe vera pœnitentia. ***Non egerunt pœnitentiam, vt darent gloriam Deo***; *Apoc. 16.* Non id ſpectauerunt, & quando ſpectaſſent, non erat gloria quam Deus quærebat, vt enarrarent tantũ ſua peccata, ſed vt relinquerent; vnde quidquid dixerint aut fecerint, niſi peccata ſua depoſuerint, non agent pœnitentiam Deo glorioſam & ſibi vtilem ac neceſſariam.

Quod quidem ita frequens eſt, ita commune omnibus & vniuerſale malum, vt ſanctus Ambroſius affirmet, *ſe facilius inueniſſe qui innocentiam ſeruauerint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* *L. 2. de pœnit. c. 10* *POENITEMINI igitur*, ait ſanctus Petrus, *& conuertimini vt deleantur peccata veſtra*, Vide & doce vt interponit medium *conuertimini* inter pœnitentiam & deletionem peccatorum, quia conuerti hoc eſt pœnitere, quomodo neceſſarium eſt pœnitere, vt deleantur peccata; quod & finiendo ſermonem ſuum ſic confirmat; *Conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua.* *Act. 3.* *Ibid.*

IN EADEM DOMINICA.

AD HÆC EVANGELII VERBA:

Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Luc. 3.

MVLTÆ veritates aliunde huc deriuari poſſunt quæ contra excuſationes difficultatum proponuntur, vt videre eſt in Indice verbo *difficultas*. Hic autem nonnullæ aliæ indicantur, quas vnicuique erit facile fuſius declarare.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Sic facta ſunt aſpera in vias planas, vt tam iucunde per aſpera, quam per plana viuamus.

RATIO EST, Quia tàm iucundè per aſpera quàm per plana

Digitized by Google

viuimus ſi rerum aſperitas ſublata eſt, aut ſi facta eſt amabilis & voluntaria.

SIC enim ſublata ſpectari debet aſperitas, quando amatur, quando voluntariè & libenter accipitur: Nam hoc vnum in rebus eſt aſperum, quòd eis repugnet animus: vnde voluntariæ pœnæ non eam habent aſperitatem, quæ ſentitur in inuoluntariis.

SED Chriſtus nobis reddidit aſperitates amabiles, Sua videlicet abundanti gratia, ſua nobis infuſa charitate, ſuo exemplo, ſuis beneficiis, ſuis promiſſis, ſuis promeritis, & ſexcentis aliis motiuis, quibus in omni preſſura lætamur, *Et gloriamur propter eum qui diligit nos. Et ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: Ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.*

Rom. 8.
2. Cor. 1.

Matth. 11.

SIC itaque facta ſunt aſpera in vias planas, non vt omnino ſublata ſint, ſed vt per illa tam libenter & iucundè viuamus, quam per plana. Sic iugum ſemper remanet tollendum ſuper nos, ſed cum eſſet graue, ſic factum eſt per Chriſtum, ſuaue & onus leue, vt nemo ſit lætior & ſecurior quam ſub illo iugo. Quod ſanctus Auguſtinus in ſe admirans, *Vbi erat*, inquit, *tam annoſo tempore, & de quo imo, altoque ſecreto euocatum eſt in momento liberum arbitrium meum, quo ſubderem ceruicem leui iugo tuo, & humeros leui ſarcinæ tuæ? Chriſte Ieſu, adiutor meus, & redemptor meus, quàm ſuaue mihi ſubito factum eſt carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere, gaudium erat. Eijciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuauitas; eijciebas & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior: omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi & acquirendi, & volutandi atque ſcalpendi ſcabiem libidinum.* Et ibidem, libro ſequenti: *Manſueſciſti iugo tuo ceruicem meam, & nunc porto illud, & leue eſt mihi, quoniam ſic promiſiſti & feciſti. Et verè ſic erat & neſciebam, quando id ſubire metuebam.*

L. 9. Confeſſ. c. 1.

Ibid l 10. c. 36.

De his paſſim in ſequentibus & præcipuè in quarta parte, Hebdomada vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten. Vide etiam in libris de ordine, prima parte, diſcurſu 22. ſectione 5.

ALIA CONSEQVENS VERITAS.

Maius eſt Chriſti beneficium, amaritudines reliquiſſe nobis amabiles, quam nullas nobis reliquiſſe.

RATIO EST, *Quia talem dare materiam ſiue occaſionem promerendi in qua ſine magno labore multum acquiras meriti, multum diuinæ gratiæ, tibi facillime comparare poſſis & gloriæ, maius eſt beneficium, quàm ſi omnino tolleres illam promerendi occaſionem.*

QVIS enim non videat quod quando adiungitur minimo labori maximum præmium, in ſummis id beneficiis ſit reponendum? Nam licet perfectiùs & glorioſiùs videatur eſſe, ſi grauiora pro Chriſto pertuleris, quàm ſi leuiora ſis paſſus: quia tamen in grauioribus vel ſæpe deficimus, vel propter impatientiam, de merito multum detrahimus; certe id beneficum & gratioſum cenſeri debet, ſi ſic temperentur pœnæ, vt & facillime tolerentur, & nihil tamen propter temperamentum decedat de merito, imo & augeatur amplius & vberius. Nonne propterea Sapiens gratulabundus clamabat; *Videte oculis veſtris, quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.* Eccleſi. 51.

SED quando Chriſtus reliquit nobis amabiles amaritudines, reliquit nobis materiam ſiue occaſionem promerendi, in qua ſine magno labore multum nobis meriti proueniret, imo & quò minor eſſet labor, eò maius eſſet promeritum.

Nam cùm diminutio illa laboris non procedat ab obiecto leuiori, ſed ex affectu vehementiori Charitatis, atque ex voluntate magis libera & propenſa, quam facit nobis amor Chriſti: tam fœlix & beata eſt illa laboris diminutio, vt meritum ex æquo creſcat & augeatur, quo decreſcit & minuitur labor. Ex vna nempe ac eadem radice Charitatis proueniunt, & diminutio laboris & augmentum meriti; quò enim eſt maior charitas, eò minus laboratur, & maior eſt laboris fructus. Hi ſunt nouiſſimi primi qui in vna hora tantum merentur & referunt lucri, quantum Matth. 20.

qui portauerunt pondus diei & æſtus. O vere bonus Dominus qui ſic nobiſcum agit! O vere nos maligni & ingrati ſi difficultates querimur aut excuſamus! Nimis enim aperte patet *Maius eſſe Chriſti beneficium, amaritudines reliquiſſe nobis amabiles, quam nullas reliquiſſe. Hæc eſt gratia ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet* 1. Pet 2. *quis triſtitias. Si benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.*

Vide Verbo Difficultas. Amor. Chriſtus.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Aut non amatur Chriſtus, aut amatur aſperitas.

RATIO EST, *Quia non amatur Chriſtus ſi quod eſt certius amoris ſignum illi denegetur.*

EST enim probandus Illi noſter amor, licet probe norit quid ſit intus in corde noſtro, ne tamen ipſi nos decipiamus, amorem fictitium pro vero & germano capientes, vult à nobis certa dari ſigna, quibus ipſe permotus dicat, *Nunc* Gen. 22. *cognoui quod timeas & diligas Deum.*

SED certius amoris ſignum eſt aſperitatis amor. Vel quando con- Eccleſi 2. iuncta eſt muneri obeundo, vel cuiuis neceſſitati ſubeundæ, fornax eſt in qua probetur amor velut aurum & argentum in conflatorio.

Aut Ergo non amatur Chriſtus, quod eſt Chriſtiano nimis pudendum, *aut amatur aſperitas*, quæ eſt amoris certior nota.

Videnda in ſecunda parte, Dominica infra Octauas Aſcenſionis.

SIC ALITER ETIAM PRÆCEDENS, AVT ALIA CONFORMIS VERITAS FORMARI POSSET.

Cui nimis adhuc durum videtur pati pro Chriſto, nimis etiam durum videtur amare Chriſtum.

RATIO

RATIO EST; *Quia ſi amare Chriſtum nihil eſt aliud quàm pro Chriſto pati; Cui nimis durum videtur pro eo pati, nimis etiam durum videri neceſſe eſt Eum amare.*

Sed amare Chriſtum nihil eſt aliud quàm pro eo effectiuè pati, vel affectiuè, vt vocant, & diſpoſitiuè.

Ergo cui nimis adhuc durum videtur pati pro Chriſto, nimis etiam durum videtur amare Chriſtum.

IN quo diſcurſu ſolum eſt probandum, quod amare Chriſtum & pro ipſo pati, ſunt vnum & idem; Quod facile eſt hoc ſenſu demonſtrare, quod non aperte, non certè, non perfectè, nec debitè Chriſtus ametur à quoquam, niſi qui paratus ſit pro ipſo pati; Qualis enim Chriſti amator ille eſſet qui diceret: Amo quidem ita Ieſum, vt bene de illo ſentiam, & dicam apud omnes, bene etiam illi ab omnibus velim, neque debitos vnquam honores Ei denegem, aut quidquam aliud: niſi cum fortè me velit pati; hoc enim ego nolo. Itane quiſquam poſſet loqui, & ſibi de amore Chriſti blandiri? Perinde autem eſt, ſiue id loquatur, ſiue id actu & reipſa nolit pati, quando præſertim tam neceſſe eſt pati, vt niſi patiatur, peccet.

Tunc enim tria concurrunt quæ cum actuali Charitate quæ patiens eſt, quæ omnia ſuffert & ſuſtinet, valde repugnant. Primum eſt quod ſe ſuáque negat Chriſto petenti. Quid Charitati magis oppoſitum? Quid amori diuino infenſius? Secundum eſt quod ſe tamen eius amicum profitetur, dignumque credit Chriſtum qui laudetur quidem & honoretur ab omnibus, ſed non ita dignum & bene meritum vt ſit propterea pro ipſo patiendum; Quod certe iudicium non poteſt non illi eſſe iniurioſum. Tertium denique eſt, quod actu & re ipſa Chriſtum offendit per impatientiam, per murmura, per improperia, per quidquid animus contradicens & repugnans diuinæ Voluntati poteſt cogitare, loqui & agere. 1. Cor. 13.

Et tu ſic amari Chriſtum diceres? Itane nos dilexit Chriſtus? Itane ſuam nobis dilectionem protulit? Itane noſtram excitat, & ſuis meritis promouet? Ideone frater noſter effectus, & ſponſus animarum, vt ſic à nobis diligeretur? Nihil ne vltrà tot la-

bores exhauſti, tot ſanguinis effuſæ guttæ, tot gratiarum profuſa dona, tot plagarum tolerata ſupplicia: nihil ne aliud promerentur, quam ne quid omnino viciſſim patiaris? quorſum tot ſcripturæ oppoſitæ? quorſum tot comminationes & promiſſa? quorſum in eam rem tot ſanctorum exempla, tot doctorum dicta, tot rationum momenta? *Nondum incepit eſſe Chriſtianus,* ait S. Hieronymus, *Qui neſcit aut qui nolit pro Chriſto pati. Et*
Act. 14. *vbi illud Apoſtoli, quoniam per multas tribulationes oportet nos in-*
2. Tim. 3. *trare in regnum Dei? Et omnes qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur.*

Sed quod nolenti durum videtur, hoc volenti ſuaue eſt, hoc amanti facile: Nec amare putandum eſt eſſe aliud quam ſic libenter velle pro amato pati.

Vide Diuum Bernardum ſermone 43. in Cantica, & alibi paſſim.

EODEM DIE,

AD HÆC VERBA:

In propria venit, & ſui eum non receperunt. Ioan. 1.

VERITAS PRACTICA.

Non minus modò, quàm olim, Chriſtus in propria venit, nec ſui magis Eum recipiunt.

RATIO præſupponit tamquam certum ex fide, primam Veritatis partem, cùm Ille ipſe qui naſci voluit de Virgine, pannis inuolui, & in præſepio collocari, ex certa fide credatur eſſe in ſanctiſſimo Sacramento, ſub ſpeciebus panis, & per Communionem venire in Chriſtianos, qui propterea adhuc magis propriè & præcipuè videntur eſſe Chriſti Domini. Sed quomodo ſui Eum non recipiant, cùm per iſtos maxime intelligamus Communicantes, magis obſcurum videtur. Sic porro declaratur.

NON recipiunt Chriſtum, quo ſenſu dicitur à ſuis non receptus, qui

Digitized by Google

non ita recipiunt doctrinam, quam in præſepi docet, vt ſe illi conforment per Gratiam, quæ his propterea confertur diebus.

Sed qui magis propriè Chriſti ſunt, nempe Communicantes, non ita recipiunt doctrinam Chriſti, vt ſe illi conforment.

Ergo qui Chriſti magis propriè ſunt, Chriſtum non recipiunt. Ergo non minus modò quàm olim Chriſtus in propria venit, nec ſui magis eum recipiunt. Quod cùm ſit valde damnoſum, idcirco ante ipſa Chriſti Ieſu Natalitia, perutile foret præcauere.

I. PVNCTVM.

QVOCVMQVE loci veniſſet Chriſtus, veniſſet certè in propria, cùm eſſet Dominus cœli & terræ. Quando tamen venit in Iudæam, quando in ciuitate Nazareth eſt conceptus, atque in oppido Bethleem natus, tunc ſingulari modo dicitur veniſſe in propria, quia pars illa terræ ſingulari præ cæteris modo, pars erat propria Chriſti, propria populi quem ſibi ex omnibus prælegit, & eorum propria, vnde carnem ſumere voluit. Ideoque Pilatus illi dixit, Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi.

Quando vero dicitur, ***Et ſui eum non receperunt,*** non agitur de receptione corporali, non agitur de repulſa quam paſſus eſt in Bethleem, cum ibi non eſſet locus in diuerſorio, non de fuga in Ægyptum, non de eiectione à Nazareth, poſt primam illic habitam concionem, non de negato introitu Samariæ, non poſtremò de quauis conſpiratione Ieroſolymis, contra ipſum inita: ſed de infidelitate eorum qui quod docebat, non receperunt, non crediderunt, non approbarunt, at contra potius obſtiterunt. Vnde in conſequenti textu cum dicitur, ***Quotquot receperunt Eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri***; Id eſt, quotquot ei crediderunt fide perfecta, ſeque eius obſequio dediderunt. Quo in ſenſu dicebat ſanctus Ioannes in epiſtolis: ***Omnis qui recedit & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet***, Quaſi diceret, licet quis 2. Ioan. 1.
Chriſtum reciperet hoſpitio, niſi tamen Chriſto crederet, & profiteretur quod docuit, non illum recipere dicendus eſſet, quo propriè modo à nobis vult recipi.

totum hominem, & totum occupauit; ita modo totum obtineat Chriſtus qui totum creauit, totum redemit, totum & glorificabit. Quaſi diceret, totum id efficiat in animis noſtris quod ipſe in præſepi docuit, ſic nos intus & extrà totos ſibi conformet, vt quemadmodum orat Eccleſia; *In illius inueniamur forma, in quo eſt noſtra ſubſtantia. Et hoc modo reſplendeat in opere, quod per fidem fulget in mente. Per eum denique quem ſimilem nobis foris agnouimus, intus reformari mereamur.*

Hoc eſt quod tam magnificè prædicabat Apoſtolus, ſicut iam ante dictum eſt; *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria ſobriè & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo.* Apparuit nēpe nobis in primo Aduentu gratia nos extrà erudiens: in ſecundo vero nobis offertur iſta gratia nos intus formans & conformans doctrinæ naſcentis Ieſu, quam doctrinam propterea qui non recipit, non recipit Ieſum, non recipit venientem hoc ſecundo Aduentu, quo ſe modo nobis offert. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* O humani cordis inhumanam vecordiam!

Tit. 2.

Ioan. 5.

II. PVNCTVM.

SED *qui magis propriè Chriſti ſunt, nempe Communicantes, non ita recipiunt doctrinam Chriſti, vt ſe illi conforment.*

Sunt ex Illis certe Nonnulli qui proficiant, renaſcentes cum Infante IESV, & de nouo *induentes nouum illum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.*

Eph. 4.

At vero quàm ſunt illi pauci ſic renaſcentes & renouati! Quàm multi contrà ſuo ſemper in veteri remanentes homine, non minus terrena ſapiunt & ſenſibilia quam ſi de Chriſti præſepio nihil audiuiſſent? Quis ſæcularium magis amans paupertatis, ex prædicata nobis à Chriſto paupertate? Quis magis contemptor gloriæ vel voluptatis, ex commendata nobis in ſtabulo Continentia, humilitate, patientia, cæteriſque virtutibus? Quis non videat quàm ſit æque modo deflendum quod ſuo deplorabat tempore ſanctus Bernardus: *Sine deuotione & affectione dies iſtos arida quadam conſuetudine obſeruari! Et quod damnabilius eſt,* inquit, *ipſa quoque ineſtimabilis huius dignationis memoria datur in occaſionem*

Serm. 3. in Aduentu.

Digitized by Google

carnis, vt videas eos (ſcilicet ſæculares) *tanta ſolicitudine diebus iſtis, veſtium gloriam, ciborum parare delicias, ac ſi hæc huiuſmodi quærat in Natiuitate ſua Chriſtus, & ibi ſuſcipiatur dignius, vt hæc accuratius exhibeantur. Sed ipſum audi dicentem, ſuperbo oculo & inſatiabili corde cum hoc non edebam. Quid tanta ambitione veſtes paras in natale meum? deteſtor ego ſuperbiam, non amplector. Quid tanta ſolicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? damno ego carnis delicias, non accepto. Celebrans ergo Aduentum meum, labiis me honoras: ſed cor tuum longe eſt à me, non me colis, ſed Deus tuus venter eſt, & gloria in confuſione tibi.*

Quæ ſancti Patris verba quantis eorum conueniunt qui ſe eſſe Chriſti profitentur: tanti profectò ſunt qui Doctrinam eius non recipiunt, cùm hæc liberior viuendi licentia tam longè ſit à doctrina Chriſti naſcentis, quàm cœlum à terra, quàm lux à tenebris, & quàm Virtus à vitio.

III. PVNCTVM.

ERGO *qui Chriſti magis propriè ſunt, Chriſtum non recipiunt. Ergo non minùs modo quàm olim Chriſtus in propria venit, nec ſui eum magis recipiunt.* Venit enim modo per nouam Gratiam quam ipſe in Sacramento, vel extrà ſuis offert, vt affectu ſimul & effectu, pro ſua quique vocatione, ſe conforment doctrinæ quam è præſepi docet, circa concupiſcentias diuitiarum, honorum, & voluptatum: tàm pauci vero ſunt ex iis etiam qui Sacramenta frequentant & Chriſtianam colere pietatem videntur, tam pauci rarique ſunt, inquam, qui hanc eius gratiam & practicam doctrinam recipiant, vt vix vlli de illa ſuſcipienda & in mores ſuos inducenda cogitent; Quid ſequitur niſi quod ſui eum non recipiunt: cum à popularibus ſuis non dicatur aliter non receptus, quàm quod docenti non crediderint, nec ſe illius præceptis vel
Ioan. 10. conſiliis conformarint? *Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.*
Matth. 10. Et certe cum ſæpe ſuis Chriſtus quos mittebat prædicatum
Luc. 10. diceret, quod iis à quibus non reciperentur, durius foret quàm Sodomis: an putas diceret de receptione perſonæ, vel doctrinæ? Sicut enim Legatus tunc verè recipi dicitur aut remitti, quando quod proponit, approbatur vel improbatur, ſic plane Chriſtus

& qui pro Chriſto legatione funguntur, tunc recipiuntur aut repelluntur, quando quod proponunt ad ſalutem ſic admittitur, vt vel effectu ſuo donetur vel priuetur. Vnde ipſe Dominus: *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: ſermo quem loquutus ſum, ille iudicabit eum.* Quaſi diceret, hoc eſt me ſpernere, non accipere verba mea: ſicut autem in ſermone meo fui contemptus, ſic in eodem honorificabor, quando ille ipſe ſermo qui fuit ſpretus, ſpernentem iudicabit. O quàm vere dictum de Domino, *Quod percutiet terram, id eſt terreſtres animas, virgâ oris ſui.* O deplorandas animas quæ cum poſſent ſui virga Paſtoris tutè regi & conſeruari, malunt ſui virgâ Iudicis percuti & condemnari!

Ioan. 12.

Iſ. 11.

FERIA SECVNDA.

DE DILIGENTIA, SEV DEVOTIONE QVAE EST OPPOSITA VITIO ACEDIAE.

Exurgens Maria in diebus illis, abijt in montana, cum feſtinatione, in ciuitatem Iuda. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Quidquid offerendum Deo ſciet vera Deuotio, differre neſciet.

SENSVS EST, Quod, vt ait ſanctus Ambroſius: Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti Gratia; Ita neque vera Deuotio.

RATIO EST, Quia idcirco Spiritus ſancti Gratia neſcit tarditatem, quòd nos impellat ad exequendam diuinam Voluntatem quæ eſt promptè exequenda.

Sed vera Deuotio ad illam ipſam diuinam Voluntatem adimplen-

Digitized by Google

dam, cum eadem Spiritus ſancti Gratia, nos impellit. Ergo ſicut neſcit tarda molimina Spiritus ſancti Gratia, ita neque vera Deuotio; aut certe non eſt vera, quod eſt valde cauendum.

I. PVNCTVM.

CONTEMPLARE ſanctiſſimam Virginem, ſic affixam contemplationi myſterij Verbi Incarnati, vt tamen non obliuiſcatur verborum Angeli, quæ de cognata Elizabeth dixerat: ſimulque ſentiens ſe ad eam viſitandam à Spiritu ſancto commoueri, non eſt cunctata in diem alteram, nec in horam: ſed ipſo pene momento quo diſceſſit ab ea Angelus, exurgens abiit, non ſegniter, non lento gradu; ſed *cum feſtinatione*, quò eam impellebat Gratia & diuinæ voluntatis adimplendæ deſiderium.

L. 2. in Luc. Hinc autem S. Ambroſius celeberrimum illud Effatum pronunciauit, *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia*, quod de vera Deuotione perinde dicitur, quæ eſt oppoſita vitio Acediæ, & quæ plurimum poteſt ad præparandam viam Domini. Ratio eſt plana & facilis, Quia vna & eadem eſt plane ratio, cur Gratia & Deuotio tarditatem neſciant. Cur enim Gratia, niſi quod ad diuinam Voluntatem nos impellat quæ non tarde & cunctanter, ſed prompte, velociter & ſtatim vt cognoſcitur, eſt adimplenda? Sic Rex ille piiſſimus Ioſaphat commendans ſuis 2. Par. 19. diuina quædam opera, *Sit timor Domini vobiſcum*, inquit, *& cum diligentia, cuncta facite, non eſt enim apud Dominum noſtrum iniquitas*, Quaſi diceret, quod à Domino præcipitur, tam ſanctum & iuſtum eſt, vt ſicut non eſt dubitandum, quò minus fiat, ita nec differendum quin ſtatim fiat; Cur enim differas exequi, quod vult Deus, cum hoc ipſum velit ne differas? Audi vt lo- Deut 23. quitur; *Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Quodcun-* Eccleſ. 9. *que facere poteſt manus tua, inſtanter operare. In omnibus operibus* Eccl. 31. Matth. 5. *tuis eſto velox. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò dum es in via cum eo.* Iſte aduerſarius non ſolùm eſt ſermo, ſed Ductus diuinus ſeu diuina voluntas quæ te ad ſalutem & perfectionem contra naturalem inclinationem ducit: & cui eſt cito conſentiendum, Pſ. 80. ne te tibi deſerat & male pereas; *Ibunt*, inquit, *in adinuentionibus ſuis qui Deum ſequi noluerunt*? At quònam ibunt, ſine Deo?

II. PVN-

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

S*ED vera Deuotio ad illam ipſam Diuinam Voluntatem, cum eâdem Spiritus ſancti Gratia, nos impellit.*

Sic enim expreſſe à S. Thoma definitur, *ſpecialis quidam actus voluntatis prompta & parata ad facienda quacumque ad Dei ſeruitium & famulatum ſpectant.* Sic ab Eodem dicitur Meditatio Deuotionis cauſa, *In quantum ſcilicet homo per meditationem concipit quod ſe tradat diuino obſequio, ad quod quidem inducit duplex conſideratio: Vna quidem qua eſt ex parte diuina bonitatis & beneficiorum ipſius ſecundum illud Pſalmi: Mihi adhærere Deo bonum eſt; & hac conſideratio excitat Dilectionem qua eſt proxima Deuotionis cauſa. Alia vero eſt ex parte hominis conſiderantis ſuos defectus ex quibus indiget vt Deo innitatur, &c. Et hac conſideratio excludit præſumptionem per quam aliquis impeditur ne ſe Deo ſubijciat.* Et articulo ſequenti docet lætitiam & triſtitiam eſſe deuotionis effectus, *In quantum ſe homo ſentit ſubiectum, vel non ſubiectum Deo.* 2.2. q. 82. a. 1. Ibid. a. 3. Pſ. 72. Ibid. a. 4.

Sic S. Ambroſius de Abrahamo ſcribens, *Conſideremus*, inquit, *cuiuſmodi fuerit in eo Viro Deuotio. Ea enim virtus ordine prima eſt, qua eſt fundamentum cæterarum, meritoque hanc ab eo primam exegit Deus dicens, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui.* L. 1. de Abrah. Geneſ. 12.

Sed quid iſta ſpectant ad virtutem Deuotionis, niſi quod Deuotio ſic ſpectat diuinam Voluntatem, vt qui impedimenta abijciunt Diuinæ Voluntatis adimplendæ, illi præ cæteris Deuoti habeantur? Vnde ille ſanctus Doctor pro affectu hîc concitando aptè concludit; *Ergo exire de conuerſatione terrena, & à ſæcularibus & ſuperioris vita moribus atque actibus debemus, vt non ſolum loca ſed etiam noſmetipſos mutemus. Si cupimus adhærere Chriſto, deſeramus corruptibilia. Sunt autem corruptibilia in nobis, Caro, delectatio, &c.* O quænam illa ſunt, quæ ſunt oppoſita Chriſto, vel diuinæ voluntati, vt nos retardent!

III. PVNCTVM.

S*ICVT ergo neſcit tarda molimina Spiritus ſancti Gratia, ſic neque vera Deuotio*; Cum non minus Deuotio quam Gratia reſpi-

Digitized by Google

ciat obſequium Dei ſeu Voluntatem Diuinam, propter quam perfectius adimplendam excutienda eſt omnis tarditas, & matura quæuis diligentia eſt adhibenda. *Mente promptiſſima atque Deuota.* Sic vtrumque ſimul coniungit Scriptura. Et S. Thomas docens Deuotionem eſſe actum Religionis, non aliter probat quam quod *ad eandem*, inquit, *virtutem pertinet velle facere aliquid, & promptam Voluntatem habere ad illud faciendum, quia vtriuſque actus eſt idem obiectum. Manifeſtum eſt autem quod operari ea quæ pertinent ad diuinum cultum ſeu famulatum pertinet proprie ad Religionem, vnde etiam ad eam pertinet HABERE VOLVNTATEM PROMPTAM ad huiuſcemodi exequenda, quod eſt eſſe deuotum.*

Exod. 35. *2. 2. q. 82. a. 2.*

Quid clarius? quid expreſſius ad inſeparabilem Deuotionis & promptitudinis coniunctionem indicandam? Et certe ſi vna ex conditionibus obedientiæ quæ homini propter Deum redditur, eſt promptitudo: cur non eadem promptitudo requiretur, quando ipſi Deo eſt ſeruiendum & obediendum? Sic aptè S. Bernardus, *Velociter currit ſermo Dei, & velocem deſiderat habere ſequentem; vides cum quanta velocitate currit ille qui dicit viam mandatorum tuorum cucurri. Fidelis obediens neſcit moras, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum ſe colligit vt Imperantis colligat Voluntatem. Vide Dominum velociter præcipientem, & hominem feſtinanter obedientem, Zachæe, inquit, feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere; & feſtinanter deſcendit, & excepit eum gaudens. Nonne legiſti quod filiis Iſraël præcipitur vt agnum comedant feſtinanter? quia verba illa quæ per legem dedit, quæ per ſemetipſum præſens exhibuit, quæ per Eccleſiæ præpoſitos tradenda reliquit, veloci ſunt obedientia conſummanda.*

Serm. de virt. Obed. *Luc. 19.* *Exod. 12.*

Ex quibus Sancti Patris verbis facilius intelligetur Sapiens dum à nobis quærit, *Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his?* Spiritus ille eſt Sanctus qui neſcit tarda molimina. Ille Ipſe eſt qui per Sapientem quærit à te cur ita retardes & langueas in tuis ſpiritualibus exercitiis, cum ad maiorem diligentiam toties & tam vehementer exciteris? Reſponde ſi quid habes, & audi num approbet quod reſpondes. Audi quod Idem monet: *De negligentia tua purga te cum paucis.* Id eſt, paucorum eſt ſe de hoc purgare vitio, adeo ſunt multi negligentes & omnes inexcuſabiles. Vel

Eccleſ. 51. *Ibid. 7.*

Digitized by Google

ſic: Sic te purga, vt te accuſes potius quàm excuſes. Vel denique, ſi non potes omnia, ſi non potes multa præſtare diligentius, offer ſaltem pauca quæ poſſis: vt de te poſſit dici: *Quod habuit hic, fecit.* Nihil æquè purgat de negligentia. Marci 14.

Vide in Indicibus verbo *Deuotio*, & præſertim in 4. parte.

FERIA TERTIA.

DE CHARITATE QVÆ EST OPPOSITA VITIO INVIDIAE.

Et intrauit domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Charitas alienis bonis gaudet, vt propriis.

RATIO EST, *Quia Charitas ſic vno Dei bono gaudet, vt vbicunque Dei bonum reperiatur, eo Charitas gaudeat.*

Sed in alienis bonis, æque ac in noſtris propriis reperiri poteſt bonum Dei.

Ergo & illis Charitas æque gaudet. Quod tamen cùm ſit rarum, ſic rara eſt Charitas.

I. PVNCTVM.

QVOD vno verbo dicitur Maria Virgo *ſalutaſſe Elizabeth*, ſic gloſſa interlinearis interpretatur, *Quaſi congratulans de dono quod eam accepiſſe didicerat.* Congaudebat videlicet Virgo Mater ſterili Matri, quod ſicut in grauidata Virgine, ſic in ſterili fœcundata, Deus magnificaret potentiam & miſericordiam ſuam.

O quæ tùm Virginis verba! quæ vox ſalutationis! qui affe-

Digitized by Google

ctus! quæ Charitas! Expende & agnoſce illam eſſe Charitatem,
1. Cor. 13. *Quæ alienis bonis gaudet vt propriis*: illam eſſe Charitatem, quæ, vt ſcribit Apoſtolus, *Benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.* Illam denique eſſe Charitatem, quæ ad præparandam Domino viam, tantumvalet
Ibid. 12. vt dicatur Excellentior via; *Adhuc*, inquit, *Excellentiorem viam vobis demonſtro.*

Sicut autem quæ excellentiora ſunt, ſunt etiam rariora, ſic prorſus iſta Charitas. Pauci omnino ſunt, & valde rari, qui ſic alienis proximorum bonis gaudeant, vt propriis. Quamobrem eo diligentius expendenda eſt Veritas, quæ de hac Charitate proponitur, vt videas quam longe ab ea ſis.

Ac primo illud quod præmittitur, Charitatem ſic vno Dei bono gaudere, vt vbicunque tale Dei bonum reperiatur, eo Charitas gaudeat, facile eſt demonſtrare. Nam cùm gaudium ſit amoris certa proprietas, qualis eſt amor, tale neceſſe eſt vt ſit
Rom. 5. gaudium ex illo proueniens: Amor autem Dei qui eſt *Charitas diffuſa in cordibus noſtris*, & de qua hîc loquimur, ſic vnum Dei bonum amat in omnibus, vt vbicunque ſit illud bonum, illud amet. Quemadmodum enim nullum amat creatum bonum, niſi propter Deum; quem in illo bono videt; ſic omne bonum amat
Pſ. 72. in quo Deum videt. *Quid enim mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terrã?* Quaſi diceret; Nihil eſt in cœlo neque in terra quod amem niſi propter Deum; Et nihil eſt amabile in cœlo & in terra, quod non amem propter ipſum. Ille eſt vnus quem amo in omnibus, & omnia in eo amo. *Deus cordis mei & pars mea Deus in*
Ibid. *æternum. Nullum præter Deum*, ait S. Auguſtinus. *Hoc amat, hoc diligit: ſi aliud dilexerit, non erit caſtus amor.* Sic ergo conſequenter de gaudio eſt ſentiendum, quod ex hac Charitate procedit, cum ſit eiuſdem prorſus naturæ & conditionis; De nullo bono excitatur niſi propter Deum qui in eo bono reperitur: & de omni
Hab. 3. ni bono vbi Deus reperitur, omnino excitatur. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.*

II. PVNCTVM.

SED *in alienis proximorum bonis, æque reperiri poteſt illud bonum Dei, atque in noſtris propriis.*

Digitized by Google

Cur enim ſi bona ſunt, non ſint æque à Deo, & ad Deum, atque noſtra? Eſtne aliquod bonum quod non ſit à Deo, aut quod non ſit propter ipſum? Nonne vniuerſim de omni bono ſingulis dato ſcribitur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum?* Iac. 1. *Et omnem,* inquit, *qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum*; Iſ. 43. Quaſi diceret, ne fortè dubites, ſic repeto & inculco. Fateamur itaque, quod prudentiſſima Iudith, *Tu enim feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti, & hoc factum eſt quod Ipſe voluiſti.* Iudith 9. Et cum beatis Cœlitibus in Apocalypſi; *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Apoc. 4.

III. PVNCTVM.

S*IC ergo Charitas alienis bonis gaudet vt propriis.* Cum enim nec propriis gaudeat niſi propter Deum, quem in illis videt; cur non gauderet alienis, vbi æque Deum videre poteſt: aut quid eſt quamobrem Deum, ibi non æque videat? Nihil plane eſt niſi Inuidia quæ eſt oppoſita illi Charitati, & quam inde agnoſces peſſimum eſſe vitium, vt quod opponatur directe bono, & bono Dei, ac maximæ omnium Virtuti quæ eſt Charitas. Hinc apte Sapiens, *Nequius oculo quid creatum eſt?* Eccl. 31. Et Chriſtus Dominus, *An oculus tuus nequam eſt, quia Ego bonus ſum?* Mat. 20. Reſponde inuide, aut deſine inuidere. Si vetamur comedere cum homine Inuido, Prov. 23. quid expectas commercij, & communicationis cum Chriſto?

Neque vero Inuidus tam nocet aliis quam ſibi; qui ſi alieno gauderet bono, ſuum poſſet facere; Et illo ſe miſer fructu priuat, atque inuidiæ pœnas accerſit grauiſſimas. Sic qui ſibi inuidet, vt ait Sapiens, *Nihil eſt illo nequius, & hæc redditio eſt malitiæ illius.* Eccleſi. 14. Hic in teipſum inquire diligenter, & ad emendationem, illud etiam atque etiam S. Auguſtini reuolue: *Tolle inuidiam, & tuum eſt quod habeo; Liuor ſeparat, Charitas jungit, ipſam habeto & cuncta habebis.* In Ioan.

Digitized by Google

FERIA QVARTA.

DE HVMILITATE QVÆ EST OPPOSITA SVPERBIAE.

Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Quantò ſe Humilis minorem facit, tanto magis magnificat Deum.

RATIO EST, Quia tanto magis magnificatur Dominus, quanto eius diuinæ perfectiones manifeſtantur.

Sed quantò ſe Humilis minorem facit, tantò magis diuinæ perfectiones manifeſtantur.

Ergo & tantò magis ſic magnificat Dominum. Quod certe eſt motiuum potentiſſimum ad frequens humilitatis exercitium.

I. PVNCTVM.

ET factum eſt vt audiuit Salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth, & exclamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo, & beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum, &c.

Perpendi ſingula, vel quædam ex eis pro affectu poſſent; Tum

Digitized by Google

verò illud præcipue quod cum Beatiſſima Virgo ſic ſe audiret laudari, tanto magis ſe deprimit; & quanto etiam ſe minorem facit, tanto magis magnificat Dominum. O verum humilitatis exemplar! Æmulare; & ad Veritatis propoſitæ declarationem, hoc primum agnoſce. Quod tantò magis magnificatur Dominus, quanto eius diuinæ perfectiones manifeſtantur. Nam ſicut aliter non poteſt à nobis magnificari, quam manifeſtando eius perfectiones, quid enim Ei conferre poſſimus quod non habet? ſic cùm illæ innoteſcunt quæ ante latebant, dicitur glorificari & magnificari; quia inde ſcilicet Eius Gloria & Magnitudo cognoſcitur, propter quam ab hominibus laudatur & benedicitur.

Sic Moſes tranſito mari rubro, *Cantemus*, inquit, *Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. Iſte Deus meus & glorificabo eum. Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine.* Id eſt, Fortitudo & Potentia tua nunc maxime manifeſtata ſunt. Sic Dauid exardebat ad has diuinas perfectiones manifeſtandas, cum omnes inuitaret, *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.* Sic Apoſtolus, prædicando Chriſtum; *In nullo*, inquit, *confundar, ſed in omni fiducia, ſicut ſemper, & nunc, Magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem.* Sic denique ſanctiſſima Virgo parens magnificat Dominum, in ſuo illo Cantico, cùm eius Potentiam, Miſericordiam, Fidelitatem, & alias decantat perfectiones, quas tu ipſe vſque ad verſum quintum, reuoluendo venerare, & adora.

Exod. 15. *Pſ. 33.* *Phil. 1.*

II. PVNCTVM.

S*ED quanto ſe Humilis minorem facit, tanto magis diuinæ perfectiones manifeſtantur.*

Nam vt omittam dicere quod eſt commune in hac materia, humilem corde, quidquid habet, & quidquid eſt, in vnum Deum referre, vnde tandem Diuina Magnitudo & Bonitas agnoſcantur, vt ſentiebat Apoſtolus dicens, *Non ego, ſed Gratia Dei mecum:* Tres alij præterea occurrunt modi, quibus propoſitio directe declaratur. Primus eſt, quod cùm Magnitudinis & Bonitatis diuinæ ſit, magnum & ſanctum facere hominem, qui nihil ex ſe eſt niſi peccator: profecto quo magis homo ſe nihili facit, & quo magis ſe peccatorem atque ex ſe longe à ſanctitate remotum co-

gnoſcet, eo magis illam Dei Bonitatem extollet. Sic prorſus eò maior Dei potentia dignoſcitur, quando minus potentem aſſumit ad aliquod ingens opus efficiendum. Vnde Idem Apoſtolus, poſtquam dixit, *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus*, addit, *ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem patientiam.* 1. Tim. 1.

Secundò, cum ita naturale ſit homini ſeipſum amare, & amore ſui excellentiam & humanas laudes appetere, quando humilis contra hanc naturalem inclinationem ſe deprimit, & ſe infra omnes potiùs abijcit, quàm vel vni ſe præferat; certe vim gratiæ & virtutem Chriſti plurimum manifeſtat, à quo habet vt ſic ſe humiliet, & ſic ſe ipſo maior fiat, cum ſe minorem facit. *Et hoc non ex vobis*, inquit Apoſtolus, *Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Phil. 2.

Denique, cùm ob Dei cultum & venerationem, homo ſe humiliet & deprimat, non poteſt ſic non magnopere manifeſtari quantus ſit Deus, ad quem colendum homo alioquin ſuperbus, & arrogans ſeſe demittat, & ſe potius patiatur contemni quàm laudari, ſi ex ſui contemptu videat maiorem Dei gloriam. Sic Rex humilis Dauid: *Ante Dominum qui elegit me, & ludam, & vilior fiam, pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* Sic forte dices. Sed faciendo dicendum eſt ſicut ille dicendo faciebat. *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.* 2. Reg. 6. Ioan. 13.

III. PVNCTVM.

Eccl. 3. HINC ergo patet non modo Veritas, *Quòd quantò humilis ſe minorem fecerit, tanto magis magnificabit Dominum*, vnde aptiſſime Sapiens, *Quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur:* Sed & veritatis in praxim aduocandæ, motiuum efficax inde elicitur. Quid enim magnificentius, quàm poſſe magnificare Deum? Quid indignius quàm id nolle cùm poſſis, & idcirco nolle, vt te ipſum potius magnifices quàm Deum? Tu quis es? quem te ipſum facis? audeſne tibi aliquid arrogare ad commendationem & magnificentiam tuam? Quando tuum eſſet aliquid, nonne libenter Deo conſecratum velles ad eius gloriam? quanto magis quod Dei eſt, Deo debes relinquere? *Tua eſt Domine magnificentia, & poteſtas, & gloria,* dicunt Scripturæ. Tu 1. Par. vlt.

vero

vero vis ex illis eſſe qui dixerunt, *Linguam noſtram magnificabimus, Labia noſtra à nobis ſunt*, Quis noſter Dominus eſt? *Iudicare Domine, Iudicare pupillo & humili, vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram.* Id eſt, profer Domine Iudicium quod facis contra ſuperbos in fauorem humilium, quo audito ſuperbi ſe forte continebunt. Nonne times hoc Iudicium? ocyus ſerius proferetur. *Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus, quia venit dies tuus, tempus viſitationis tuæ. Et cadet ſuperbus, & corruet, & non erit qui ſuſcitet eum.* Satius eſt præoccupare faciem eius. Pſ. 11. Pſal. 9. Ier. 50.

FERIA QVINTA.

DE VIRTVTE QVÆ EST OPPOSITA VITIO AVARITIAE.

Depoſuit potentes de ſede: & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & Diuites dimiſit inanes. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Omnis copia quæ Deus non eſt, egeſtas cenſenda eſt.

RATIO EST, Quia nonniſi egeſtas cenſeri debet illa copia quæ nihil prodeſt viro copioſo, in ſumma eius neceſſitate.
Sed talis eſt copia quæ Deus non eſt.
Ergo egeſtas cenſenda eſt; Ac proinde nihil diuitiæ ſine Deo.

I. PVNCTVM.

PERGIT magnificare Dominum Beatiſſima Virgo, & in eius magnificentiæ commendationem adducit quod potētiores quoſque humiliet, eoſque præcipue qui ſuis præfidentes diuitijs, ſe minus voluntariè Deo ſubijciunt, quaſi mi-

nus ab illo dependeant: ſed miſeri tandem eo inopiæ & calamitatis redigentur, vt cùm abundatores ſe putabunt, egentiores ſe ſentiant. Quod & paſſim Scriptura commemorat, *Quoniam diues ſicut flos fæni tranſibit, exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fænum, & flos eius decidit & decor vultus eius deperiit, ita & diues in itineribus ſuis marceſcet.*

Iacobi 1. Iſ. 40. Bar. 3.

Hinc illa eſt celeberrima Veritas, ex S. Auguſtino deprompta, *Quod omnis copia quæ Deus non eſt, egeſtas eſt.* Id eſt, omnia terrena, temporalia, & humana, ſi tantum in ſe conſiderentur, nec ad Deum, & ad ſalutem æternam referantur, non ſunt veræ diuitiæ, ſed mera inopia, miſeria & egeſtas; Vnde ad Veritatis praxim, ſequitur, ſic auertendum eſſe animum ab illis bonis terrenis, vt in ſolis ſpiritualibus & æternis acquieſcamus. Sic autem Veritas declaratur.

L. 10. Conf. c. 8.

Quæcunque tandem ſit rerum humanarum copia & abundantia, ſi poſſeſſori ſuo nihil prodeſt in ſumma ipſius neceſſitate, profectò non niſi egeſtas & inopia cenſenda eſt; vt ſi quis abundet rebus quæ nullum prorſus habent vſum in ea mundi parte vbi vitam agit; Nonne hæc rerum abundantia tunc erit illi inutilis, & mera inopia? Sic alius abundet prædijs, nec vllum inde prouentum, nullam pecuniam, nec vllum denique reditum recipiat, quo ſe ſuſtentare poſſit; nonne illa prædiorum copia, egeſtas eſt? Abundet alius pecuniis, nec panem aut vllum alimentum ſibi comparare poſſit, vt accidit in obſeſſa ciuitate; nonne illam pecuniarum copiam, tunc meram inopiam & egeſtatem dixeris? Abundet denique panibus & alimentis, morbo autem vel captiuitate ita detineatur, vt cibo vti nullo queat, ſicque fame intereat; nonne tùm inopiam reputabis quamlibet copiam? Quid mihi diuitiæ, inquit poeta, ſi non conceditur vſus? ſic noſter Sapiens, *Quid prodeſt ſtulto habere diuitias, cum ſapientiam emere non poſſit?* Quia ſcilicet ad hunc effectum nihil proſunt diuitiæ, vel potius quaſi diceret, nihil proſunt ſtulto diuitiæ, cum iis vti non poſſit ſtultus, nec iis ſe ſtultitia liberare.

Prou. 17.

Patet itaque quàm vera ſit vniuerſim prima propoſitio; Atque in iſtis ſenſibilibus, ſatis ex ſe notis, vtile eſt aliquando immorari, vt inde ad interna & æterna quæ ſunt minus ex ſe cognita, facilius deueniamus. Sic nos ſæpe Deus inſtruit, *Vt non prius quod ſpiritale eſt; ſed quod animale, deinde quod ſpiritale,* vt ait Apo-

1. Cor. 15.

Digitized by Google

ſtolus. Vnde & Dominus: *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* quando ſcilicet ex illis cognitis, ad incognitá non pertranſitur. Nunquid hoc tibi poſſet obijccre? *Matth. 15.*

II. PVNCTVM.

SED *talis eſt copia quæ Deus non eſt*; Id eſt, quicquid ſit quod habeas, niſi habeas illam diuinam Gratiam, per quam Deus nobiſcum habitat, & nos cum illo; per *quam Filij Dei ſumus, & hæredes eius, cohæredes autem Chriſti*; Niſi habeas virtutes & opera quæ ſunt neceſſaria ad Gratiam illam conſeruandam, illamque hæreditatem aliquando conſequendam: Nihil habes quód tibi proſit in tua ſumma neceſſitate. Nam hæc eſt tua ſumma neceſſitas, *Saluum & beatum eſſe*, cui neceſſitati nihil proſunt diuitiæ, niſi fuerint fructuosè propter Deum impenſæ; nihil proſunt dignitates, nihil doctrina, nihil artes, nihil authoritas, nihil denique aliud quam quod ſpiritale eſt & diuinum. *Quid nobis*, inquiunt, *profuit ſuperbia? aut diuitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt illa tanquam vmbra, & tamquam nuncius percurrens, & tamquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam, aut tamquam auis quæ tranſuolat in aëre, aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aer in ſe continuo recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius: ſic & nos nati continuo deſiuimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt, quoniam ſpes impij tamquam lanugo eſt quæ à vento tollitur, & tamquam ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur, & tamquam fumus qui à vento diffuſus eſt, & tamquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis. Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum.* *Rom. 8.* *Sap. 5.*

Vtinam ex his ſaperes & intelligeres, ac nouiſſima prouideres. *Deut. 32.*

III. PVNCTVM.

OMNIS *igitur copia quæ Deus non eſt, egeſtas cenſenda eſt*; Quandoquidem copioſo illi viro nihil prodeſt in ſumma ſua neceſſitate; vnde & Iob aptiſſime; *Diues cùm dormierit, nihil ſecum auferet; aperiet oculos ſuos & nihil inueniet; apprehendet eum quaſi aqua inopia; nocte opprimet eum tempeſtas.* Et Sapiens de eo- *Iob 27.*

Eccl. 4. dem diuite ſeu de quóuis affixo rebus humanis; *Laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens, Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* Certe quando hoc vnum eſſet, quod idem Sapiens toties ingeminat, nihil ex humanis rebus eſſe, quo animus hominis ſatiari & refici poſſit, ſatis eſſet ad indicandum, quàm ſint egena omnia; & omnis copia, quæ Deus non eſt, quam ſit mera egeſtas, cùm ſolus Deus animum poſſit explere: ſed quia paucis hæc ſapiunt, multis vero terrena & ca-

Phil. 3. duca, vt deflebat Apoſtolus; Animaduertant hi ſaltem, quò tandem abitura ſint omnia! quis eorum finis & exitus! quid in morte, quid in iudicio, quid ad felicem æternitatem magis iuuet humilitas an gloria? paupertas an diuitiæ? voluptas an deliciæ?

Pſ. 91. *Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Nimirum hic eſt ſtultus, qui ſe beatum & felicem prædicat & cui à Deo di-

Luc. 12. citur. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti cuius erunt? ſic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.* O ſæpe inculcanda verba! o ſæpe iteranda ſententia!

Vide Verbo, *Diuitiæ, Auaritia.*

FERIA SEXTA.

DE CASTITATIS CVSTODIA,

EXEMPLO BEATISSIMAE VIRGINIS.

Manſit autem Maria cum illa, quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam. Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit Filium. Luc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Securior eſt Caſtitatis victoria fugiendo, quā pugnando.

RATIO EST, Quia quò magis debilitantur hoſtes Caſtitatis, eò

Digitized by Google

ſecurior eſt eius victoria.
Sed magis debilitantur fugiendo quàm pugnando.
Ergo & ſecurior inde victoria. Ac proinde fugiendum.

I. PVNCTVM.

HIC obſeruant Interpretes non fruſtra dictum ab Euangeliſta, *Quaſi tribus menſibus*, vt innueret non tribus integris menſibus manſiſſe B. Virginem apud Cognatam Elizabeth, ac proinde non interfuiſſe eius partui. Quod confirmant ex eo quod ſtatim poſt diſceſſum Virginis, dicitur eſſe impletum tempus Elizabeth pariendi, & peperiſſe filium. Nec mirum ſi ante partum diſceſſerit Virgo puriſſima, cùm, vt refert Nicephorus, id in more poſitum eſſet apud Iudæos, vt tum Virgines ſecederent cum tempus parientis immineret, additque Theophylactus indecens eſſe Virgini in talibus conuerſari. *Theophil. Niceph. l. 1. c. 8. Rupertus Cant. 1. Ianſenius. S.a.& alij.*

Sic ergo eſt, ſic Virginalis pudor exigebat, ſic conſuetudo inualuerat, & ſic prorſus decebat ſanctiſſimam Virginum Virginem, abeſſe à conſpectu & conſortio pariturae mulieris, ne quid vel oculos, vel aures, vel animum ſubiret, quod eius ſumma puritas auerſaretur. Tametſi enim Beatiſſima Virgo erat *Hortus concluſus & fons ſignatus*, quò nulla vel leuis macula introiret, tamen illa ſic ſe ſolicite cuſtodiebat, quaſi vna ex nobis eſſet, ſeu ad exemplum noſtrum, ſeu quia ſic à Deo ſibi ordinatum videbat. Atque hoc ipſum eſt quod ſanctæ Brigittæ alias reuelauit in hæc verba, quæ habentur libro primo Reuelationum, capite decimo. *Timens*, inquit, *vehementiſſime, ne os loqueretur, ne auris, ne oculi viderent delectabilia; timida quoque fui in ſilentio, & multum anxia.* *Cant. 4.*

Quamobrem quod ſcribit S. Ambroſius, valde eſt opportunum, *Sit vobis tanquam in imagine deſcripta Virginitas, vitaque Mariæ de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis.* Ac proinde ad Eius exemplum diſcamus timere, diſcamus fugere; *Longè enim ſecurior eſt Caſtitatis Victoria, ſic fugiendo quam pugnando.* *L. 2. de Virgin.*

Ratio eſt aperta & facilis quoad illam primam partem qua dicitur, tum ſecuriorem eſſe victoriam quo magis hoſtes expu-

Digitized by Google

gnandi debilitantur. Quid enim clarius? & quid expreſſius ad victoriam indicandam, cum Ipſe Deus ſic eam deſignet: *Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo*, quaſi diceret, tùm poſtea facile vinces.

Iſ. 45.

O quale ſubſidium in tanto periculo, ſi quanti ſunt nobis aduerſarij, debilitari ac frangi poſſint, *Quoniam non eſt nobis, colluctatio tantum aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ, in cœleſtibus.* Paremne te putas tot tantiſque hoſtibus expugnandis? aut ſi ſperas Deum adiutorem, qualem te oportet eſſe pugilem, cum Deo ſimul pugnantem?

Epheſ. 6.

II. PVNCTVM.

SED *hi hoſtes Caſtitatis magis debilitantur fugiendo, quam pugnando.*

Totum enim eorum robur eſt in præſentia obiecti, per quod mouent concupiſcentiam, & nos illiciunt ad peccandum: Quapropter ſi remoueatur tale obiectum, ſi euitetur talis peccandi occaſio, plane ita debilitantur, vt cum diuina gratia eneruetur eorum robur. *Cum defecerint ligna*, inquit ſapiens, *extinguetur ignis.* Quod quidem vniuerſim dictum eſt de omni inordinato motu, ſed particulatim de libidine, hoc pene vnum commendatur vt fugiatur occaſio, in qua vna pugnant & præualent hoſtes. *Virginem*, inquit Eccleſiaſticus, *ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius. Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam; propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc Concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt, colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit.* Et quæ plura ibi habentur, vnde patet quod quanta eſt potentia hoſtium in præſentia obiecti, tam nulla ſit, eo remoto: ſicut cùm exarmantur hoſtes, aut de ſtatione ſua deijciuntur.

Prou. 26.

Eccleſi. 9.

Quod & alius Sapiens ſic breuius exprimit, *Inueni amariorem morte mulierem quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius; vincula ſunt manus illius, qui placet Deo effugiet illam, qui autem peccator eſt, capietur ab illa*; Quaſi diceret, totum conſiſtit ad bene vel

Eccl. 7.

Digitized by Google

male faciendum, vt mulier effugiatur. Nam quod eſt valde notandum in hac materia tentationum, cum ad eas expugnandas ſit maxime neceſſaria gratia, primus gratiæ motus eſt ad fugam occaſionum, Cui gratiæ ſi conſentias, tùm te illa fideliter comitatur & ſubſequitur, donec conterat omnes inimicos tuos; ſi vero contra motum gratiæ perſiſtis in occaſione peccati, tum in pœnam diminuitur gratia, & hoſtes roborantur. *Ambulaſti in voluntatibus eorum, vt darem te in perditionem.* O quoties ſic ambulaſti, quoties ſic peccaſti! Mich. 6.

III. PVNCTVM.

SECVRIOR *eſt igitur Caſtitatis victoria fugiendo, quàm pugnando:* cùm ſic magis debilitentur hoſtes eius, quibus debilitatis, *In perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens*, vt ait Sapientia. Sap. 4.

Ad hoc vnum commendandum conſpirant omnes ſancti Patres, quorum nonnulla dicta, tum ad Veritatis practicæ confirmationem, tum ad praxim ſedulo exercendam tecum reuolue, & ex iis affectus excita.

Sanctus Cyprianus; *In hac parte expedit plus bene timere quam malè fidere, vtilius eſt infirmum ſe quis cognoſcat quam fortis ſi videri velit, infirmus emergat.* S. Ambroſius: *Glorioſa hac fuga eſt, fugere à facie peccati.* S. Hieronymus: *Quis iuxta viperam ſecurus ſomnos capiat? Nunquam ſecurus cum theſauro latro, nec cum lupo tutus eſt agnus. Alligabit quis in ſinu ſuo ignem, & veſtimenta eius non comburentur? Ambulabit ſuper carbones, & pedes illius non ardebunt?* Itemque aptiſſime ad rem noſtram. *Frateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Tu qui pugnas, ſuperari potes & vincere: Ego cum fugero, non vincar in eo quod fugio, & ideo fugio, ne vincar. Nulla ſecuritas eſt vicino ſerpente dormire; poteſt fieri vt me non mordeat, tamen poteſt fieri vt me aliquando mordeat.* S. Auguſtinus: *Contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis inuenire victoriam. Nec tibi verecundum ſit fugere, ſi Caſtitatis palmam deſideras obtinere.* Et poſt pauca. *Infælix & nimium periculoſa iſta præſumptio, multi dum ſe putabant vincere, victi ſunt. Hoc eſt viuere ſub ruina.* S. denique Iſidorus. *Ante ignem conſiſtens etiam ſi ferreus ſis, aliquando*

L. de Sing. Cleric.

Prou. 6.

Libro contra Vigil.

Serm. 250.

diſſolueris: proximus periculo diu tutus non erit: ſæpe quod voluntas non potuit, familiaritatis aſſiduitas ſuperauit. Tunc tot ſanctis Patribus doctior, vt melius ſcias quam illi, bonum? Tunc his ſanctior, vt melius quam illi, fugias malum.

Vide in 3. parte ferias poſt Dominicam 5. Pentecoſtes, & in Indicibus Verbo *Caſtitas, Mortificatio, &c.*

SABBATO
SEV IN VIGILIA NATIVITATIS.

DE MANSVETVDINE QVÆ EST IRAE OPPOSITA: ET QVAE IN SANCTO IOSEPHO CLARE ELVCET.

Ioſeph, Fili Dauid, noli timere accipere Mariam Coniugem tuam. Math. 1.

VERITAS PRACTICA.

Manſuetudo parat hoſpitium Chriſto venturo.

RATIO EST, Quia Manſuetudo pacem internam & externam conciliat.

Sed in tali pace libenter hoſpitatur, & habitat Chriſtus.

Ergo Illi Manſuetudo parat hoſpitium, proindeque diligenter procuranda, vt Chriſtus in nobis maneat, nec à nobis recedat.

I. PVNCTVM.

INTEREA cum intumeſceret vterus Beatiſſimæ Virginis, ſanctus Ioſeph ſponſus eius caſtiſſimus, ignarus myſterij, animaduertit quod vix poteſt credere; Videt indubitate

indubitate quod dubitat tamen eſſe. Rem videt, neſcit modum; Imo ſcit virginem tam puram, tam innocentem, & tam alienam ab eo quod videt, vt vix credat oculis ſuis: & credat potius ſe non videre quod videt, quàm credat Virginem non eſſe Virginem. Sed tamen illa fert vterum! Quomodo grauida poteſt eſſe virgo? Quomodo poſſem accuſare innocentem? quomodo poſſem excuſare prægnantem? Hæc inter ſe pugnantia mirum quantum angerent & diuexarent Ioſephi animum! Et certe niſi Iuſtus fuiſſet & manſuetiſſimus, tùm iraſci, tum excandeſcere & præcipiti furoris impetu grauius aliquid moliri poterat: ſed Manſuetudo hos ſedat motus, Rationem ſeruat, æquitatem tuetur, Deo confidit & locum relinquit Iuſtitiæ, vt dum occulte dimittet Coniugem, nec innocentem prodet, nec rei incognitæ conſentiendo, ſe reum faciet coram Deo. Sic Gloſſa, probatique Interpretes.

HAEC autem eo cogitante, ait Euangeliſta, *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens, Ioſeph Fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*. Et quæ plura in textu ſequuntur, Vide & contemplare pro affectu. Ad praxim vero nihil aptius Veritate propoſita, quæ ab exemplo ſancti Ioſeph deſumitur. Quid enim hodie conformius naſcituro Chriſto cogitare poſſis, quam vt internum pares Ei hoſpitium? *Parat autem Manſuetudo*, quod certe mirum, & cogitatu fructuoſiſſimum.

Ratio hæc eſt, quia pacem internam & externam conciliat. Id enim efficit vt ſedatis paſſionibus, nobiſcum & cū aliis omnibus cedendo potius quam reſiſtendo, quantum in nobis eſt, pacem habeamus. Sic pſaltes Regius. *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*. Sic S. Ioannes Chryſoſtom. *Nihil*, inquit, *æquè ſolet pacem facere, ac Dei cognitio & virtutis poſſeſſio, quæ animi perturbationem, internum bellum domo procul ejicit, nec permittit vt homo cum ſeipſo ſeditiones agitet*. Itemque alibi fuſius, poſtquam comparauit Iratum foro, vbi eſt multus euntium & redeuntium clamor, Manſuetum ſolitudini ac montis vertici ſimilem eſſe dixit, vbi aura ſuauis, purus radius, pura fontium fluenta, multæ florum amœnitates, prata vernana. Et quæ plura in hunc modum proſequitur, *Vt appareat*, inquit, *quanta ſit Viri manſueti & longanimis voluptas, qui Zephiri le-*

Rom. 12. *Pſ. 36.* *In Tſ. 4.* *Hom. 29. ad pop. ant.*

uitatem & quietem imitatur. Itane vero in te apparet? perſcrutare. Non qualis modo ſis, conſiderando: ſed qualis eſſe ſoles, ad iram prouocatus.

II. PVNCTVM.

SED *in tali pace libenter hoſpitatur & habitat Chriſtus Dominus. In pace enim factus eſt locus eius*, ait Dauid. Et ipſa de ſe Sapientia Incarnata; *In omnibus requiem quæſiui*. Hoc primum eo nato denunciatum: *Pax Hominibus bonæ voluntatis*. Hoc primum quod Diſcipulis ſe præcedentibus in omnem locum, quò erat ipſe venturus commendabat: *Primum dicite, Pax huic domui*. Sic princeps pacis dicitur, & cuius pacis non erit finis; Sic in Salomone pacifico præcipue adumbratur. Sic eius denique regnum dicitur, Iuſtitia, & Pax & gaudium in Spiritu ſancto, vt ait Apoſtolus. Et ratio eſt aperta, nam quomodo aliter regnaret in nobis niſi nos regeret prout vellet? At quomodo nos pro ſua voluntate regeret, niſi pacati eſſent noſtri affectus, qui alioquin illi reſiſterent? vnde apte in libro Iob, *Et beſtiæ terræ erunt tibi pacificæ*. In quibus verbis tria quædam aduertit S. Gregorius. Primum, quod per terræ beſtias, motus carnis intelliguntur qui dùm, mentem noſtram, irrationabilia ſuadendo, laceſſunt, contra nos beſtialiter inſurgunt. Deinde vero, inquit, dicuntur pacificæ, non quaſi non fremant aliquando & rugiant, ſed quòd intra cordis caueam frementes licet, teneantur. *Redacta namque intra clauſtra Continentiæ, etſi adhuc tentando rugiunt, vſque ad morſum tamen actionis illicitæ non excedunt*. Denique cur pacificæ potius quàm pacatæ? quia ſcilicet ex ipſo primo motu & fremitu pacem faciunt, quatenus inde Mens religioſa ſibi magis cauet, magis recurrit ad Deum, magis ſuſpirat ad internam & æternam pacem. Quæ quidem fuſius, ſanctus ille Doctor proſequitur. Nobis modo ſufficiat quod nobis optat Apoſtolus: *Pacem habete: Et Deus Pacis & Dilectionis erit vobiſcum*. O quis nolit pacem habere? Qui non vult pati. Aduerte.

Pſ. 75. Eccleſi. 24. Luc 2. Ibid. 9. Iſaiæ 9. Rom. 14. Iob. 5. L. 6. Mor. c. 22. 2. Cor. 13.

III. PVNCTVM.

SIC *ergo Manſuetudo parat hoſpitium Chriſto Domino*, Cùm pacem illi parat, in qua tam libenter habitat vt ſit eius Locus,

Digitized by Google

eius domus, eius regnum, eius imperium & ſacerdotium, *Hic enim Melchiſedech Rex ſalem*, inquit Apoſtolus, *primum quidem qui interpretatur Rex Iuſtitiæ, deinde autem & Rex ſalem quod eſt Rex pacis*: O quanta inde Manſuetudinis commendatio! quid deſiderabilius quàm Chriſtum naſcentem in eo maxime loco recipere, vbi libentius habitat & requieſcit? *Magna ars eſt*, dicebat ille pius & ſatis notus Author, *Scire conuerſari cum Ieſu, & ſcire Ieſum tenere, magna prudentia. Eſto humilis & pacificus, & erit tecum Ieſus: ſis deuotus & quietus, & permanebit tecum Ieſus.*

Hebr. 7.

L. 2. de Imit. Ch. c. 8.

In his ſanctis cogitationibus adiunge te comitem itineris quod hodie ſuſcipiunt Maria & Ioſeph in Bethleem, nec ab eis diſcedas donec *in manſuetudine ſuſcipias inſitum Verbum, quod poteſt ſaluare animam tuam*, vt ait S. Iacobus, Verbum ſcilicet Incarnatum, & ſic nobis quodammodo Inſitum, & nos in illo, velut ramus arbori, vt inde floreamus & fructificemus. Non ſine fructu floreas, *Nam flores eius, fructus honoris & honeſtatis.*

Iac. 1.

Eccleſi. 24.

Sed quinam ille eſt honor? quænam eius honeſtas? Ingredere ſtabulum, circumſpice omnia. Vide ſi quid mundani, ſi quid vani; ſi quid aliud quàm præſepe; quàm paupertas, quàm humilitas, quàm puritas, & patientia. Ecce hic eſt honor, hæc honeſtas, cuius fructus in ipſis ſunt floribus, cùm in ipſo primo Chriſti naſcentis ortu, tam perfectæ Virtutes apparent, quæ à nobis colligantur.

Digitized by Google

IN NOCTE
NATALIS DOMINI.

Et reclinauit Eum in præſepio, quia non erat eis locus in diuerſorio. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Aut Chriſtus fallitur, aut Mundus errat.

RATIO EST, Quia ex duobus contradictoriè ſeu contrariè oppoſitis, neceſſe eſt alterum falli & errare.
Sed Chriſtus & Mundus, ſic ſunt inter ſe oppoſiti.
Ergo aut Chriſtus fallitur, aut Mundus errat.
SED quia diuinam falli impoſſibile eſt Sapientiam, hinc neceſſario ſequitur Mundum errare, ac proinde ab eo tam cauendum, quàm Chriſto conformari volumus.

I. PVNCTVM.

PERVENIVNT tandem ſub veſperam, Maria & Ioſeph, in Bethleemiticum oppidum, quò eos obedientia Cæſari Auguſto reddita, vocauerat. Diuerſorium aliquod, vt mos eſt viatorum, in Ciuitate quærunt, ſed vndique repelluntur, tum ob multitudinem aduentantium, tum ob paupertatem quam præ ſe ferebant. Egreſſi igitur ciuitate, ſeſe recipiunt in vicinum quoddam antrum omnibus peruium, quod ſtabuli formam & vſum

Digitized by Google

referebat. Hæc eſt ſcilicet illa domus hoc palatium quod Filio ſuo naſcituro parauerat Deus! Illic ſanctiſſima Parens diuini ſui partus præſentiens fœliciſſimam horam, Præſepe ad lectuli modum, qua poteſt induſtria & pietate, componit; ſtramen, fœnum, paleas, & quicquid vile eſt huiuſmodi colligit, tum pannos lineos inopes quidem, ſed bene mundos, inuoluendo Filij corpuſculo parat.

ECCE autem cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, Omnipotens ſermo Dei, Verbum illud diuinum, iam nouem menſibus incarnatum, à Regalibus Sedibus venit; INTACTA MATRE NASCITVR, apparet nudus in terra, pannis inuoluitur, in præſepio reclinatur, quia non erat locus in diuerſorio! Sap. 18.

O verè *Verbum breuiatum quod fecit Dominus ſuper terram!* Quàm multa paucis comprehenſa myſteria! Deus homo! Deus infans! Deus in præſepio! Quid hìc primum aut vltimum mirer! Iunge te anima, iunge te cordibus Mariæ & Ioſephi, nam altiora ſunt & ſacratiora myſteria, quàm vt ipſa tu ſola poſſis complecti; adora cum ipſis natum Deum; admirare cum illis paruulum; congaude, condole, & omnes illorum affectus indue quibus tam debito pietatis officio, erga Deum tuum te exoluas, & ad fructum quem prætendit referendum, cum ipſius gratia, te diſponas. Iſ. 10. Rom. 9.

HIC eſt autem eius finis, & fructus inter alios, vt agnoſcas quàm longe Mundus erret in ſuis dictis & factis, ne cum illo erres. Agnoſces vero hic tam certò & euidenter, quàm certum eſt & euidens ex Chriſtiana fide, Chriſtum non poſſe falli. Nam poſita Veritate, quæ ex Diuo Bernardo eſt, *Aut Chriſtus fallitur, aut Mundus errat*; quantum eſt euidens & infallibile, Chriſtum non poſſe falli, tam erit omnino euidens & manifeſtum quod Mundus erret. Serm. 7. de Natiu.

Ratio quæ id conuincit, ipſa eſt qua propoſita Veritas declaratur; Nempe ex duobus contradictorie vel contrarie oppoſitis, neceſſe eſt alterutrum falli ſeu falſum eſſe. Hoc eſt principium indubitatum, & ipſo naturæ Lumine notum, vnde hæc Effata communia, & ab omnibus vbique ſemper recepta emanarunt; *De quocunque affirmatur alterum oppoſitorum, negatur alterum. De natura contrariorum eſt, ſe mutuo expellere. Conſeruatiuum vnius* Ex 1. Elem. 4. L. 10. Me

cap. 6. 5. Phyſ. textu 25. *contrarij eſt deſtructiuum alterius. Contradicentium nullum eſt medium. Contradictio eſt pugna affirmationis & negationis. Denique impoßibile eſt duo contradictoria eſſe ſimul vera, aut ſimul falſa.* Quòd quidem tam certum eſt, vt ne per ipſam Dei omnipotentiam aliter fieri poſſit. Neque eſt aliud quicquam quod negetur à Deo fieri poſſe, niſi quod contradictionem implicat, niſi quod contradictorium eſt; hoc vnum reſpondetur, ſi quid diuinitus negetur impoſſibile. Atque hoc tam clarum eſt non poſſe fieri, vt alio probationis lumine quo illuſtretur, non ſit opus.

Deut. 28. Hæreſne dubius in hac veritate? Palpares in meridie, quæ eſt damnoſa cæcitas.

II. PVNCTVM.

SED Chriſtus & Mundus ſunt contradictoriè ſeu contrariè oppoſiti.

Licet contradictoria & contraria, duæ ſint diuerſæ oppoſitiones, vnam tamen eandemque in Chriſto ſic nato ſtatuimus, quia qua ratione eſt contrarie oppoſitus mundo, eâdem eſt contradi-

1. Ioan. 2. ctorie oppoſitus. Contrarius nempe eſt mundo Chriſtus, quia contrariam mundo vitam inſtituit. *Omne quod eſt in mundo,* inquit dilectus Diſcipulus, *concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ.* At omne quod eſt in ſtabulo Bethleemitico ſeu in Chriſto ibi nato, & in præſepi reclinato, oppoſitum eſt & plane contrariũ illi triplici concupiſcentiæ. Perpende diligenter.

Sic verò eſt etiam contradictorie mundo oppoſitus, id eſt, illud affirmat quod mundus negat; aut illud negat quod affirmat mundus; Nam etſi Chriſtus infans nihil loquitur, nihil ore affirmat aut negat; non deſinit tamen loqui & loquendo deſtruere

Tract. 24. In Ioan. quod mundus adſtruit. Ipſius opus loquela eſt, vt ait S. Auguſtinus, *Quia ipſe Chriſtus verbum Dei eſt, etiam factum verbi, verbum nobis eſt.* Hoc præclare S. Bernardus, *In ſtabulo*, inquit,

Serm 3. in Natiu. *naſcitur Chriſtus, & in præſepio reclinatur. Et nonne Ipſe eſt qui dicit, meus eſt orbis terræ & plenitudo eius? Quid ergo ſtabulum elegit? Planè vt reprobet gloriam mundi, damnet ſæculi vanitatem; Nec dum loquitur lingua, & quæcunque ſunt de eo clamant, prædicant, Euangelizant; ipſa quoque infantilia membra non ſilent. In omnibus*

Serm 5. in Natiu. *mundi iudicium arguitur, ſubuertitur, confutatur.* Et alibi. *Infans*

Digitized by Google

quidem eſt, ſed Verbum. Infans cuius ne ipſa quidem infantia tacet. Clamat hoc ſtabulum clamat præſepe, clamant lachrymæ, clamant panni. Nempe illud ipſum quod poſtea prædicabit, Beati paupe- *Matth. 5.*
res ſpiritu: Væ vobis diuitibus. Et quæ toto continentur Euan- *Luc. 6.*
gelio.

Ah Chriſte Ieſu, iam capio quod dixiſti, *Mundus me odit quia* *Ioan. 7.*
teſtimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala ſunt, & rurſum, *Ibid. 16.*
Confidite, Ego vici mundum.

III. PVNCTVM.

A*VT Chriſtus ergo fallitur, aut Mundus errat*; ſeu potiùs, *Cùm ergo Chriſtus non fallatur, certiſsime Mundus errat.* Nam ab iiſdem principiis vtraque plane manat concluſio. Nempe ex duobus oppoſitis, alterutrum falli neceſſe eſt: Chriſtus autem & Mundus ſunt inter ſe oppoſiti; Aut ille igitur, aut iſte fallitur; Eſt enim veritas indiuiſibilis, aut tota ſe tenet ex parte vnius, aut tota ex parte alterius. At cùm Chriſtus ſit ipſa Veritas, & ipſa Dei Sapientia, quæ nec falli poteſt nec fallere, quid ſequitur niſi Mundum falli? quid ſequitur eligente Chriſto quod carni mo-
leſtius eſt, niſi quod ait S. Bernardus, *Id ergo melius, id vtilius, id* *Serm 3. in*
potius eligendum: & quiſquis aliud doceat vel ſuadeat, ab eo tamquam *Natiu.*
à ſeductore cauendum. Tum Idem pergens, *Iam vero*, inquit, *etiam nocte naſci voluit; Vbi ſunt qui tantopere geſtiunt oſtentare ſemetipſos? Chriſtus elegit quod ſalubrius iudicat, vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? Cuius Iudicium iuſtius? Cuius ſententia ſanior?*

Vt fructuoſius vero hæc tibi & aliis applices, agnoſcendum vniuerſim & particulatim quàm latè pateat, & quàm facile ſeſe diffundat & communicet iſte Mundus qui eſt oppoſitus Chriſto: quam in te partem habeat, quid in te, quid in ſenſu, in affectu, in verbis, & tota vita ſimile mundo ſit & Chriſto diſſimile. Ne quis autem ſibi palpet quaſi qui de Chriſto melius ſentiat quàm de mundo, audiat ſanctum Ioannem Chryſoſtomum longe aliter de ſe ac ſuis, qui te forte non erant deteriores, affirmantem: *Ete-* *L. 1. de*
nim ſi quis extrinſecus vndecumque adeſſet & præceptorum Chriſti ac *Comp. ſolit.*
noſtræ conuerſationis confuſionem ac perturbationem videret, neſcio an alios magis vllos quàm nos, inimicos eſſe & contrarios præceptorum

Chriſti indicaret. Quaſi enim qui ſtudium quoddam habuerimus contraria in omnibus gerere quàm ille mandauit, ita viam hanc vitæ peragimus. Et poſt exhibita Chriſti exempla & monita, ſic pergit; *Ad hæc quid dicemus? pro ſingulis enim hic lachrymæ tantummodo proferendæ ſunt, & confuſio habenda eſt;* APERTE ENIM CONTRA HÆC OMNIA MILITAMVS. Væ mundo à ſcandalis! Et væ tibi à mundo, quiſquis ab eo tibi non caues, quiſquis Chriſto totus non adhæres. *Hæc loquere, & exhortare.*

Ibid. c. 4.

Math. 18.

IN DIE NATALIS DOMINI.

Magnificatus eſt Rex pacificus, ſuper omnes Reges vniuerſæ terræ. 3. Reg. 10.

VERITAS PRACTICA.

Chriſtus in præſepi, & Chriſtianus in humilitate, magis magnificatus eſt quàm Salomon in Throno ſuo.

RATIO EST, Quia tota Salomonis magnificentia in his quatuor conſiſtebat, SAPIENTIA, POTENTIA, DIVITIIS, & DELICIIS.

Sed Chriſtus, & Chriſtianus in his quatuor magis abundant.

Ergo vterque magis magnificatus eſt quàm Salomon in Throno ſuo. Quod certe mirum, & valde conſiderandum.

I. PVN-

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

N*E vile aliquid putares*, inquit S. Auguſtinus, *quale conſueuiſti cogitare, cùm verba humana ſoleres audire, audi quid cogites, Deus erat Verbum.* Sic plane modò, ne vile aliquid putes, cum cogitas puerum in præſepi poſitum, audi quid cogites, *Magnificatus eſt Rex pacificus*; Non modo magnus eſt iſte puer, quia Deus eſt; ſed vt ſimul homo atque Infans in præſepi poſitus, Magnificatus eſt ſupra omnes Reges, & ſupra quã ipſe Rex Salomõ in Throno ſuo. Quod enim dicebatur de Salomone ſuper omnes alios Reges vniuerſæ terræ, hoc modo Eccleſia vſurpat de Chriſto Domino: Atque ab his verbis officium quod de Eius Natali inſtituit, exorditur, vt intelligamus non ſic cogitandum eſſe paruum & humiliatum Dominum, quin ſimul Magnum & maxime Magnificatum conſideremus. Tract. 1. in Ioan.

Neque id tantum de Chriſto intelligas, ſed & de Chriſtiano, Chriſti ſui ſectatore, in Paupertatis, Continentiæ, Humilitatis Contemptus mundi, cæterarumque Virtutum praxi. Non ſic deprimitur illis virtutibus, quin ſimul exaltetur. Non ſic inuitat ſuos Chriſtus ad contemptum gloriæ, diuitiarum, & voluptatis, vt nullam eis gloriam, nullas diuitias, nullas voluptates concedat. Non hæc ſuſtulit bona Chriſtus, ſed mutauit. Suſtulit gloriam vanam, & propoſuit veram: fallaces commutauit diuitias in ſolidas, & nunquam perituras; voluptatem carnis tranſtulit in gaudium ſpiritus, & in illam pacem, *Quæ exuperat omnem ſenſum.* Phil. 4.

Atque in hunc finem proponitur conſideranda Veritas, ne præcedenti ſcilicet cõſideratiòne deterreamur à fugiendo mundo & ſequendo Chriſto, quaſi iam omnia nobis bona peritura eſſent; Non pereunt bona quæ melioribus tranſmutantur. Quod itaque de Chriſto Domino dicitur, hoc proportione quadam de Chriſtiano aſſeritur, qui vitam in humilitate degit, id eſt, in eo ſtatu quem præcedens exigit Conſideratio, contra mundanum ſenſum, & triplicem illam concupiſcentiam, ex qua conflatur mundus. Sic eſt de vtroque, vt habet Veritas, *Sic Chriſtus in præſepi, & Chriſtianus in contemptu mundi, magis magnificatus eſt*

quàm ipſe Salomon in Throno ſuo, quem Deus ita magnificauit, vt
2. Par. 1. ipſi diceret, *ita vt nullus in regibus, nec ante te, nec poſt te, fuerit ſimilis tui.*

Quidquid autem de hac magnificentia cogitari poteſt, ad hæc præſertim quatuor referri debet: SAPIENTIAM, POTENTIAM, DIVITIAS, DELICIAS. In quibus quantus fuerit Salomon, ſatis patet ex ſcriptura, & iis præcipue quæ de
Eccl. 1. & 2. ſe, ipſe refert. *Ecce*, inquit, *magnus effectus ſum, & præceßi omnes ſapientia.* Tum de ſua potentia: *Magnificaui omnia opera mea, ædificaui mihi domos, poſſedi ſeruos & ancillas, multamque familiam habui, vltra omnes qui fuerunt ante me.*
Ibid. Et conſequenter de diuitiis, *Coaceruaui mihi aurum & argentum, & ſubſtantias regum, ac prouinciarum, & ſupergreſſus ſum opibus, omnes qui ante me fuerunt.* Ac denique de deliciis, *Et omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non denegaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaueram.* At quònam illa tandem abierunt? expende paululum.

II. PVNCTVM.

SED Chriſtus in præſepi, & Chriſtianus in humili ſuo ſtatu, his quatuor magis abundant, & longe fælicius.

Math. 12. Colosſ. 2. Primò quidem de Chriſto quoad ſapientiam. *Ecce*, inquit, *pluſquam Salomon hic*; Hic eſt enim in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. *Difficile æſtimamus quæ in terra ſunt*, inquiebat Salomon, *& quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore; quæ autem in cælis ſunt, quis inueſtigabit? At Vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, Ipſe enarrauit.*
Sap. 9. Ioan. 1.

Salomonis ſapientia in componenda lite duarum Mulierum, & in ordinanda domo ſua elucebat; At ſapientia Ieſu Infantis, iam ex præſepi componit illas quatuor, quæ inter ſe diſſidebant, vt dixerat Pſaltes regius, MISERICORDIA & VERITAS,
Pſ. 84. IVSTITIA & PAX. Componit & ordinat totum genus
S. Bern. Serm 1. in Annun. B. Virg. humanum, vnicuique ſuam diſtribuens ſortem, vnicuique ſuum gratiæ & gloriæ gradum. O ſapientia quæ ex ore altiſſimi prodiiſti, tu ſola es quæ perfecte attingis à fine vſque ad finem
Sap. 9. fortiter, & diſponis omnia ſuauiter.

Deinde quoad potentiam, quanta quanta eſt diuina omni-

Digitized by Google

potentia, tota eſt in Infante, tota eſt in præſepi; Nam vt luculente S. Leo: *Exinanitio illa quam reparationi impendit humanæ, diſpenſatio fuit miſerationis, non priuatio poteſtatis.* Hic eſt Infans qui è cœlo euocat Angelos; qui in aere nouam condit ſtellam, mira luce fulgentem: qui ab Oriente Reges ſeſe adoraturos excitat; qui Hærodem turbat atque vniuerſam cum eo ciuitatem. Hic eſt qui Virgini fœcunditatem donat, & qui Matri ſeruat integritatem. Hic eſt qui duas naturas infinite diſtantes in vno ſic vnit Suppoſito, vt immortalis ſit mortalis, æternus temporalis, Immenſus comprehenſibilis, Deus infans, & fortis infirmus. Vis videre quàm ſit iſte fortis? *Omnia per Ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, & ſine labore facta ſunt*, ait S. Auguſtinus. *Tract. 15. in Ioan.*

Denique quoad diuitias & delicias, hæc eſt ſingularis Apoſtoli gratia, *Euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti*, ex quo *Epheſ. 3.* vno verbo licet colligere quantis partibus Salomone Chriſtus ſit ditior. Nam ſi vel vnus gratiæ ſanctificantis gradus, ipſo Sa- *Sap. 7.* lomone atteſtante, præponderat omnibus mundi bonis, quid theſaurus ille gratiarum? quid illa Gratia Capitis, à qua omnes habent vt ſancti ſint? Delicias vero paradyſi Dei, ſicut Scriptura *Ezech. 28.* vocat, delicias viſionis beatificæ, delicias illas immortales, quibus perfruuntur qui Comprehenſores dicuntur, qualis eſt Infans noſter, in præſepi; quis non ſuperiores fateatur illis delicijs quas ipſe Salomon non aliud eſſe profitetur, quam vanitatem & afflictionem animi? En igitur, vt illa quatuor quibus ſe ita magnifi- *Eccl. 2.* cauit Salomon, in Chriſto magis abundant.

Sic plane in Chriſtiano, Chriſti virtutum ſectatore. Nam hic ipsâ Chriſti ſapientiâ ſapiens eſt, ipsâ Chriſti potentiâ & fortitudine fortis, ipſis eius diuitijs diues, & delicijs quidem nondum reipſa beatus, ſed ſpe beatitudinis ita gaudens, & contentus, vt in ipſa tribulatione ſuperabundet gaudio. Quis quæſo, beatior è *2. Cor. 7.* duobus? An Salomon qui non niſi in deliciis tribulatur & affligitur, An ille Chriſti ſectator qui non niſi in tribulatione deliciatur *1. Cor. 1.* & triumphat? *Ex ipſo, vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis* *Ibid.* *Sapientia & iuſtitia*, inquit Apoſtolus. Et de diuitiis ibidem: *In* *Epheſ. 6.* *omnibus diuites facti eſtis in illo*. De potentia vero: *Confortamini in* *l. 16. Mor. c. 14.* *Domino, & in potentia virtutis eius*; Vnde & ſanctus Gregorius: *Fortis ſuper omnia apparuit infirmus inter omnia, vt dum nobis ex aſſumpta infirmitate congrueret, ad permanentem nos ſuam fortitu-*

Digitized by Google

In 22 Luc. *dinem eleuaret*. Sic & ſanctus Ambroſius de deliciis: *Suſcepit triſtitiam meam, vt mihi ſuam lætitiam largiretur: & veſtigiis noſtris deſcendit vſque ad mortis ærumnam, vt nos ſuis veſtigiis reuocaret ad vitam.* Quo ſimili ſenſu paſſim aiunt omnes ſancti Patres, Chriſtum noſtra ſuſcepiſſe, vt ſua nobis conferret, ſi vellemus ea recipere. O quis nollet? O quam pauci tamen ea volunt!

III. PVNCTVM.

C*HRISTVS igitur in præſepi, & Chriſtianus in humili & afflicto vitæ ſuæ ſtatu, magis magnificatus eſt, quàm Salomon in Throno ſuo:* Quia ſcilicet maior eorum Sapientia, maior potentia, maiores diuitiæ & deliciæ, ex quibus quatuor veluti dotibus

Math. 6. conflatur Magnificentia. *Nec Salomon in omni gloria ſua magnifica-*

Prou. 30. *tus eſt, ſicut vnus ex iſtis. Stultiſſimus ſum virorum*, inquit, *& ſapientia hominum non eſt mecum.* Sic certe infirmiſſimus, qui ſuis ſe cupiditatibus ſubiecerit: ſic egentiſſimus & afflictiſſimus, qui conuerſus ad labores in quibus fruſtra ſudauerat, nihil reperit

Sap. 3. niſi vanitatem. *Bonorum autem laborum glorioſus eſt fructus*, iam ex hac vita, quando ſola eſſet ſimilitudo quam fidelis Chriſtianus habet cum Chriſto, nonne vel illa ſufficeret ad omnem gloriam & iucunditatem? Quid glorioſius ſeruo, quàm Dominum conſectari? Quid iucundius filio, quam Patrem æmulari? Hic in-

Iſa. 9. fans *Pater eſt futuri ſæculi*; Qualis modò erit vitæ ſimilitudo, talis futura eſt ad omnem æternitatem. Hic nos generat & enutrit

Iac. 1. *Verbo Veritatis*; & hæc eſt veritas quæ in præſepi apparet contra

1. Petr. 1. mundi vanitatem. *Renati non ex ſemine corruptibili*, inquit ſanctus Petrus, *ſed incorruptibili per Verbum Dei viui & permanentis in æternum, quia omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni; exaruit fœnum & flos eius decidit. Verbum autem Domini manet in æternum*; Hoc eſt *autem verbum quod euangelizatum eſt vobis.* Vnde quæ paritas inter fœnum & Verbum Dei, tanta eſt diſparitas inter vitam diſſimilem & ſimilem Chriſto, inter vitam mundanam & Chriſtianam. Et hîc nutabis vtram eligas!

Luc. 9. Statue hoc nouum propoſitum: *Sequar te, Domine, quocunque ieris.*

Vide ſupra, Dominica prima Aduentus, & duab. ſequentib. Feriis. Sabbato infra Dom. tertiam. Et in Indicibus, Verbo *Chriſtus, Amor, Charitas, Mundus.* Et die 13. Ianuarij.

Digitized by Google

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Stephanus plenus Gratia & Fortitudine, faciebat prodigia, & ſigna magna in populo. Act. 6.

VERITAS PRACTICA.

Injuriam infert Gratiæ maximam, qui pro ferenda injuria non certat fortiter.

RATIO EST, *Quia idcirco quis in ferenda injuria ſeu in aliis quibuſcumque aduerſis, non certat fortiter, vel quod non putet ſe poſſe vincere etiam cum gratia, vel quod nolit hunc certandi laborem ſuſcipere.*

Sed vtrumque eſt valde injurioſum Gratiæ.

Ergo illi injuriam facit maximam, qui non ſic fortiter in aduerſis certat; ſicut ſanctus Stephanus Protomartyr.

I. PVNCTVM.

VIDENDA ſunt quæ de ſancto Stephano habentur in Actis Apoſtolorum, capite ſexto & ſeptimo. Tum notandus triplex Gratiæ & Fortitudinis actus, quem exercet. Primus eſt, loquendo magnificè de Domino Ieſu, coram Iudæis qui grauibus intentatis minis vetuerant ne vllus ſermo palam de hoc nomine haberetur, quique non aliter ac blaſphemias accipiebant, quidquid de Ieſu diceretur. *Homo iſte*, inquiebant, *non ceſſat loqui verba, aduerſus locum ſanctum, & Legem.* *Act. 6.*

Secundus eſt, quòd cum videret perfidos illos eò vehementius ſibi obſiſtere, quò apertius illis veritatem demonſtrabat, tum

Act. 7. acriter in eos inuehitur: *Dura ceruice & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita & vos.*

Tertiùs denique, cùm intendens in cœlum vidiſſet gloriam
Ibid. Dei, & dixiſſet: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei:* Tunc Iudæi exclamantes, impetum fecerunt vnanimiter in eum, & eijcientes extra ciuitatem, Lapidabant. At vero ille libentiſſime & generoſiſſimè primus pro Chriſto mortem ſubijt, cùmque ſaxorum crepitantium turbine quateretur, *Domine Ieſu,* inquiebat, *ſuſcipe ſpiritum meum. Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.*

Hoc eſt eſſe fidelem; hoc eſt plenum eſſe gratia & fortitudine; hoc eſt maxime honorare Gratiam, quando ſic fortitudo quam confert, non ſeparatur à Gratia, ſed ſimul fideliter exercetur. E contra vero: *Injuriam facit Gratiæ maximam, qui ſic fortiter in aduerſis non pugnat.*

Hæc eſt Veritas modo expendenda, prout declaratur; Nempe idcirco quis in aduerſis non pugnat, vel quod non putet ſe ſatis fortem ad illa peruincenda, vel quod nolit laborem ſuſcipere qui neceſſarius eſſet ad certandum & vincendum. Vix eſt aliud quod præter illa duo cogitari poſſit; atque illorum etiam alterutrum neceſſario proferendum eſt, ſi non decertas fortiter. Dic enim quare cedis? nonne dices quia nimis te premunt aduerſa, nec te parem illis putas? aut ſi conuinceris te poſſe cum gratia: poſſe quidem non negabis, ſed difficilius eſſe aſſeres, quàm vt la-
Num. 13. borem illum ſuſcipias. *Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt.* Sic illi negabant ſe poſſe, qui nolebant pugnare pro terra promiſſa poſſidenda. Ah quoties ſic cer-
Apoc. 21. tamen detrectaſti? *Qui vicerit, poſſidebit hæc: & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Timidis autem & incredulis, pars illorum erit in ſtagno ardenti.*

II. PVNCTVM.

SED *vtrumque illud valde eſt injurioſum Gratiæ.*

Primò quidem ſi dicas te non poſſe, perinde eſt ac dicere non eſſe ſatis potentem gratiam, non eſſe ſatis potentem Deum, aut non ſatis fidelem qui promiſit pluſquam poteſt dare. Quod

Digitized by Google

quis non videt eſſe injurioſum, & blaſphemum? Cum enim Deus toties promiſerit ſe tibi affuturum, neque timendum eſſe dum tibi adfuerit: Si quid dubitas, nonne de eius fidelitate aut de potentia dubitas? quaſi nolit quod dixit, aut quaſi non poſſit quod velit? *Noli metuere,* inquit Deus, *& noli timere, quoniam tecum eſt Dominus tuus in omnibus ad quacunque perrexeris.* Quæ licet ſoli Ioſue referantur dicta, tamen ad nos omnes ſpectare, ſcribit Apoſtolus, cum ex illis verbis ſic ad fiduciam nos exhortatur, *Ipſe enim dixit, non te deſeram neque derelinquam, ita vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Ioſue 1. Hebr. 12. Pſ. 117.

Et certe cùm ex nobis, ſine gratia, nihil poſſimus, jubeamur autem perpetuum inire certamen cum hoſtibus, qua tandem ratione, & quibus armis vinceremus, niſi gratiæ: aut niſi gratia ſatis eſſet potens ad vincendum? *Infælix ego homo,* ait Apoſtolus, *quis me liberabit de corpore mortis huius?* Reſpondet idem: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Tu vero id negabis, & non putabis injuriam facere Gratiæ? Imo eſt illa contumelia de qua idem Apoſtolus: *Qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & SPIRITVI GRATIAE CONTVMELIAM FECERIT.* Expaueſce. Rom. 7. Hebr. 10.

Alterum vero non eſt illi minus injurioſum, cùm ſcilicet poſſis eius auxilio vincere ſi decertes; nolis tamen certare ne nimis labores. Hoc eſt enim ſibi nimis indulgere, hoc eſt manifeſte naturam deprauatam præferre gratiæ, corpus animo, appetitum rationi, terram cœlo, voluptatem æternæ beatitudini. Nam niſi quis legitimè certauerit, non coronabitur. Qui non vult coronari, cœlum ac Deum ſpernit; Qui non vult certare, non vult coronari. O probrum. O infamiam. *Numquid Fratres veſtri ibunt ad pugnam, & vos hic ſedebitis? Nulli dubium eſt, quin peccetis in Deum; & ſcitote, quoniam peccatum veſtrum apprehendet vos.* 2. Tim. 2. Num. 32.

III. PVNCTVM.

I*NIVRIAM igitur facit Gratiæ maximam, qui fortiter in iniuriis & aduerſis non certat*; Cùm idcirco non certet, quia non putet ſe ſatis fortem cum Gratia, vt poſſit vincere; aut ipſam Gratiam non ſatis dignam iudicet, pro qua conſeruanda pugnet, & in pugnando laboret. Quod vtrumque eſt Gratiæ valde inju-

Digitized by Google

Prou. 1. rioſum. *Extendi manum meam*, inquit, *& non fuit qui aſpiceret.* Extendit nempe manum cum indicat aliquid eſſe faciendum,& patiendum, cùm ad id exhortatur & confortat, cùm nos propterea erigit & ſtimulat, quoties denique nos velut manuducit quo tendimus. Sed quàm pauci & rari ſunt qui ad motum Gratiæ moueantur! *Non fuit*, inquit, *qui aſpiceret*, qui attenderet ad illos gratiæ motus, vt eos ſequeretur: vnde ſic pergit irata ſapientia ſeu diuina gratia: *Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo vos, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, aduenerit:* Quaſi diceret, quando in extremum agonem & horrendum illud certamen vitæ ac mortis deueneritis, tunc me meâque operâ maxime vos indigere ſignificabitis, tunc me inuocabitis, & impenſe deprecabimini: ſed fruſtra, quia ſicut me paratam ad certamen pro vobis ineundum deſeruiſtis, ſic vos iam certare paratos deſeri conuenit. Quod certe eſt expaueſcendum, tibi præcipue qui tam mollis es in certando.

Hebr. 12. Quamobrem audiendus attente Apoſtolus, *Deponentes*, inquit, *omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in Authorem fidei & Conſummatorem Ieſum.* Vide vt circunſtans nos peccatum vocet Concupiſcentiam, quæ cum triplex ſit, vt heri diximus, vna bonorum temporalium, alia delectabilium, & alia honorum mundi: aduerte diligenter nos ab illa triplici concupiſcentia retardari ad certandum in aduerſis. Ac proinde vt obſiſtas contrà, fortiterque decertes: Aſpice in Authorem fidei & Conſummatorem Ieſum. Aſpice illum pauperem in præſepi, contra tentationem concupiſcentiæ temporalis. Aſpice Illum patientem in cruce, contra delectabilia. Aſpice illum denique glorioſe regnantem in cœlo, contra Mundi vanitates. Dic blandientibus bonis, aut deterrentibus malis: *Video cælos apertos & Ieſum ſtantem à dextris Dei*, Qui mihi meliora præparat, ſi hęc terrena deſpicio. Mirum quantum ille aſpectus Domini Ieſu in Præſepi, ſeu in Cruce, ſeu in Cœlo valeat ad certandum & vincendum contra triplicem illam concupiſcentiam. *Inimici hominis domeſtici eius.*
Mich. 7. *Ego autem ad Dominum aſpiciam*, ait Propheta. *Vidi Deum, & ſalua*
Gen. 32. Dan. 10. *facta eſt anima mea. Adhuc viſio in dies.*

Vide in Indicibus Verbo, *Gratia, Fortitudo, Timiditas.*

IN FESTO

IN FESTO SANCTI IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Diſcipulus quem diligebat Ieſus. Ioan. 21.

VERITAS PRACTICA.

Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem. *Prou. 22.*

RATIO quæ de Rege regum Domino Ieſu, Veritatem interpretatur, hæc eſt, quòd nullus Regi vt Regi, acceptior eſt quàm qui fidelem ſe præbet in omnibus.

Sed qui diligit cordis munditiam, maxime ſe fidelem præbet Regi Ieſu.

Ergo habebit eum amicum, & ab eo diligetur ſicut Dilectus hic Diſcipulus, de quo expreſſe dicitur, quod ſpecialis prærogatiua Caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum, quia virgo electus ab Ipſo, virgo in æuum permanſit.

I. PVNCTVM.

VALDE HONORANDVS EST BEATVS IOANNES. Ingredere penitus in hunc pietatis Eccleſiæ ſenſum; & vide quàm id recte prædicetur. Nam vix ſunt vlli honorum Tituli, quibus alij quique Sancti honorantur, qui non omnes conueniant ſancto Ioanni, ad eius honorem præ aliis exaltandum. Fuit enim, vt ſcribit ſanctus Hieronymus, PATRIARCHA & fundator Eccleſiarum Aſiæ. Fuit inſignis PROPHETA Noui Teſtamenti, vt patet ex eius Apocalypſi infinita futurorum myſteria continente, vt ait idem S. Hieronymus. Fuit APOSTOLVS inter alios celeberrimus, & ex tribus vnus quos Columnas vocat S. Paulus. Fuit EVANGE- *Lib. de Script. Eccl. Lib. 1. com. tom. Gal. 2.*

Tract. 35. in Ioan. LISTARVM Aquila, *Sublimium nempe prædicator, & lucis internæ, atque æternæ fixis oculis Contemplator*, vt ſcribit ſanctus Auguſtinus. Fuit MARTYR deſignatus à Domino, cuius calicem eſſet bibiturus, vnde S. Hieronymus: *Si legamus*, inquit, *Eccleſiaſticas hiſtorias, in quibus fertur quòd & Ipſe propter martyrium ſit miſſus in feruentis olei dolium, & inde ad ſuſcipiendam coronam, Chriſti Athleta proceſſerit, ſtatimque relegatus in Pathmos inſulam ſit, videbimus martyrio animum non defuiſſe, & bibiſſe Ioannem, calicem confeſſionis quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet perſecutor non fuderit ſanguinem.* Fuit denique DOCTOR, EPISCOPVS, CONFESSOR & VIRGO. Ac proinde ſi alij ex horum aliquo coluntur & honorantur titulo, certe hic valde honorandus qui vnus omnes omnium titulos in ſe complectitur.

Math. 20. l. 1. in Ioan.

Præterea vero ſupra quàm alij, ſingulares quatuor & eximias obtinuit à Domino gratias. Prima eſt quod omnium Iunior ad Apoſtolatum, & omnium ſenior è vita diſceſſerit, obijt enim tantum Anno Chriſti centeſimo primo, vt eſt apud Baronium ex Euſebio. Vnde maximum meritorum cumulum ſibi comparauit. Secunda, quod in ſinu Chriſti Domini recubuerit, & fluenta Euangelij de ipſo Sacro Dominici pectoris fonte potauerit. Tertia, quod in Filium Beatiſſimæ Virginis Matris coaptatus ſit, illique Chriſtus Dominus de cruce Virginem Matrem, Virgini commendarit.

Quarta eſt quam cæteris omnibus præfert, quamque omiſſis aliis maxime prædicat quod *Diſcipulus ille eſſet quem diligebat Ieſus.* Hac ſe vna nota inſignitum vult internoſci, hoc ſe vno ſignare nomine, hac vna commendatione celebrari. Nec certe fallitur, quid enim amplius quàm ſic diligi à Domino Ieſu? Expende attentius. Congaude Sancto; Atque vt in aliquam huius diuinæ amicitiæ participationem venias, propoſitam Veritatem reuolue, Cuius Ratio quoad primam partem ita eſt facilis vt non ſit longius immorandum in ea declaranda vel pōderanda.

Quid enim clarius, quàm ex omnibus Regis aut regni Adminiſtris eum eſſe præcipue carum & acceptum Regi, qui fidelis ſit in omnibus & qui quò fidelior eſt, eò ſit acceptior: Vnde Sapiens, *Virum fidelem quis inueniet*, quaſi diceret, illi ſunt maxime qui quæruntur, & illi ſunt qui rarius inueniuntur. Atque ita pau-

Prou. 20.

Digitized by Google

Ib poſt Idem; *Vir fidelis multum laudabitur*. Et certe apud Regem Ieſum hic potiſſimum ſeruus probatur, *Quis putas eſt fidelis ſeruus? Euge ſerue bone & fidelis. Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt. Hic iam quæritur inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* O vere debitum fidelitati præmium! ô vere debitam tali præmio fidelitatem!

Ibid. 28. Math. 24. & 25. Luc. 16. 1. Cor. 4. Apoc. 2.

II. PVNCTVM.

SED qui *diligit cordis munditiam, is maxime ſe fidelem exhibet Regi Chriſto.*

Nam cùm fidelitas his tribus potiſſimum indiciis innoteſcat: Primò, vt vniuerſim in omnibus obſeruetur: Secundò, vt exactè in ſingulis; Tertiò, vt crebrò & frequenter ad omnes occaſiones exerceatur: profectò hæc tria maxime reperiuntur in eo qui diligit cordis munditiā. Primo enim vniuerſim in omnibus quæ cor inficere poſſint ex quorumque vitio, plane viri fidelis eſt, vt ſe iis purget, aut non diligeret cordis munditiam. Deinde, non tantum prauos affectus, vel cogitationes quas vocant moroſas prohibet, ſed vel tranſitorias illas ſpecies quæ animo reluctanti obuerſantur, vt ne vel minimâ labeculâ velit ſe infici, ſitque eius anima verè *Illa ſponſa, quæ quantum humana infirmitas patitur, non habet maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Nullum plane commercium habeat nullumue cum alienis verbum quod ſuſpicionem moueat, nullam prorſus creaturæ dilectionem admittat quę non ſit pure in ordine Charitatis, propter ipſum Chriſtum, vt illud etiam Apoſtoli perfecte impleatur, *Deſpondi vos vni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Epheſ. 5. 2. Cor. 11.

Denique, quam crebro & frequenter in iis ſe exerceat qui diligit cordis munditiam, ex eo ſatis patet, quod toties idipſum repetit & frequentat, quoties aliqua incurrit ſpecies, quæ cor ipſius poſſit inquinare. At quis non ſentit quàm ſint illæ frequentes & quàm importunæ ſpecies? ac propterea quanta & quàm manifeſta ſit fidelitas in ipſis repellendis? Vnde aptè Apoſtolus; *Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum*; Quod eſt vno verbo eſſe, fidelem. Itane tu? *Laua à malitia cor tuum Ieruſalem, vt ſalua fias; vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?*

2. Tim. 2. Ierem. 4.

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

Apoc. 19. QVI *ergo diligit cordis munditiam, habebit amicum illum Regem qui habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, REX REGVM & DOMINVS dominantium,* vt ſcribit dilectus Diſcipulus, quia videlicet vt Idem ibidem ait, cum illo Rege Re-
Ibid. 17. gum, *Sunt vocati electi, & fideles.* Fidelis eſt autem vel maxime qui diligit cordis munditiam, vt qui ad vnam vel leuiſſimam ſuggeſtionem, conſtanter in ſingulas horas dicat quod ſemel fi-
Gen. 39. delis ille Ioſeph ad ipſum crimen repellendum: *Ecce Dominus meus,* &c. *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Nonne hic fidelis fuit? Nonne in diligenda cordis & corporis munditia, fidelitatem ſuam oſtendit? Nonne ſi cognitus fuiſſet Domino ſuo, magis illi carus fuiſſet & pretioſus? Sic ergo plane eſt de quouis diligente munditiam. Neque vltra labores in confirmanda Veritate ſatis nota, ſed laborem omnem conuerte ad excitandam in te, cum diuina gratia, talem puritatis dilectionem quæ tibi faciat amicum Chriſtum. Quanti hanc æſtimes amicitiam, patebit ex dilectione puritatis: & quanta ſit hæc dilectio, patebit ex vigilantia quam adhibebis, ad primas
Dani. 13. quaſque vanitatis & voluptatis ſpecies exſufflandas. *Species dece-*
1. Theſſ. 5. *pit te. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.*

Vide in Indicibus Verbo *Caſtitas, Mortificatio, Puritas.*

IN FESTO SS. INNOCENTIV.

Herodes videns quod illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde; & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra. Math. 2.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Inimici noſtri magis prodeſſe poſſunt odio, quàm profuiſſent obſequio.

RATIO EST, Quia vtilitas quæ ſpectat vitam ſpiritualem & æternam, longe maior eſt, quàm quæ temporalem.

Sed Inimici noſtri nobis prodeſſe poſſunt odio ſuo, ad vitam ſpiritualem & æternam, cùm ſolùm ad temporalem nobis prodeſſent obſequio.

Ergo & magis prodeſſe poſſent odio, quàm obſequio; Dum bene ſcilicet vtamur eorum odio; atque ad hunc bonum vſum, valere multum poteſt iſta Conſideratio.

I. PVNCTVM.

CRudelis Herodes nouum
Regem, venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœleſtia.

Rex iſte qui natus eſt, non venit reges pugnando ſuperare, ſed moriendo mirabiliter ſubiugare. Venit non vt pugnet viuus, ſed vt triumphet occiſus. Quid eſt ergo quod ita turbatur & furit Herodes? Deprauata ſcilicet regnandi cupiditas, metus inordinatus, varia & inanis ſuſpicio, ſimileſque motus turbulenti, quos excitare ſolet ambitio, ſeu praua quæuis affectio. *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor!* Nonne ſic tibi ſæpe accidit? nonne ſic fruſtra ſæpe commoueris, & ſine cauſa concitaris? Recte ſapiens, *Multos ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Agnoſce hic teipſum.

S. Fulg. Serm. 5. de Epiph.

Pſ. 13.

Eccleſ. 3.

INTEREA verò pergunt impij ſatellites Regis, crudele in infantes edictum promulgant, non tam verbo quam facto; Vnus tantum quæritur, & in illo omnes mactantur, ſicut ille in omnibus occiditur. Quale ſpectaculum! Quale impietatis Carnificum, cum pietate matrum certamen! Quid peccarant paruuli ſic mactati? Sed quam bene cum illis actum eſt! Quàm vere S. Auguſtinus. *Ecce*, inquit, *profanus hoſtis nunquam beatis par-*

Serm. 10. de SS.

Digitized by Google

nulis tantùm prodeſſe potuiſſet obſequio, quantùm profuit odio. Quid enim illis contuliſſet? Quid tandem illud eſt ſi comparetur ad vitam illam beatam qua modo in cœlis perfruuntur? *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt; hi ſequuntur Agnum quocumque ierit; Hi empti ſunt ab hominibus, primitiæ Deo & Agno, & in ore eorum non eſt inuentum mendacium, ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.* Congaude illis, pium deprome affectum. Saluete flores Martyrum, &c.

Apoc. 14.

Sic porro nobiſcum agitur, numquam fœliciùs quàm cum miſeriùs creditur; numquam vtilius quàm cùm pernicioſius. Vere enim & de inimicis noſtris dicere poſſumus, quod de Herode S. Auguſtinus circa Innocentes: *Magis prodeſſe poſſunt odio, quàm profuiſſent obſequio.* Expende accuratè, ac primo illud quod præmittitur de maiori vtilitate ſpirituali & æterna, quàm temporali & caduca; quis dubitare poteſt, niſi de fide dubius aut de ſalute deſperatus? *Quid enim prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? TOTO non potes orbe animam emere*, inquit S. Chryſoſtomus; Quid tibi totus igitur orbis, ſi perdis animam? Hæc eſt vera & ſolida meditandi materia. Non multa hic, ſed multum meditare quod eſt.

Matth. 16.

II. PVNCTVM.

SED *Inimici noſtri nobis prodeſſe poſſent odio ſuo, ad vitam ſpiritualem & æternam, cùm ſolum ad temporalem nobis prodeſſent obſequio.*

Si enim patienter toleremus iniurias, probra, & quidquid odio ſuo Inimici congerent ad exercitatione͂ humilitatis, & patientiæ, nonne inde profectus ſpiritualis, & æternæ beatitudinis cumulandæ ſeges ampliſſima? *Hæc eſt enim gratia*, inquit ſanctus Petrus, *ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſte. Quæ enim gloria ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? ſed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.* Et infra: *Et quis eſt qui vobis noceat ſi boni æmulatores fueritis? ſed & ſi quid patimini propter Iuſtitiam, beati. Timorem autem Eorum ne timueritis, & non conturbemini.*

1. Petr. 2. & 3.

Si non haberemus qui aduerſum nos obſiſterent, ait Origenes,

Digitized by Google

Agones non eſſent, nec victoribus munera ponerentur, nec regnum cælorum vincentibus pararetur, neque momentaneum hoc & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum, pondus gloriæ operaretur nobis in futuro. Sic ipſe & alij Patres fuſiſſime narrant, quantum profuerit vnicuique ſanctorum, habuiſſe aduerſarium & inimicum per quem factus eſt ſanctus. Sic Innocens Abel à Caino primus martyr effectus. Sic de Iacob & Eſaü dicitur, *Quod hic maior ſeruiet illi minori. Hic mali ſeruiunt bonis*, inquit S. Auguſtinus, *non vtique obſequendo ſed perſequendo, quomodo perſecutores martyribus, & lima vel mallei auro: quomodo molæ ſeruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia; ſic mali ſeruiunt bonis, quomodo in fornace aurificis palea ſeruit auro, vbi palea conſumitur, & aurum probatur.* Sic dicitur de Iſraëlitis quod quanto magis opprimebant eos Ægyptij, tantò magis multiplicabantur & creſcebant. *Hom. 13. in Num.* *Geneſ. 25.* *Exodi 1.*

Sic Ioſephum inimici fratres extulerunt; Sic Dauidem Saul: Iudæi Chriſtum Dominum: atque vno verbo, quotquot ſanctiores & beatiores veneramur, non niſi ex inimicorum iniquitate, ſanctitatem collegerunt, & beatitudinem ſibi compararunt. *Salutem ex Inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos. Ecce beatificamus illos qui ſuſtinuerunt.* Quaſi diceret ille ſanctus Apoſtolus, Cur non ita nos exiſtimamus beatos, ſi quid ab inimicis patimur, cum illos propterea veneremur vt ſanctos & beatos, qui talia paſſi ſunt? *Luc. 1.* *Iac. 5.*

III. PVNCTVM.

INIMICI *ergo noſtri magis prodeſſe poſſent odio, quàm profuiſſent obſequio*; Cùm per odium illud ſuum ad ſalutem & perfectionem noſtram prodeſſe nobis poſſent; quæ eſt vtilitas longè maior, quàm quæ humanis obſequiis deferretur. *Aufer rubiginem de argento*, inquit ſapiens, *& egredietur vas puriſſimum*; Hanc à nobis rubiginem auferunt Inimici, dum nos exacuunt, aut potius dum eos patienter ſuſtinemus. *Nam qui impatiens eſt*, vt idem ait ſapiens, *ſuſtinebit damnum*, Id eſt patietur ſine merito, ſine fructu, ſine vllo emolumento, imo & cum detrimento & jactura; Nam ad illa damna quæ ab inimicis patitur, adjicit Impatientiæ peccatum, & peccati pœnas conſequentes acceſſit. Quod aptè Propheta ille expreſſit qui dixit, *Ephraim* *Prou. 25.* *Ibid. 19.*

Digitized by Google

Oſee 7. *factus eſt ſubcinericius panis qui non reuerſatur*; Hic enim panis ex vtraque parte eſt maleficus; ex inferiori quidem, quâ eſt ambuſtus; ex ſuperiori vero qua non ſolide coctus. Sic impatienti duplicatur damnum, quia malum male recipit, & priuatur bono
Ezech. 22. quod inde haurire poterat. *Fili hominis, verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam: omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: ſcoria argenti facti ſunt.* Egregius ſanè Prophetæ locus, tum firmandæ Veritati propoſitæ, tum diſcutiendæ Conſcientiæ, num tibi hæc verba competant: num proficias ex aduerſis, vel deficias; num quod datur ad lucrum, accipias ad de-
Eccleſi. 2. trimentum; *Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam.* Erigere contra.
Ibid. 1. *Vſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jucunditatis.*

SI forte, in triduum ſequens inciderit Dominica quæ eſt infra octauam Natiuitatis Domini, Vide infrà, die nona Ianuarij: Et in die Purificationis B. Virginis, ad verba Simeonis, Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Aut etiam formari poteſt

AD HÆC EIVSDEM VERBA:

Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Vel nouus homo Chriſtus, veteris noſtri hominis eſt ruina: vel vetus noſter homo ruina eſt noui naſcentis hominis: Alteruter alterius eſt ruina.

RATIO EST, Quia quando duo ſimul juncti ſibi contradicunt; alteruter alterius eſt ruina.

Sed nouus & vetus homo, ſimul iuncti ſibi contradicunt.

Ergo alteruter alterius eſt ruina.

PRIMA

Digitized by Google

PRIMA propoſitio iam aperte patet ex iis quæ dicta ſunt in die Natalis Domini.

SECVNDA ſic facile perſuadetur; Nam viuere ſecundum carnem, ſiue ſecundum naturales ſenſitiui appetitus inclinationes: & non ita viuere, ſunt omnino contradictoria; Nihil eſt autem vetus & nouus homo, quàm vita ſecundum, & non ſecundum carnem, vt expreſſè habet Apoſtolus, locis hic notatis, ac proinde ſibi omnino contradicunt. *Gal. 5. Eph. 4. Coloſſ. 3.*

VNDE tandem manifeſta hæc apparet Veritas, *Quod alter alterius eſt ruina.* Et ſic diſertè Apoſtolus, *Deſtruatur,* inquit, *corpus peccati,* id eſt, moles illa peccatorum quæ à vetere procedit homine; neque eſt opus longiore diſcurſu ad Veritatis probationem, ſed ad praxis affectum, hinc etiam atque etiam, promouenda eſt voluntas. Nam ſicut alteruter neceſſario debet in nobis viuere, prout nobis placuerit, ita plane videndum eſt cuiuſnam ruina nobis magis placeat. Velles ſi poſſes vtrumque concordare & ſeruare, ſed non potes; aut alterum neceſſario retineas, & alterum pellas. Times forte ruinam veteris hominis, times priuationem voluptatis, ambitionis, libertatis, & reliquæ concupiſcentiæ, times deſtructionem illius corporis peccati, quam ſequi neceſſe eſt, nouo ſe in nobis ædificante homine. *Rom. 6.*

At vide quænam ſit maior ruina, ſi ne pereat vetus homo, nouum perdis: ſic enim perdis Chriſtum, perdis cœlum, perdis pacem, perdis teipſum, quâ tui parte tibi eſſe debes carior. Confer vtramque ſimul ruinam & jacturam. Ruina veteris hominis eſt ruina vanæ gloriæ; ruina noui hominis eſt ruina diuinæ gloriæ. Ruina veteris eſt deſtructio cogitationum carnis: at ruina noui eſt deſtructio cogitationum & conſiliorum Dei. Ruina veteris eſt reſtrictio riſus inanis, & moderatio lætitiæ ſenſibilis: ruina noui eſt priuatio ſolidæ & diuinæ conſolationis. Ruina veteris eſt, humanæ contemptus gratiæ: ruina noui eſt diuinæ gratiæ cœleſtiumque ſimul omnium jactura bonorum & beatitudinũ. Sic perge in aliis vtriuſque hominis antithetis bonis & malis: & ſuppoſita neceſſitate alterutrum eligendi, vide ex duobus bonis quodnam melius: Vide ex duobus malis quodnam deterius. *Quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conſenſio Chriſti ad Belial?* Non tibi vita tollitur, non gloria, non lætitia; ſed in melius mutatur. *2. Cor. 6.*
Non eſt perdere, minus pro maiori dare. *Rapinam bonorum ve-* *Hebr. 10.*

ſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.

TRIDVO ſequenti, agitur de Paſtoribus ad præſepe Domini, primò quidem proficiſcentibus; tùm ibi ſubſiſtentibus: atque inde regredientibus.

DIE XXIX. DECEMBRIS.

DE PASTORVM PROFECTIONE AD PRAESEPE DOMINI.

Tranſeamus vſque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum eſt nobis: & venerunt feſtinantes. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Sicut diſcurſum noſtri Intellectus ſtatim ſequi debet affectus voluntatis; Ita & affectum effectus, ſeu exequutio.

RATIO EST, *Quia idcirco ſtatim affectus ſequi debet Intellectum diſcurrentem, ne diſcurſus euaneſcat, ſine vllo voluntatis affectu.*

Sed niſi effectus atque exequutio ſtatim ſequatur affectum, affectus non minus exareſcet ſine effectu, quam ſine affectu diſcurſus.

Ergo perinde ſequi debet affectum effectus, atque affectus intellectum; Quod tamen rarum eſt, & diligenter aduertendum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

PASTORES erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis, ſuper gregem ſuum. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno; Et dixit illis Angelus; Nolite timere, Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid. Luc. 2.

Vide quæ plura habentur in textu, & mirare quod ad paſtores potius quàm ad alios prioris notæ homines, dirigantur à Deo Angeli. Expende ſingulas Angeli voces, atque has præcipue, ***Et hoc vobis ſignum: Inuenietis Infantem, pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.*** O qualem Chriſti nati notam! quale inſigne Regis Angelorum & hominum, ***PANNI & PRAESEPE!*** Aduerte, vt in diuinis Laudibus quas decantant Angeli, datur Deo gloria, & pax hominibus, vnde tu ſi tibi aſſumis gloriam quæ Dei eſt, pacem tibi Deus auferet, & erit gloria tua in confuſione. Denique obſerua diligenter quàm citò paſtores affecti fuerunt ad videndum Infantem, de quo audierant Angelos, & quam citò affectum effectus ſequutus fuerit; Sic enim vt Angeli diſceſſerunt, paſtores loquebantur ad inuicem, ***Tranſeamus vſque Bethleem, & videamus quod factū eſt; & venerunt feſtinantes.***

Sic plane in Meditationibus intellectum diſcurrentem ſtatim affectus ſequi debet: & affectum effectus. Tota vis Veritatis eſt in particula ***ſtatim:*** Nemini enim dubium eſt quin aliquando effectus ſequi debeat, ſed an ſtatim, aut æque cito atque affectus diſcurſum ſequitur; hoc porro eſt quod pauci norunt, & tamen eadem prorſus eſt Ratio pro affectu & effectu.

Quid eſt enim quod tantopere commendatur in meditando, vt affectus ſtatim excitentur poſt diſcurſum? Nempe ne diſcurſus euaneſcat, quo euaneſcente nullus ſit voluntatis motus & affectus, ac proinde nullus orationis fructus. Nam cùm Voluntas non moueatur circa bonum ſuum, niſi prout eſt cognitum & manifeſtatum ab intellectu: certe quamdiu iſta præſens vigebit cognitio & manifeſtatio, magis affectiua erit voluntas, quā ſi non eſſet præſens. Sicut quando è ſilice ſcintilla excutitur,

Digitized by Google

debet eſſe paratus fomes qui ſcintillam excipiat,ne alioquin pereat: Ita in meditatione exardeſcit ignis, prout voluntas cum Gratia ſe opportune ſubiicit infuſo Lumini. *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam*; Hoc eſt affici, hoc eſt illu-

Cant. 3. ſtrari & ardere. In quo certe deficiunt hi de quibus dicitur,

Rom. 1. *Quia cùm cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Nonne tu ex his es?

II. PVNCTVM.

SED *niſi effectus aut exequutio ſtatim ſequatur effectum, affectus non minus exareſcet ſine effectu, quàm ſine affectu diſcurſus.*

Eccleſ. 8. Eſt quidem tempus & opportunitas omni negotio, vt ait Sapiens, neque ſemper ita paratum eſt & opportunum tempus vt quamprimum afficimur ad aliquid efficiendum, effectus affectum ſequi poſſit: Tunc certe differendum, & ſat citò ſi bene,

Prou. 19. Nam vt eſt in ſacris prouerbiis, *Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum: & qui feſtiuus eſt pedibus offendet.* Verum non eſt tam frequens hæc præcipitatio, neque tam damnoſa,quàm tarditas: Vix deſunt occaſiones rei bene gerendæ, prout in meditatione quotidiana ſtatuitur: quia dùm res gerenda ſtatuitur, circumſtantiæ loci & temporis præuidentur, quæ tamen quando occurrunt, differtur ſæpe effectus, & vix vnquam poſtea reuocatur; quandoquidem conceptus in meditatione affectus interim dum effectus differtur, elanguit; neque ita valet ad effectum di-

4. Reg. 19. latum exequendum, ſicut dum calebat affectus. *Venerunt filij vſque ad partum, & vires non habet parturiens.*

Hoc valde expendendum, ſicut facile euaneſcit diſcurſus, ita & affectus: citò areſcit lachryma, omnis humana voluntas am-

Sap. 4. bulatoria eſt, *Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia,* Id eſt,etiamſi non aduertas nec cogites. Atque inde fit quod dictum eſt, vt niſi illo ipſo calente motu & durante affectu voluntatis, ſtatim effectus & exequutio, dum imperari poteſt, imperetur, vix vnquam

Iſ. 56. fiet, quia mutabitur, aut refrigeſcet affectus; *Et erit ſicut hodie, ſic & cras, & multò amplius*, vt ait Propheta; Id eſt eadem ſemper peccabis, non conuerteris, non emendaberis, non proficies,

Digitized by Google

licet ad profectum afficiaris, quia nimis longe diſiungis effectum ab affectu.

Hoc eſt quod Chriſtus Dominus exprobrauit Iudæis, qui cum ſatis bene affecti eſſent ad prædicationem S. Ioannis, quia tamen non ſtatim executio ſequuta eſt illum affectum, nihil illis profuit vel audiuiſſe Ioannem, vel in eo audiendo commotos eſſe. *Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius;* Quaſi diceret, in hoc erraſtis, quod vobis ſatis eſſe putaſtis recte in illum affici: oportebat enim vltra progredi, & ſtatim ad effectum proſilire. Quod & alibi explicat clarius dicens; *Publicani iuſtificauerunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis: Phariſæi autem & Legiſperiti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos non baptizati ab eo.* O quale eſt illud; *Conſilium Dei ſpernere,* dum affectum inefficacem reddimus!

Ioan. 5.
Luc. 7.

III. PVNCTVM.

SICVT *ergo diſcurſum Intellectus meditantis Veritates propoſitas ſtatim ſequi debet affectus Voluntatis, ita & affectum effectus:* Quia vt aperte eſt demonſtratum, par vtrobique eſt ratio; neque minus timendum eſt quod effectus ab affectu diſiunctus, nullus ſit, quàm nullus eſſet affectus, ſi affectus à diſcurſu diſiungeretur. *Propterea,* inquit Apoſtolus, *abundantius oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus, ne forte pereffluamus.* Non modo effluunt & pereunt diſcurſus & affectus, niſi effectus ſequatur; ſed nos ipſi, quod mirum eſt, pereffluimus, Id eſt, toti conſumimur & perimus, quia ſine effectu nihil ſumus; Vnde & Propheta; *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras; ſeminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis & non eſtis ſaturati: Et qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Nonne is ſe perire diceret, ſic pereunte mercede ſua?

Hebr. 2.
Agg. 1.

In mente ergo habe, inquit Dominus, *qualiter acceperis, & audieris, & ſerua, & pænitentiam age,* de neglectis ſcilicet occaſionibus, & toties dilatis effectibus. *Putaſne quare moratur filius meus, aut quare detentus eſt ibi?* Sic Tobias Pater de Filio; ſic de te Deus, dum nimis tardas. Eſto velocior, & funem magis preſcinde quam ſolue.

Apoc. 3.
Tob. 10.

Vide ſupra Feriam 3. infra Hebdomadam primam Aduentus. Et Verbo, *Effectus.*

Digitized by Google

DIE XXX. DECEMBRIS.

DE INGRESSV PASTORVM IN LOCVM, VBI NATVS EST DOMINVS.

Inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis, de puero hoc. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Cum ſimplicibus ſermocinatio eius, ſeu familiaris communicatio. *Prou.* 3.

RATIO EST, Quia his ſe potiſſimum communicat Chriſtus, qui ſe illi totos ſubjiciunt.

Sed ſimplices ſic ſe, inter alios, Chriſto ſubjiciunt.

Ergo & His maxime ſe Chriſtus communicat. Quod certe eſt ad Simplicitatis commendationem, ac vitij oppoſiti deteſtationem illuſtriſſimum, & maxime neceſſarium.

I. PVNCTVM.

SI tibi mirum fuit Paſtores præ multis aliis vocatos & miſſos ab Angelis ad viſendum Dominum; magis adhuc mirandũ apparet, quod illi locum ingreſſi vbi reclinatus erat Infans in præſepio, ſtatim agnouerũt illum eſſe Saluatorem & Chriſtum Dominũ, quem Iudæi expectabant, & qualem Angeli nunciauerant. Quam multa dubiam hanc illis fidem poterant facere! Quis facile crederet talem Regem naſci ex tam paupere matre, vt non haberet vbi eum reclinaret, niſi in pæſepio? Quis niſi bene perſuaſus putaret eum Saluatorem aliorum qui

neceſſaria vitæ vix haberet? Quod ſi Angeli ſuum illum Regem agnoſcunt, cur ei non miniſtrant? Cur non tranferunt in nobiliorem & commodiorem locum? Cur non conuocant vniuerſum mundum ad eum adorandum? Cur non ſaltem Iudæos omnes, aut certe cur non præcipuos? Cur potius paſtores, viros ſimplices à quibus coli non eſt ita magnificum & regium, ſicut à viris principibus?

Hæc & ſimilia poterant ſibi paſtores objicere, atque à credendo retardari; ſed nihil horum occurrit: ſtatim vt vident oculis corporeis puerum, vident oculis mentis Saluatorem & Chriſtum: Nihil contra diſcurrunt animo, nihil raciocinantur aduerſum, nihil opponunt contrarium. Ita ſe illis intime & plene communicat Verbum illud infans, vt intus loquatur, intus ſermocinetur, intus dicat quod olim per Prophetam: *Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Erant illi ſcilicet ſimplices animo & docibiles Dei, quos Chriſtus maxime diligit, quibuſcum ſermocinatio eius, & familiaris communicatio. *Iſ. 52.* *Ioan. 6.*

Admirare, & adora hanc diuinam Sapientiam & Bonitatem: Tum vt videas manifeſte quàm ſit vniuerſim certa Veritas, quæ ex Prouerbiis proponitur modo conſideranda, expende primam illam Rationis allatæ partem, quâ dicitur Chriſtum ſe his maxime communicare qui ſe illi totos ſubjiciunt, id eſt, intellectu, & voluntate. Nam cùm ex iis quæ communicat, multa ſint quæ ſuperent humanum intellectum, & quibus etiam naturalis voluntas repugnat: certe niſi quis ſubjiciat illi hanc duplicem animi facultatem, non eſt aptus tantæ communicationi, nec vero dignus tantæ familiaritati. *Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* Hæc ſi dicta ſunt illi viro qui Chriſto contradicebat in re tam noua & prope incredibili, qualis erat eius futura paſſio: quid dicetur illi qui repugnaret Domino in aliis quæ à communi ſenſu minus diſtarent. *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo. VAE qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ; nunquid dicit lutum figulo ſuo, quid facis?* *Prou. 3.* *Math. 16.* *Rom. 9.* *Iſ. 45.*

II. PVNCTVM.

S*ED ſimplices ſic ſe Chriſto ſubjiciunt, intellectu, & voluntate.* In hoc enim proprie eſt ſimplicitas animi, vt ſicut paruu-

lus, non reluctetur, non repugnet, ſed ſimpliciter credat & faciat quod cognouerit à Domino reuelatum & ordinatum. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino*, ait Moyſes, *nec addas quicquam nec minuas*. Hoc vere eſt eſſe ſimplicem; Atque hinc dicitur in prouerbiis: *Abominabile Domino cor prauum, & Voluntas eius in iis qui ſimpliciter ambulant*; Quia hi ſcilicet ſeſe illi ſubjiciunt. Hoc diſerte S. Ioannes Chryſoſtomus allata ſimilitudine paruulorum: *Etiamſi*, inquit, *Regina cum diademate atque purpura paruulis offeratur, non præponunt eam matri, licet pannoſa*; ſic ſe ſimplices diuinæ fidei & prouidentiæ totos addicunt, vt licet humilia & abiecta proponantur ad credendum, vel faciendum, iis potius acquieſcant, quam quæ mundus iactat & offert. *Gloria noſtra hæc eſt*, inquit Apoſtolus, *teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, conuerſati ſumus, in hoc mundo.*

Deuter. 12. Prou. 11. Hom. 63. in Math. 2. Cor. 1.

Poſſeſne ita loqui? quid impedit? quid contrà, ſe opponit? prudentia illa ſcilicet carnis quæ mors eſt, *ſapientia illa carnis, quæ inimica eſt Deo, Legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt:* ait idem Apoſtolus; vnde illud væ propheticum: *væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.* Nec minus tremendum illud quod eſt apud Iobum: *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium prauorum diſſipat: per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte, ſic palpabunt in meridie.* Quaſi diceretur, ſua ipſi ſapientia deſipiunt: ſua ipſi luce cæcantur; dum ſe volunt regere contra Deum, ſuis ipſi conſilijs reguntur contra ſeipſos. Quod ſanctus Gregorius variis illuſtrat exemplis. Tu à teipſo diſce, quàm male tibi ceſſerit, quoties à Chriſto diſceſſeris.

Rom. 8. Iſ. 5. Iob. 5. L. 6. Mor. c. 11.

III. PVNCTVM.

PATET ergo quàm vere dictum ſic à Sapiente: *Abominatio Domini eſt omnis Illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius*: Id eſt, communicatio familiaris de diuinis myſteriis, aut quibuſcumque rebus ſpectantibus ad ſalutem & perfectionem; *Deo enim ſermocinari eſt*, inquit S. Gregorius, *per illuſtrationem ſuæ præſentiæ, humanis mentibus arcana reuelare; Cum ſimplicibus igitur ſermocinari dicitur, quia de ſupernis myſteriis illorum mentes radia*

Pro. 3. 3. 4. paſt. Admõ. 12.

radio ſuæ viſitationis illuminat, quos nulla vmbra duplicitatis obſcurat. Et ſanctus Hieronymus, *Sermocinatio*, inquit, *Domini, cum ſimplicibus eſt, quia illos cœleſtis ſapientiæ ſecretis illuſtrat, quos terreni faſtus ac duplicitatis nihil habere conſiderat. Hinc etenim dicit, abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* In Prou. Matth. 1

Denique quid apertius ad rem noſtram quàm quod ipſa proclamat Sapientia: *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum: peruerſæ enim cogitationes ſeparant à Deo, probata autem virtus corripit inſipientes, quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Sap. 1.

Hinc te agnoſce, vix vnquam fateberis te fictum & ſimulatum: ſed nonne agnoſcis te aliquando & ſæpius in oratione deſertum à Deo, & in mediis verſari tenebris, vbi alij clara luce fruuntur? Vnde hoc putas? Audi iterum Sapientem; *Quoniam acceſſiſti maligne ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo & fallacia.* Fingis te ſæpe velle quod non vis, nec velle quod vis. Atque illud ipſum ſi poſſes, ipſi Deo affingeres. *O plene omni dolo & fallacia, fili diaboli, inimice omnis Iuſtitiæ, non deſinis peruertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem vſque ad tempus.* Hæc ad doloſum Apoſtolus. Deprime magis ac magis cor tuum, ne ſe nimis efferat, ne ſibi nimis credat. Eccleſ. 1. Act. 13. Eccleſ. 2.

Vide Verbo, *Simplicitas, Prudentia.*

DIE XXXI. DECEMBRIS.

DE REDITV PASTORVM, ET RELATIONE EORVM QVÆ AVDIERVNT, ET VIDERVNT.

Et reuerſi ſunt Paſtores glorificantes, & laudantes

Deum, in omnibus quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Ne quid nimis, aut quid minus, cum proximo.

SENSVS & RATIO eſt, quod vbi æquale apparet periculum incidendi in exceſſum vel defectum, adhibenda eſt maxime cura, vt moderatio teneatur, ne quid nimis aut minus fiat.
Sed in communicatione cum proximo, tale apparet periculum.
Ergo ibi maxime adhibenda eſt cura, ne quid nimis, aut minus cum illo fiat, quàm debet fieri.

I. PVNCTVM.

OCCVRRVNT hîc duo conſideranda, quæ nonnullam videntur habere oppoſitionem, vnde tamen perutile documentum elicitur. Primum eſt, quòd Paſtores à præſepio Domini reuertentes, non ceſſabant omnibus obuiis prædicare, & miris efferre laudibus, quæ audierant ab Angelis & viderant in Puero nato. Alterum vero huic abſimile eſt quod Maria & Ioſeph mirum ſeruarent ſilentium, neque vlli cuiquam de hoc Myſterio verba facerent. De Ioſepho quidem nihil prorſus habet Euangeliſta; de Maria autem hoc vnum, *Quod conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo*, Id eſt ſibi ſoli intenta, conferebat ſimul quæ ab Angelis & à Paſtoribus dicebantur, vt inde vel ad laudandum Deum, vel ad profectum eliciendum excitaretur.

Quid porrò eſt, cur Ipſa non etiam ſicut Paſtores de his loqueretur, & quæ tam mira nouerat de Filio ſuo, non communicaret aliis? Aut quomodo Paſtores, viri rudes & ignari hoc ſibi aſſumebant? Videlicet vt hinc diſcas, & loquendum, & ſilendum. Diſce à Paſtoribus, opportune loqui de Diuinis & ſpiritualibus; Diſce à Maria Matre, de iis etiam ſuo ſilere loco, & tempore. Vix aliud eſt vbi à Viris etiam ſpiritualibus peccetur

frequentiùs & grauius, quàm in horum aliquo extremorum, ſiue per exceſſum ſiue per defectum. Vel enim nimis ſe ſuaquè communicant, vel non ſatis. Et dum ſæpe vnum euitare volunt extremum, in aliud incidunt. Quamobrem hic maxime ſeruanda eſt moderatio: *Ne quid nimis aut quid minus.* Atque vt practica reddatur Veritas, tùm adhibenda præcipue cautio, & attente conſideranda Ratio quæ id ſuadet.

Quando ſcilicet æquale apparet periculum, & par vtrinque occaſio imminet, incidendi in aliquod extremum, id eſt, in exceſſum vel defectum, circa quoduis obiectum: tum vel maxime attendendum, inuigilandum, & vno verbo, ſic eſt cauendum, ſicut in periculo & occaſione peccati; Nam reuera omne extremum, quodcunque ſit, ſiue excedens, ſiue deficiens, vitioſum eſt: & ſicut virtus non conſiſtit niſi in medio quod eſt inter vtrumque extremum, ita niſi ſeruetur hoc medium, plane vitium eſt & peccatum. Hinc illa S. Gregorij Nazianzeni præclara ſententia: *Virtutem exceſſus & defectus peræquè labefactant, non ſecus ac regulam additio aliqua, vel ſubſtractio.* Sanctus item Hieronymus aptiſſime: *In virtutibus nec Hyperbaſes nec Ellypſes, nec plus, vel minus, ſed omnia temperata: & ſi à recta via paululum declinaueris, non intereſt vtrum ad dextram vadas, an ad ſiniſtram, cum verum iter amiſeris.* Propterea toties admonemur in Scripturis; *Ne declinemus ad dexteram aut ad ſiniſtram, ſed per viam quam præcepit nobis Dominus noſter, ambulemus.* Quo etiam ſpectant illa Sapientum monita: *Prudentia tua pone modum. Noli eſſe iuſtus multum, neque plus ſapias quàm neceſſe eſt, ne forte obſtupeſcas.* Itane tibi caues in omnibus? an potius temere & inconſulto te permittis corruptæ naturæ, quæ ſemper in aliquod propendet extremum?

Orat. 26. — *In Iſaia.* — *Deut. 5.* *Ioſu. 1.* *Prou. 4.* *Pro. 23.* *Eccleſ. 7.*

II. PVNCTVM.

SED in communicatione cum proximo, par eſt occaſio & æquale vtrimque periculum, ne quid nimis, aut minus fiat.

Nam ex vna parte, qui ſibi videntur ſapere, & aliquid noſſe de Diuinis, profuſiores ſæpe ſunt in loquendo, & verendum magnopere ne illis accidat quod ait Eccleſiaſticus; *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* Et Sapiens in Pro- *Eccleſ. 21.*

Digitized by Google

Prou. 29. uerbijs: *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus ; ſapiens differt & re-*
Rom. 12. *ſeruat in poſterum.* Contrà quos etiam manifeſte Apoſtolus: *Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quam oportet ſapere ; ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuique ſicut diuiſit Deus, menſuram fidei.*

Ex alia autem parte, non minus eſt periculi, ſi taceas quan-
Iſ. 6. do loquendum eſt; *Væ mihi quia tacui*, ait Propheta. Et Sapiens,
Eccleſ. 4. *Ne reuerearis proximum tuum in caſu ſuo, nec retineas verbum, in tempore ſalutis, non abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo.* Et rur-
Prou. 11. ſum, *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem ſuper caput vendentium.* Quod ſancti Patres interpretantur de communicatione rerum ſpiritualium, ad quam ſanctus Pe-
1. Pet. 4. trus nos ita ſtrictè obligare videtur, quàm ſanctè eſt obligatus Diſpenſator diſpenſare bona ſibi data in hunc finem: *Vnuſquiſque*, inquit, *ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Ac proinde qui tam pio deſit operi, nonne is ſuo deſit officio ? Nonne is per defectum peccabit, & minus faciet quam oporteret ? Aut ſi forte loquaris, ſi quæ ſentis communicas: Nonne ſuprà quàm tibi licet, tu tibi ſæpe aſſumes ? Nonne plus nimio te efferes ? Nonne per exceſſum delinques? Videſne par vtrimque periculum? Tene verò vides in horum alterutro ſic verſari, vt vix vnum effugias, quin deuoluaris in aliud ?

III. PVNCTVM.

Ne quid igitur nimis aut minus fiat, agenti cum proximo, tanta cura & diligentia eſt attendendum, quanta eſt præſens occaſio & æquale vtrimque periculum, incidendi in alterutrum extremorum, niſi diligenter attendatur. Quod Sapiens apertiſſime monuit, dum ait, *Qui conatur multa agere, incidet in iudicium:* tum
Eccleſ. 29. ſubdit, *Recupera proximum ſecundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Quaſi diceret, niſi attendas, incides, quia lubricum & periculoſum eſt opus.

Tota autem attentio cùm ex multis pendeat circumſtantiis, tùm perſonæ, tùm loci & temporis, tùm etiam modi & finis in agendo: Vide hic quæ tuæ partes ſint, quæ naturalis inclinatio aut diuinæ impulſus gratiæ, in alterutum ex his duobus?

Digitized by Google

An te nimis aut minus quam par eſſet, communicas? An forte nimis cum quibuſdam, & minus cum aliis? An forte nimis cum arridet; & minus quando non ita placet? An forte nimis cum nobilioribus; & minus cum plebeis? Hæc ſunt vbi hactenus deliquiſti: hæc ſunt vbi deinceps ne delinquas, attentio eſt excitanda. Vide diſtinctius, vbi, & quando, & illud ibi applica. *Attende tibi ne incidas.*

Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Pſ. 38.
Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Pſ. 140.
In dubio ſatius eſt minus quam nimis. *Ceſſa prior cauſa diſciplinæ, & noli nimius eſſe, ne forte offendas.* Eccleſ. 31.

Vide infrà decimo octauo Ianuarij. Et in 2. parte, tota Hebdomada ſecunda poſt Octauam Paſchæ. In tertia viro parte, Hebdomada decima, poſt Octauam Pentecoſtes.

DIE I. IANVARII ET ANNI.

IN CIRCVMCISIONE DOMINI.

DE NOMINE IESV, ET DE PVRA INTENTIONE RENOVANDA.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Luc. 2.

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Coloſſ. 3.

VERITAS PRACTICA.

De pretio Nominis IESV, tantò plus circumciditur & nobis deperit, quantò minùs perfectè nos circumcidimus.

RATIO EST, Quia de pretio ſacri Nominis tantò plus deperit, quanto minus nobis applicatur.

Sed tantò minus nobis applicatur, quantò minùs perfectè nos circumcidimus.

Digitized by Google

Ergo hinc etiam de pretio nominis Ieſu, tantò plus circumciditur & nobis deperit.

Quod cum ſit valde deplorandum, idcirco circumcidendis prauis affectibus, & purificandæ in omnibus intentioni, vacandum eſt diligentius, vt omnia noſtra in NOMINE DOMINI NOSTRI IESV, FIANT.

I. PVNCTVM.

TRIA occurrunt hodie quæ ſimul conſiderata nos eò ducent facilius quò potiſſimum ſpectare debemus. Primum eſt CIRCVMCISIO DOMINI, quam vt cæteri infantes octauo à Natiuitate die ſubire voluit, in exemplum obedientiæ & humilitatis. O quale exemplum! Non ſolùm formam hominis vt in Natiuitate, ſed formam habet peccatoris. ***Caput pro membris accipit curationem, quæ non eſt neceſſaria capiti, niſi ad ſanitatem corporis.*** Hæc fuſe ſanctus Bernardus. *Serm 3. in Circumc. Dom.*

Secundum eſt, IMPOSITIO NOMINIS IESV. Quod vnum continet alia Dei nomina, ſignificatione, dignitate & pretio. Nempe, vt ait idem S. Bernardus. ***Ipſum eſt de quo ſponſa in Cantico amoris, Oleum, inquit, effuſum, Nomen tuum.*** (*1. Cant.*) Hoc enim in aliis diuinis nominibus expromitur & quodammodo effunditur. Hoc eſt ***magnum, excelſum, ſanctum & terribile Nomen eius.*** Hoc eſt ***nomen nouum quod os Domini nominauit***; (*Pſ. 110. Iſ. 62.*) Hoc eſt ***Nomen ſuper omne nomen, in quo omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.*** (*Phil. 2.*) ***Hoc eſt nomen & non aliud ſub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat ſaluos fieri.*** (*Act. 4.*) Hæc tecum recole, ***cum metu & reuerentia***, vt ait Apoſtolus. (*Hebr. 12.*)

Tertium denique eſt, NOVI ANNI RECVRRENTIS INITIVM quo nos noſtraque omnia Chriſto, vel per ipſum Deo, qui eſt PRINCIPIVM à quo, Et FINIS ad quem conditi ſumus, offerre debeamus, & puram ei ſeruiendi & placendi in omnibus, Intentionem renouemus. Atque hoc eſt potiſſimum quod ſpectemus hodie, & ad quod exequendum duo alia referuntur. Nam Circumciſione admouemur, omnia illa amputanda eſſe, & velut circumcidenda quæ huic puræ

Digitized by Google

oblationi & intentioni poſſent obeſſe. Per nomen vero IESV ſubminiſtratur modus & formula tam facilis atque efficax purificandæ deinceps intentionis, vt quoties dicas, ſicut monet Apo-
Coloſſ. 3. ſtolus, *IN NOMINE DOMINI*, totum dicas quod ad puritatem Intentionis ſufficiat. Hæc eſt enim vis & virtus, hoc pretium & valor huius ſancti Nominis, vt ſi operibus noſtris præfigatur & infundatur, ſignificationis ſuæ vim & virtutem
Serm. 15. in Cant. impertiat, Id eſt, ſalutem & ſanctitatem conferat. Vnde ſanctus Bernardus, de hoc ſalutifero agens Nomine; *Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quo tui omnes in IESVM & ſenſus dirigantur & actus: pone me, inquit, ſignaculum in corde tuo, ſignaculum in brachio tuo; habes in nomine Ieſu vnde actus tuos vel prauos corrigas, vel minus perfectos adimpleas. Itemque vnde tuos ſenſus aut ſerues ne corrumpantur, aut ſi corrumpantur, ſanes.*

Recte hoc poſtremum de ſanandis corruptis ſenſibus & affectibus addit ſanctus Bernardus, nam niſi ſani eſſent affectus, ſancti non eſſent actus, quantumcumque illis ſanctum IESV nomen infunderetur: quamobrem Circumciſio ſimul & Nomen iungantur neceſſe eſt; nec Circumciſio valet ſine Nomine, neque Nomen ſine illa Circumciſione ſpirituali, quâ noſtri corrigantur affectus. Hoc quidem difficilius, ſed tamen ita neceſſarium eſt, *Vt de pretio Nominis IESV tantò plus circumcidatur, & pereat, quantò minus perfectè, prauos illos affectus circumciderimus.* Atque idcirco hæc Veritas conſideranda proponitur, vt grauiore propoſito malo, quod eſt in illa iactura Nominis tam pretioſi, leuior appareat quæuis difficultas oppoſita, & facilius acceptetur.

Age ergo expende quid ſit, de pretio nominis IESV aliquid circumcidi & deperire: Nempe non applicari nobis. Quidquid enim Chriſtus Saluator nobis ſit meritus, niſi nobis appli-
Gal. 5. cetur per media ordinata, nihil prodeſt ad ſalutem. *Ecce Ego Paulus, dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Euacuati eſtis à Chriſto; à gratia excidiſtis.* Oportebat ſcilicet veterem legem in nouam verti: oportebat Legalem Circumciſionem in ſpiritualem mutari: oportebat, Iudaiſmum in Chriſtianiſmum transferri, quod qui nollet facere, nollet Chri-
Ibid. 3. ſtum ſibi applicare, nec proinde ſibi prodeſſe. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, ait Idem eiſdem, Id eſt Chri-

ſtum

Digitized by Google

ſtum vobis in baptiſmo applicaſtis, ſicut applicatur indumentum. Et quia variæ ſunt applicationes meritorum Chriſti, Idcirco idem Apoſtolus etiam baptizatis dicebat, *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Rom. 13. Quaſi diceret, qui carnis curam facit in deſideriis, non ſibi Chriſtum induit, non ſibi applicat, quo Ille deeſt modo; vnde & cuidam Dominus, *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Apoc. 3. Tepido loquitur, id eſt tibi. Tepiditatis autem hæc eſt nuditas, & hæc confuſio nuditatis, vt malis eſſe nudus, quàm Chriſto indutus & ornatus.

II. PVNCTVM.

SED tantò minùs nobis applicatur valor & pretium ſacri Nominis Ieſu, quanto minus nos perfecte circumciderimus.

Vniuerſim vera eſt propoſitio de omni genere applicationis meritorum Chriſti, cui tantum obeſſe poteſt Cor incircumciſum, quantum opponetur illi merito, ſeu certæ Gratiæ quæ erat communicanda. Verum hîc duntaxat agitur de applicatione ſancti Nominis ad opera noſtra, vt ſic per puram Intentionem ad Deũ dirigantur; ſenſuſque propoſitionis eſt, quod prout intus, benè vel malè ordinatos affectus habuerimus, quod eſt eſſe circumciſum, vel incircumciſum; plus aut minus valebit pronunciatum Nomen ad formandam noſtram Intentionem, ſeu ad dirigendos in Deum actus noſtros. Debet enim concordare animus ori noſtro, & dum ore profitemur nihil nos velle in opere, niſi quod ſignificatur Nomine Ieſu, nihil habere debemus repugnans huic ſignificationi & valori: aut certe ſi quid eſt quod repugnet, impeditur applicatio & valor talis Nominis, atque ore tantum dicis, corde vero contradicis. Imo etſi corde ipſum diceres, & toto affectu pronunciares, te velle in nomine Ieſu operari quod agis, ſi tamen hoc agis propter honorem tuum, propter ſolam tuam commoditatem, delectationem, & lucrum, nihil agis, nihil dicis; quia repugnat te operari in nomine Ieſu, & propter vanitatem, aut voluptatem tuam: vnde quantum volueris vnum ex his repugnantibus, tantum oportet te nolle aliud. Quantum volueris placere Deo, tantum oportet te nolle placere tibi, vel

Digitized by Google

mundo. Et quia naturaliter tibi & mundo magis placere appetis quam Deo; niſi circumcidas & reprimas hos appetitus, non placebis Deo, ſicque nihil proderit pronunciatio nominis Ieſu quâ prætendis illi velle placere: nam per oppoſitum affectum illa deſtruitur & exhauritur; aut certe tanto minus proderit, tantoque minus applicatur eius valor & pretium, quanto magis de oppoſito reſtabit affectu, ſeu quanto minus perfecte atque integre teipſum circumcideris. *Quæ eſt enim participatio Iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas Luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?* Reſponde Apoſtolo id quærenti, aut agnoſce nihil tibi eſſe quod reſpondeas.

2. Cor. 6.

III. PVNCTVM.

STAT ergo Veritas, *Quod de pretio Nominis Ieſu tantò plus circumciditur, & nobis deperit, quantò minùs perfectè nos circumcidimus*; Quia quantum non applicatur, tantum deperit; non applicatur autem niſi circumcidantur contrarij Cordis affectus, aut niſi prout circumciduntur, & conformantur ſignificationi Nominis, cùm ex Corde tanquam ex Radice procedat Intentio & qualitas operis, quidquid ore proferatur. Hinc Chriſtus Dominus; *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam & fructum eius malum. Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor, malos fructus facit.* Id eſt, qualis intus in animo fueris, tales erunt actus tui; ſi purus ſis & vacuus prauis affectibus, pura & bona erunt opera facta in Nomine Domini: Sin contrà ſi deprauatus fuerit affectus, tùm praua inde erunt opera: Vnde aptè Apoſtolus: *Cognouit Dominus qui ſunt eius: & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Et Propheta Ieremias: *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es.* Quaſi diceret animæ peccatrici, numquid putas auferendas tuas malitias per ſola ſacrificiæ, niſi tu ipſa collabores in illis tuis malitiis auferendis? Vel ſic, putaſne per oblata mihi ſacrificia, te mihi placituram in cæteris operibus tuis, niſi per gratiam quam tibi offero, coneris auferre malitias quibus tu mihi diſplices? Quod & Aggæus propheta proſequitur pluribus, patebitque

Math. 12. Ibid. 7. — 2. Tim. 2. — Ier. 11. — Agg. 2.

Digitized by Google

etiam apertius ex dicendis ſequenti triduo, vnde illud valide confirmatur, quod niſi naturales motus quibus teipſum inordinatè quæris in omnibus, circumcidas & amputes, non applices tibi vim & valorem Diuini Nominis; atque ex conſequenti tantum tibi depereat quantum recepiſſes, ſi illud applicaſſes, & oppoſitos repreſſiſſes affectus.

Quale autem illud, *Sic tibi deperire pretium & valorem tanti Nominis!* ſic tibi deperire meritum Chriſti, tot ſudoribus partum, tot votis exoptandum! *Quæ vtilitas in ſanguine meo?* In *Pſ. 29.* Nomine meo? In vita & in morte mea, *Dum deſcendo in corruptionem?* Id eſt, dum applicor corruptis & deprauatis affectibus?

Deplora tu Ipſe talem jacturam; atque vt diligenter in futurum proſpicias, audi Prophetam: *Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum.* *Ier. 4.* Nihil hodie gratius offeres Chriſto, quàm præciſum ex corde tuo aliquid, quod ibi hærebat tenacius. Nec vllum motiuum aptius huius præciſionis & oblationis faciendæ, quàm quod hîc modò proponitur, ne videlicet aliquid detrahatur & pereat de Chriſti merito & beneplacito. *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter & impleat omnem voluntatem Bonitatis. Et opus fidei in virtute, vt clarificetur Nomen D. N. IESV Chriſti in vobis: & vos in Illo, ſecundum Gratiam Dei noſtri, & Domini IESV Chriſti.* *Epheſ. 3.* *2. Theſſ. 1.*

EODEM DIE,

EX VERBIS SVPRA RELATIS APOSTOLI:

VERITAS PRACTICA.

Diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. 2. *Tim.* 2.

RATIO EST, Quia Nomen Domini Ieſu, ordinariè tantùm nominatur, vel ad Laudem & honorem ipſius Nominis; vel

Digitized by Google

ad Inuocationem auxilij: vel ad Intentionem operis cuiuſcumque noſtri, ſic formandam.

Sed quodcumque horum trium conſideretur, ſiue laus Nominis, ſiue Inuocatio, ſiue Intentio: non poteſt propterea ritè & fructuosè nominari Nomen Domini, ab eo qui fuerit in iniquitate.

Ergo diſcedat neceſſe eſt ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini, aut ne illud aſſumat; aut in vanum aſſumet; quod nefas eſt.

PRIMA propoſitio tantum eſt explicanda in ſuis terminis. SECVNDA ſic apertè declaratur per ſingulas partes. Prima eſt de laude Nominis, cuius præcipua commendatio eſt quod Saluatorem ſignificet; non qualemcumque, ſed à peccatis, ab iniquitate, & malitia. Singularis certè & eximia commendatio: ſed ſi fiat ab iniquo, ſi fiat ab homine exiſtente in peccato, & non diſcedente ab iniquitate ſua, nulla prorſus erit, aut niſi ridicula talis commendatio. Commendabit enim verbo quod ipſe facto reprobat, dicet valde laudandum Ieſum quod purget à peccato: & negabit id eſſe laudandum, cum ſuo ipſe purgari nolit.

Prou. 25. *Aufer impietatem de vultu regis*, dicebat Sapiens, ſi regem ſcilicet laudas, quod vultu ſuo indicet, quanto in odio habeat impietatem, quid tu audes inferre in eius vultum illam ipſam impietatem aut iniquitatem in qua auferenda, regem dicis eſſe laudandum? Sic apertè Pſaltes regius:

Pſ. 45. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis nomen meum per os tuum.* Denique

Eccleſ. 15. *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.*

Sic de Inuocatione auxilij, quod aliud ſequitur in propoſitione probandum. Rectè quidem per hoc ſanctum Nomen, quacumque in neceſſitate, diuinam implores opem, cùm non *ſit*

Act. 4. *aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri:* ſed nonne ſcis, Deum opem ſuam retrahere ab iniquis? An ignoras quod probè ſciuit ille Ammonites, qui ſic de Deo quem

Iudith 5. Iudæi colebant, magnificè loquebatur; *Deus illorum odit iniquitatem, perquire ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum; aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, &*

Digitized by Google

ſubiugati erunt ſub iugo potentia tua. Si vero non eſt offenſio populi huius, coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorum defendet illos.

Quod maximè patuit in electo illo viro Ioſué qui ſacri IESV nominis figuram ſuo ipſe nomine præferebat. Cum enim aliquando præter morem vidiſſet Iſraëlem terga vertentem ſuis hoſtibus, quos ſemper ipſo duce debellarant, *Mi Deus,* inquit, *quid dicam? Et quid facies magno Nomini tuo?* Tum vero Dominus, *Surge, cur jaces pronus in terra? peccauit Iſraël,* Quaſi diceret, fruſtra inuocas nomen meum, fruſtra per nomen meum tibi opem concilias: ne quid à me ſperes, quamdiu vel vnus erit inter tot millia, qui vel iniquitatem admiſerit, vel non dimiſerit. Stupendum certè exemplum, & diutius expendendum. *Ioſ. 7.*

Tertium denique quod ſpectat ad Intentionem operis noſtri, ſub hoc fœlici formandum Nomine, non tam rectè & fructuoſe formabitur, ſi nominetur in peccato Nomen, quam ſi extra peccatum pronuntiaretur. Neque enim poteſt quidquam in Nomine Domini fieri, ſi cum peccato fiat, aut ſi peccatum fiat, aut ſi fiat in lethali peccato. Quæ quia fuſius in craſtino pertractantur diſcurſu, ſatis modò ſit agnoſcere quàm vere Apoſtolus dixerit, *Diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*; Quicumque tandem ille ſit, ſiue Sacerdos, ſiue Laïcus: ſiue Religioſus, ſiue ſæcularis, ſiue Dominus, ſiue ſeruus: abſolutè atque vniuerſim denuntiatur *omnis,* nulla ſecluſa perſona, nulla prætexta cauſa, nulla prætenta neceſſitate, vel occaſione, vel conſuetudine nominandi, niſi prius diſcedat ab iniquitate, ſi quam contraxerit, niſi conteratur & doleat, niſi ſit in illa gratia quæ animam ſanctam & gratam Deo reddit, ne ſanctum hoc pronunciet Nomen, quia fruſtra pronuntiaret, fruſtra laudaret, fruſtra inuocaret, fruſtra ſe offerret: *Sanctum & terribile nomen eius,* vt non impune ſcilicet contaminetur à lingua iniqua. *Irritat aduerſarius nomen tuum in finem.* O miſeriam peccatoris, qui ſacrum nomen Ieſu non auſit tutò pronuntiare? O beatam verò neceſſitatem deponendi peccati: vt vel diſcedat neceſſe ſit à peccato, qui Nomen Ieſu nominare velit; vel niſi velit à peccato diſcedere, nefas ſibi ducat proferre Nomen Ieſu! *Pſ. 110.* *Pſ. 73.*

Digitized by Google

EODEM DIE.

DE CIRCVMCISIONE SPIRITVALI.

Circumcidimini Domino, & auferte præputia Cordium veſtrum. Ier. 4.

VERITAS PRACTICA.

Quanta eſt modo nobis obligatio ad non ſuſcipiendam Circumciſionem legalem, tanta eſt ad ſuſcipiendam ſpiritualem.

RATIO EST, *Quia tota obligatio quâ tenemur ad non ſuſcipiendam Circumciſionem legalem, petitur à lege ſeu religione Chriſtiana quæ illam modo vetat.*

Sed eâdem lege & religione Chriſtiana iubemur ſuſcipere Circumciſionem ſpiritualem.

Ergo quanta eſt vnius obligatio, tanta eſt alterius. Quod certe eſt non parui ducendum.

PRIMA propoſitio per ſe patet, & declaratur infra fuſius, Sabbato poſt Dominicam primam Epiphaniæ, vbi quàm ſimilis huic Veritati Veritas proponitur.

SECVNDA verò ſic demonſtratur; quia Circumciſio ſpiritualis, nihil aliud eſt quàm talis mortificatio interior vel exterior, qualis neceſſaria eſt ad vitandum omne peccatum, & faciendum omne bonum, à Deo tibi iuſſum. Talis autem mortificatio tam neceſſariò iuſſa eſt, quàm neceſſario eſt euitandum malũ, aut tale bonum faciendum, quod non poſſet fieri, niſi per huiuſmodi mortificationem: Vnde illa Chriſti Domini toties
Matth. 5. 18. iterata: *Si oculus tuus ſcandalizat te, ſi pes, ſi manus: erue, præſcinde, amputa,* Id eſt, ſi qua re externa aut aliquo rei affectu

impelleris ad peccatum; mortifica hunc affectum; Quod idem eſt ac circumcide, *Circumcidite præputia cordis veſtri. NOS ſumus Circumciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo*, inquit Apoſtolus; quaſi diceret, primò quidem, tam neceſſaria eſt talis Circumciſio quàm nos eſſe ſpirituales, quàm nos eſſe Chriſtianos, quàm nos ſeruire Deo. Deinde vero *Nos ſumus Circumciſio*, Id eſt, quanti quanti ſumus, omnino & non ex parte tantum, ſicut Iudæis erat Circumciſio; Nos inquam Chriſtianos, ex totis nobis, ſiue in animo, ſiue in corpore, ſic nos oportet vſquequaque eſſe circumciſos, vt vere dici poſſimus quod ſimus Circumciſio. Denique *Nos ſumus Circumciſio*, quia videlicet propter nos inſtituta erat legalis Circumciſio, noſtram ſpiritualem, illa carnalis figurabat; ac proinde cùm venit tempus ſuſcipiendæ ſpiritualis huius Circumciſionis, ceſſauit alia, ſicut tenebræ deſinunt lucente ſole. *Deut. 10.* *Phil. 3.* *Rom. 2.*

Ex quibus non modo eſt euidens, tantam huius ſpiritualis Circumciſionis eſſe obligationem poſitiuam, quanta eſt negatiua alterius, ſed ex eadem euidentia Concludendum eſt, poſitiuam illam obligationem eſſe quodammodo religioſiorem & priorem quam negatiuam. Quia finis ſemper eſt fortior illis omnibus quæ propter finem fiunt: finis autem abrogatæ legalis Circumciſionis, eſt ſpiritualis Circumciſio; Non enim idcirco præcipitur ſpiritualis Circumciſio, quia carnalis ablata eſt: ſed idcirco carnalis aufertur quia ſpiritualis adducta eſt; Neque nouum ſtatuitur Teſtamentum quia vetus abiit, ſed vetus abiit quia nouum venit. Sic expreſſè Apoſtolus: *Aufert primum vt ſequens ſtatuat*, & res figurata ſemper nobilior eſt, & magis commendata quàm quælibet eius figura; Vnde ſancti Patres & ſcripturæ Interpretes ſic Chriſtum Dominum aiunt eſſe Circumciſum vt Circumciſionem diſſolueret, & aliam maiorem oſtenderet id eſt *ſpiritualem*, inquit Epiphanius. *Hebr. 10.* *V. Barrad.*

O quantum ergo aberrant à Lege & Religione Chriſtiana Incircumciſi corde & auribus! Hoc certum habe anima vt quam verè dictum eſt de Circumciſione legali: *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit*, tam verè dicendum ſit de ſpirituali: *Niſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit.* *Gal. 5.*

Vide infra die tertio & quarto Ianuarij. Sabbato infra Hebdomadam quintam poſt Epiphaniam de Communi Martyrum. Et paſſim vbi de *Mortificatione, Intentione, & Perfectione.*

Digitized by Google

TRIDVO ſequenti, agitur de Triplici Puritate puræ Intentionis, ſeu de tribus puræ & rectæ intentionis Conditionibus, quæ ex effectis antiquæ Circumciſionis eruuntur.

Non aliter verò deinceps recenſentur dies, quàm quo numero & ordine connectuntur in decurſu menſis, vſque ad Dominicam ſecundam poſt Epiphaniam, vbi reſumetur nomen Feriæ.

De Dominica porro ante Epiphaniam occurrente, nullum eſt aliud inſtitutum officium, quàm eius diei quo tùm occurrit, ſicque vacare dicitur.

DIE II. IANVARII,
QVÆ EST OCTAVA S. STEPHANI.

DE PRIMA CONDITIONE PVRÆ INTENTIONIS, VT SIT PVRA A PECCATO; EX PRIMO ANTIQVAE CIRCVMCISIONIS EFFECTV, QVI EST PVRGATIO PECCATI ORIGINALIS.

Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda, à mala conſcientia. Hebr. 10.

VERITAS PRACTICA.

Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.

RATIO EST, Quia quod abſolutè & ſimpliciter vetatur à

Deo,

Deo, non poteſt vllo planè pretextu fieri.

Sed malum ſeu peccatum quodcumque ſit, ſimpliciter & abſolute vetatur à Deo.

Ergo non poteſt hoc pretextu fieri, vt eueniant bona. In quo tamen multi reipſa diſſentiunt.

I. PVNCTVM.

TANTI refert puram in omnibus adhibere Intentionem & rectum ſibi finem proponere, vt plures de hoc argumento inſtitui debeant Conſiderationes, ſiue ad pleniorem rei cognitionem, ſiue ad maiorem eiuſdem commendationem. Ex multis autem quæ conſiderari poſſent, ſelectæ ſunt tres Intentionis puræ Conditiones, quæ ex totidem antiquæ & Moſaïcæ Circumciſionis effectis depromuntur; Quarum prima eſt vt Intentio ſit pura ab omni peccato, ſicut olim Circumciſio excludebat peccatum. Sic S. Ambroſius. *Circumciſio*, inquit, *purgationem ſignificat delictorum.* In Luc.

Et vero dupliciter intelligi poteſt, purgationem à delicto eſſe neceſſariam puræ intentioni; Primò vt conſcientia munda ſit ab omni peccato mortali, ſitque Ille in ſtatu gratiæ ſanctificantis qui præ ſe fert puram habere intentionem, cum alioquin non ſufficeret illa intentio ad impertiendam actionibus vim & valorem æterni meriti. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt,* ait Apoſtolus. Eſt autem eadem ratio Charitatis & Gratiæ Sanctificantis, quantum ad valorem & meritum noſtrorum operum. Quo de argumento præclare & fusè ſanctus Bernardus, in illud Canticorum; *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* 1. Cor. 13. Serm. 40. Cant. 1.

Secundo, neceſſe eſt vt illud opus cui Intentio eſt præfigenda, non ſit malum ex ſe, aut vetitum; Neque enim bonus finis, aut intentio boni alicuius, poteſt id bonum facere quod eſt malum, neque id quod eſt malum poteſt bene & licite fieri, vt fiat aliquod bonum. *Blaſphemamur,* inquit Apoſtolus, *& ſicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala vt veniant bona, quorum damnatio iuſta eſt,* Id eſt, damnandus talis ſenſus. Nos Chriſtiani longe Rom. 3.

abſumus ab illa ſententia quam damnamus; Hoc enim nunquam licet quouis prætextu. Hæc eſt communis interpretatio verborum Apoſtoli, quâ nonobſtante, multi ſecus in praxi faciunt, qui non verentur mentiri, aut aliud quid mali facere, vt ſibi vel proximo benefaciant; Idcirco hæc Veritas attentius eſt conſideranda; ſtatuendumque in praxi, prorſus *Nulla vnquam eſſe facienda mala, vt eueniant bona.*

Ratio eſt facilis & efficax, quia quod abſolute & ſimpliciter vetatur à Deo, nullo plane prætextu poteſt licite fieri. Hoc eſt enim vnum & idem, abſolute vetari, & nunquam poſſe fieri. Nam ſi poſſet eſſe aliquis caſus quo contrauenire liceret, non eſſet abſolute & ſimpliciter à Deo vetitum: Iſtæ namque voces, *Abſolute & ſimpliciter*, excludunt omnem caſum & omnem epijKeiæ actum. Quod enim de humanis legibus dicitur, aliquem poſſe euenire caſum, quem non præuiderit Legiſlator, &
2. 2 q. 120. in quo æquitas poſtulet vt à verbis legis diſcedatur, non poteſt dici de Diuinis, cùm nihil euenire poſſit quod non præuiderit Deus; ac proinde quando aliquid aperte conſtat eſſe abſolute vetitum, nullus relinquitur diſpenſationi aut excuſationi locus;
Deut. 4. ſic abſolute eſt abſtinendum vt vetatur. *Non addetis*, inquit, *ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Nonne id æquum? Quid igitur contrà poſſet prætendi, niſi quod iniquum? Sic vere di-
1. Ioan. 3. ctum eſt, *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit; & peccatum eſt iniquitas.*

II. PVNCTVM.

SED malum quodlibet ſeu quodcumque peccatum, ſimpliciter & abſolute vetatur à Deo.

Non quidquid vetat Deus, ſic abſolute ſemper vetat, vt aliter Ipſo diſpenſante, vel mutante leges, non poſſit fieri; ſicut patet in lege veteri abrogata: ſed aliud eſt aliquid eſſe malum, quia
2. 2. q. 110. a. 3. ex S. Auguſt. vetitum: & aliud, eſſe vetitum quia malum. Tale eſt autem mendacium & illud malum de quo hic agitur, malum eſt intrinſecè, vt dicitur, & ex natura ſua tale, aut certe ſic ſupponitur; quo ſuppoſito affirmatur, id abſolute & ſimpliciter vetari à Deo, quia non poteſt non vetare illud Deus, ſicut non poteſt

non odiſſe. Quis enim neſcit odium quod Deus habet de malo ſeu peccato, eſſe neceſſarium, eſſe infinitum, eſſe ita immutabile, ſicut ipſius Dei natura eſt immutabilis? Nam cùm à Natura ſua, ac proinde neceſſariò amet Rectitudinem Legis æternæ, nec non Bonitatem & Perfectionem ſuam, neceſſariò etiam odit & vetat quidquid tali Rectitudini & Bonitate aduerſatur: aduerſatur autem illi omne peccatum, quia ratio peccati in eo ſita eſt, quod ſit contra legem Dei æternam, & illi Bonitati maxime repugnat, non vt forma formæ, ſed vt inordinatum & diſtortum ſuæ regulæ & menſuræ. *Leſſius de perf. diui. l. 8. c. 1.*

Sic paſſim Scripturæ omnes: *Deus illorum odit iniquitatem.* *Iudith 5.* *MVNDI ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* *Habac. 1.* *NON dicas, ille me implanauit, non enim neceſſarij ſunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. Nemini mandauit impie agere, & nemini dedit ſpatium peccandi*; *Eccleſi. 15.* Id eſt, nulla eſt perſona cui liceat, nullus locus, aut tempus quo id liceat. Hinc Tobias Filiō ſuo, *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato conſentias.* *Tob. 4.* Et in particulari, mendacium dicitur eſſe inter ea quæ Deus odit præcipue, *Prou 6.* imo & *Abominatio eſt Domino, labia mendacia.* *Ibid. 12.* Et ne quod forte excludas mendacium, *Noli inquit velle mentiri, omne mendacium.* *Eccleſ. 17.* Denique nihil eſt quod magis irritet Deum, quàm ſi quis ſibi fingat aliquod eſſe tempus, aut locū, aut caſum, in quo mentiri vel peccare liceat *Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde ſuo, non requiret.* *Pſal. 9.* O Impietatem! ô blaſphemiam! deſineret eſſe Deus, ſi non requireret. Et tamen quàm multi hoc corde dicunt!.

III. PVNCTVM.

N*VNQVAM igitur ſunt facienda mala, vt eueniant bona*; Quia nunquam quocūnque prætextu id faciendum eſt quod ſimpliciter & abſolutè eſt vetitum tanquam malum; & quod non poteſt non eſſe vetitum, ſicut non poteſt non eſſe malum. Nam bonum quod inde ſequitur, non impedit quo minùs malum ſit malum, nec proinde quo minùs ſit vetitum, nec denique quò minus ſit cauendum. *Nimis odito execrationem*, ait Sapiens, id eſt ſuprà quàm quidlibet aliud, quod te ab illius odio *Eccleſ. 12.*

Digitized by Google

reuocare poſſit. Vnde & S. Auguſtinus præclare in ſententiis, *Peccare eſt inhonorare Deum, quod non debet facere homo, etiamſi totum pereat quod non eſt Deus.* Et ne putes mendacium idcirco eſſe peccatum, quia poteſt prodeſſe, Nonne poſſunt, inquit Idem,
In Enchir. c. 22. *Et furando prodeſſe? nec ideo tale furtum quiſquam dixerit non eſſe peccatum.* *NVNQVID Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Numquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini? aut placebit ei quem celare nihil poteſt, aut decipietur vt*
Iob. 13. *homo, veſtris fraudulentiis? Ipſe vos arguet.* Sic aptiſſime Iob. Nec
lib. 1. c. 15. negligendus Author libri de Imit. Chriſti, qui hæc expreſſe habet; *Pro nulla re mundi & pro nullius hominis dilectione, aliquod malum eſt faciendum; ſed pro vtilitate tamen indigentis, opus bonum libere aliquando intermittendum eſt.*

Vide in his quantum delinquas. Et illud ſancti Hieronymi ad dirigendam intentionem tuam, & alia quæuis recte operanda
Ep. ad Celant. plurimi facito; *Aedificanti tibi ſpiritualem domum, non ſuper leuitatem arenæ, ſed ſoliditatem Petræ, Innocentiæ imprimis fundamen-*
Rom. 16. *tum ponatur.* Itemque illud Apoſtoli, *Volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.* Nempe vt bonum fiat vel non fiat, ſapienter eſt dijudicandum ex circumſtantiis: Sed ad malum euitandum, ſola ſimplicitas adſit. Quia omne malum eſt euitandum. Nullus mali delectus eſt, vbi omne malum excluditur.

Vide ferias infrà Dominicam ſecundam poſt Epiphaniam, & alias vbi de peccato, ex Indicibus.

DIE III. IANVARII.

QVÆ EST OCTAVA S. IOANNIS APOSTOLI.

DE SECVNDA CONDITIONE PVRÆ INTENTIONIS, VT STVDIVM CONTINVVM REPRIMENDAE CONCVPISCENTIAE COMPREHENDAT, QVOD IN LEGALI CIRCVMCISIONE FIGVRABATVR.

Digitized by Google

Circumcidite præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius. Deut. 10.

VERITAS PRACTICA.

Totius difficultatis de pura Intentione ſolutio, ſtudium eſt continuum reprimendæ Concupiſcentiæ.

RATIO EST, Quia tota difficultas de pura intentione verſatur circa ſufficientem voluntatis diſpoſitionem, ad hanc puritatem inducendam.

Sed ex ſtudio continuo reprimendæ Concupiſcentiæ, cognoſcitur ſufficiens voluntatis diſpoſitio ad talem effectum.

Ergo inde eſt ſolutio totius difficultatis. Ac proinde illud ſtudium continuum maximopere eſt neceſſarium.

I. PVNCTVM.

QVOD Circumciſio legalis figura eſſet Circumciſionis ſpiritualis, quæ eſt mortificatio interior ſeu ſtudium reprimendæ Concupiſcentiæ, iam dictum eſt ex Apoſtolo qui de ſe ac nobis omnibus. *Nos ſumus,* inquit, *Circumciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo;* Et alibi: *Circumciſio cordis in ſpiritu, & non litera:* Phil. 3.
Quaſi diceret, Hæc eſt vera Circumciſio, qua cordis concupiſcentiæ circumciduntur: hæc eſt ſpiritualis ad quam carnalis velut Rom. 2.
ad finem refertur: hæc eſt quæ fit per Spiritum ſanctum non iuxta literam legis Moſaicæ. Et rurſum vbi de Chriſto Domino: Col. 2.
Et eſtis, inquit, *in illo repleti, qui eſt Caput omnis principatus & poteſtatis: in quo & circumciſi eſtis Circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in Circumciſione Chriſti.* Quaſi explicaret in quo repleti eſſent, & quid eſſet, ſic repleti in Chriſto, nempe quod lex antiqua, variis præmittebat figuris, id totum ſpiritualiter adimpleri, per fidem, per Mortificationem, & alia quæ modò profitemur.

Quàm vero hæc ſpiritualis Circumciſio ſit neceſſaria puræ

intentioni viſum eſt etiam primâ die, & per ſe ſatis patet: Sed quàm neceſſario debeat eſſe continua aut eius ſaltem ſtudium & propoſitum, nunc porrò videndum eſt acuratius ex declaratione Veritatis practicæ, quà ſtatuitur totius difficultatis de pura intentione ſolutionem ex hoc continuo ſtudio reprimendæ concupiſcentiæ petendam eſſe.

Ratio hæc quæ affertur eſt valde conſideranda, Quod videlicet tota difficultas de pura intentione verſatur circa ſufficientem voluntatis noſtræ diſpoſitionem, ad hanc puritatem inducendam. Nō deſunt quidem aliæ difficultates de quibus Theologi diſputant, ſed hæc ad praxim potiſſima, imo & tota de habituali & virtuali quam vocant intentione, quid ſit neceſſe, quidue ſufficiat, ex parte noſtra, cum diuina gratia ad hoc vt recta & pura in omnibus Intentio habeatur. Cum enim Intentio primò & principaliter ſit actus voluntatis, vt expreſſe docet ſanctus
1. 2. q. 12. a. 1. Thomas, certum eſt ex vna parte, quod vt pura ſit intentio, neceſſe ſit voluntatem eſſe puram ſeu purificatam prauis illis affectibus & deſideriis quæ militant aduerſus animam, & quibus in agendo tota naturaliter occupatur, niſi eis reſiſtat. Ex alia vero parte, cùm variis & longè diuerſis modis voluntas poſſit reſiſtere vel conſentire illis motibus; nunc plenè & perfectè, nunc ſemiplenè & imperfectè; hinc fit, vt tot variis & diuerſis diſpoſitionibus ſit affecta voluntas circa Intentionem operis, quot erunt illi varij & diuerſi modi, quibus conſentiet vel reſiſtet prauis affectibus. Atque hinc demum oritur tota difficultas, quomodo cognoſcatur in tanta varietate, ſufficiens diſpoſitio voluntatis, vt
Pſ. 138. ipſa ſufficienter pura ſit, & recta intentio quam prætendit. ***Proba me Deus & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas. Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna.*** Quaſi diceret, fac me cognoſcere, quod quidem cognitu eſt difficile, & tamen vtile, an rectam in actionibus Intentionem habeam, an recte incedam ad vitam illam æternam, ad quam ſum conditus, & à qua ſi deuio, reduc me, & dirige me in viam rectam.

Sic orandum eſſet cum Dauide, vt ſimul cum illo etiam poſ-
Pſ. 84. ſis dicere: ***Audiam quid loquatur in me Dominus.***

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED ex ſtudio continuo reprimendæ Concupiſcentiæ, cognoſcitur ſufficiens voluntatis diſpoſitio ad hanc puritatem inducendam.

Primo intelligendum eſt, quid ſit continuum ſtudium reprimendæ Concupiſcentiæ, nempe voluntas efficax cum diuina gratia ſic continuo reprimendæ naturæ corruptæ ſeu naturalis eius propenſionis, vt quantum aduerti poterit, ſemper reprimatur; Et vt ſemper aduertatur, non leuis cura adhibeatur: ſingulis mane diebus propoſitum renouetur, ſæpe ad id Gratia petatur, quotidianum examen inſtituatur, & alia denique conferantur quæ indicent veram & efficacem voluntatem. Hoc eſt quod vocatur ſtudium continuum: hoc eſt quod ait Sapiens, *Eſto firmus in via Domini, & in veritate ſenſus tui.* *Eccleſ. 5.*

Secundò, agnoſcendum quomodo ex illo ſtudio cognoſcatur ſufficiens voluntatis diſpoſitio: Nempe quando verè dubitatur vtrum conſenſerit, necne, contrariis puræ Intentioni motibus, ſignũ eſt probabilius non conſenſiſſe, quamdiu ſic ſtudioſa ſicque affectá & diſpoſita fuerit voluntas; quidquid ſentiatur in appetitu, ſi tum quis certo non agnoſcit ſe aliquid voluiſſe inordinatum, certius eſt noluiſſe. *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, id eſt Concupiſcentia. Quod ſi quidem conſenſiſſe videtur, nec tamen ſatis plene aduerterit ad illos prauos motus, ſignum eſt conſenſum illum non eſſe voluntarium, quia ſcilicet ex ſtudio illo continuo, ſeu ex illa voluntate efficaci, certum eſt quod ſi aduertiſſet non conſenſiſſet, ac proinde conſenſus ille eſt veluti ſubreptitius & inuoluntarius. *Non enim quod volo bonum hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago*, ait Idem Apoſtolus. Si denique deficiat actualis intentio, & dubitetur vtrum virtualis vel habitualis ſufficienter operetur, quando in operando, de recto fine non cogitatur, credibilius eſt ex illo ſtudio, ſufficienter pure & recte operari. Nam ſic eſt affecta & diſpoſita voluntas, vt ſi aduerteret, vellet actu & reipſa ſic recte operari: Quod autem non aduertat, infirmitatis eſt humanæ potius, quam malitiæ vel vitij oppoſiti puræ intentioni. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant.*

Rom. 7. *Ibid.* *Ibid. 8.*

Quod ſi vero in aliquo defuerit illud continuum ſtudium,

plane aliter de re tota definiendum eſt : & iudicium omnino contrarium erit ferendum. Licet enim is non magis expreſſe quam alius aduertat ad illos prauos naturæ motus qui puritatem Intentionis inficiunt & impediunt, tamen credibilius eſt illis conſentire, & illos velle, quia ſcilicet non ſtudet, nec vult ſicut alius efficaciter eos reprimere: Nō idcirco ſibi ſatis inuigilat, nec eos motus quo poſſet modo cum gratia præuenit, aut ordinarie repellit: licet eos actu & voluntarie velle non videatur, quando non aduertit: cenſetur tamen & præſumitur eos velle conſequenter, quatenus voluntarie non agit quod poſſet & deberet. Cuius defectu ſequitur vt voluntas male ſibi complaceat in illis motibus;
Is. 48. quidquid dicat ad ſe excuſandum. *Ego ſcio, ait Dominus, jactantiam eius, & quod non ſit iuxta eam virtus eius; Nec iuxta quod poterat, conata eſt facere.* Vnde illud accidit, quod ex alio
Oſee 13. Propheta ſæpe memorandū venit; *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius.* Hi ſunt funiculi vanitatis in quibus trahitur iniquitas, & quaſi vinculum plauſtri, peccatum. Hæ ſunt
Iſ. 5. & 58 colligationes impietatis quæ diſſoluendæ erant. Hi ſunt faſciculi deprimentes niſi ſoluantur: hæc catena de medio tui auferenda. Vide Iſaiæ quinto & quinquageſimo octauo.

III. PVNCTVM.

T*OTIVS igitur difficultatis de pura Intentione ſolutio, tam vere ex continuo ſtudio Concupiſcentiæ reprimendæ petitur, quàm verè ex illo ſtudio cognoſcitur, ſufficiens voluntatis diſpoſitio, vt pure velit quod eſt volendum ſufficienter, vt pura ſit intentio.* Sic accommodate de vnoquoque noſtrum dici poteſt quod de Chriſto refertur, ſi cum eo vere dicimus, *Deus meus volui, & legem tuam*
Hebr. 10. *in medio cordis mei.* IN QVA VOLVNTATE SANCTIFICATI SVMVS: Vt è contra, cui deeſt talis voluntas, deſunt ei omnia.

Quod confirmatur ex iis qui aſſueuerunt iuramentis & blaſphemiis; Cum quæritur vtrum peccent, iurando & blaſphemando, quando etiam non aduertunt: Reſpondetur, quod ſi ſtudeant prauam deponere conſuetudinem & ſufficienter indicent, ſe, ſi aduerterent, nolle ita blaſphemare, tunc non peccare cùm blaſphemant non aduertentes: quia ex illa voluntate ſeu ſtudio deſueſcendi,

Digitized by Google

deſueſcendi, indicant ſe nolle quod faciunt aut quod loquuntur, ac proinde id illis non eſſe voluntarium. Quod ſi vero non ſtudeant deſueſcere, tunc eos peccare quoties male iurant aut blaſphemant, non aduertentes, quia ſic cenſentur velle conſequenter ex eo quod non ſtudeant nec laborent in contrarium, nec proinde aliter velle præſumantur. *Blaſphemantes in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem injuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes Diei delicias*, ait S. Petrus. Sic proportionate de aliis ſentiendum, vt dictum eſt; Vnde apertius patet quàm vt fuſius oſtendatur, quàm ſit neceſſarium hoc continuum ſtudium ſui reprimendi. 2. Pet. 2.

Quanta eſt enim differentia inter vitioſum, & non vitioſum: tanta dici poteſt inter ſtudioſum huius praxis, & non ſtudioſum. Hi ſunt pij vel iniqui de quibus dicitur, *Nouit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicij reſeruare cruciandos; magis autem eos qui poſt Carnem in Concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes*. At vero audi ex eodem quid ſtatuas in poſterum: *Vos autem curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam*; Et quæ plura refert ad hanc omnem curam & hoc continuum ſtudium commendandum, de quo ſic verè dictum à Kempenſi: *Secundum propoſitum noſtrum, curſus profectus noſtri; & multa diligentia opus eſt bene proficere volenti.* Ibid. 2. Pet. 1. L. 1. de Imit. Chr. c. 19.

Vide infrà, Hebdomadam quartam poſt Epiphaniam, & verbo *Intentio. Voluntas.* Et vide ne plus cogites de carpenda Veritate, quàm de vero eius fructu excerpendo.

DIE IV. IANVARII.

QVÆ EST OCTAVA SS. INNOCENTIVM.

DE TERTIA CONDITIONE PVRÆ INTENTIONIS, VT SIT VNIVERSIM IN OMNIBVS: SICVT CIRCVMCISIO LEGALIS

OBLIGABAT AD VNIVERSAM LEGEM OBSERVANDAM.

Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ Legis faciendæ. Galat. 5.

VERITAS PRACTICA.

Aut nullam vitæ partem, aut totam Deo debes.

RATIO EST, *Quia quantam vitæ partem Deo debes, Illi debes ex aliquo titulo, ſeu iuſta cauſa.*

Sed ille ipſe Titulus, eademque iuſta cauſa, iure exigit vt totam Deo vitam debeas, atque reddas.

Ergo aut nullam vitæ partem, aut totam Deo debes. Et quia nolles ei nullam vitæ partem concedere, hinc te vrgeri neceſſe eſt vt reddas totam, quam non minus debes, ac partem.

I. PVNCTVM.

L. 18. Mor. c. 13. RECTE monet S. Gregorius: *Vigilanti cura per cuncta opera, Intentio nobis noſtra penſanda eſt, vt nil temporale in his quæ agit, appetat, & totam ſe in ſoliditate æternitatis figat: ne ſi extra fundamentum actionis noſtræ fabrica ponitur, terra dehiſcente ſoluatur.* Cum autem vnum & idem ſit vniuerſim in omnibus puram intentionem habere, atque omnem vitæ partem Deo reddere, non potuit efficacius motiuum proponi ad illam vniuerſalem intentionem procurandam, quàm ſi cogitetur æque deberi, atque ipſam totam vitam, quæ non aliter Deo redditur

Coloſſ. 1. quam per puram & rectam in omnibus intentionem *Dignè, Deo per omnia placentes:* ſicut ſcribit Apoſtolus.

Vt vero liquide patefiat quàm verè tota Deo vita debeatur, quāque illi merito tota reddēda ſit, non potuit apertius declarari quam Veritate propoſita, *Aut nullam vitæ partem, aut totam Deo debes.* Quis enim nolit aliquam illi perſoluere? at ſi æque totam

Digitized by Google

debet atque partem, cur non æque totam reddat ? Neceſſaria certe reddendi conſecutio, ſi æquale eſt totius, ac partis vitæ debitum. Quàm ſit autem æquale hoc debitum, & quàm ſit certa hæc Veritas, declarat allata ratio; Quia ſcilicet ſi quam Deo partem debes, illi iure debes, ex aliquo Titulo, ſeu iuſta quapiam cauſa, nempe quod ſit Creator, & Dominus noſter, quod Principium & Finis, quod Redemptor, quod Iuſtificator, quod Glorificator; Et ſi qui ſint alij Tituli, ſi quæ iura & cauſæ: Nonne agnoſcis ex horum omnium aliquo, vel ex omnibus te iure illi debere aliquam vitæ partem ? *Nunquid non Ipſe eſt Pater tuus qui poſſedit te, & fecit & creauit te? At nunquid Filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum ſuum? An ſubtractionis Filius eſſe velles in perditionem animæ?* Dices ergo libenter, *O Domine, quia ego ſeruus tuus, Ego ſeruus tuus, & Filius ancillæ tuæ.* Mirum ſanè quod vix vllus ſit cui talis deſit affectus: & vix vllus tamen, cui nō deſit effectus.

Deut. 32. Mal. 1. Hebr. 10. Pſ. 115.

II. PVNCTVM.

SED ille ipſe Titulus eademque iuſta cauſa, eodem iure exigit, vt totam Deo vitam debeas atque reddas.

Percurre quos voles ex omnibus, nullus vnus eſt, ex quo non conuincaris te totum, omnino totum, & non ex parte, ad Illum ſpectare, à quo habes vt ſis, vt ſis redemptus, vt ſis iuſtificatus, & aliquando glorificandus. *Totum quod es illi debes, à quo totum habes, illi præcipue Domino qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi miniſtrat ſyderum curſus, aeris temperiem.* Et quæ plura refert S. Bernardus. Et certe poſſeſne tibi aliud perſuadere ? poſſeſne de Deo tam abiectè ſentire: aut de te tam magnifice: vt quantus quantus eſt Deus, te toto non eſſet dignus, ſed parte tantum aliqua ? Tu quis es ? quem teipſum facis ? Qualis qualiſcumque ſis, an aliquam tui partem à te, vel ad te factam putas ? An decertare velles cum Deo, de principio & fine tui ? An ex parte tantum putas dici, quod *in Ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus?*

Serm. de quadr. debito. Act. 17.

Quid præterea ! Sanguis ille diuinus, diuina illa Vita pro te fuſa non eſſet ſatis digna, non ſatis ampli meriti vt totam vitam tuam promereretur, ſed partem tantum aliquam ? O te vecordem ſi hoc putes ! Et vbi vox Apoſtoli, *Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio magno!* Vide in die Paraſceues. Quid denique de illa æterna Beatitudine quam promittit, cogitabis ? Quod pones

1. Cor. 6.

Digitized by Google

ei pretium, quanti putabis illam valere ? an dimidia, vel aliqua tui ſolùm parte? Quàm longè aliter ſentiebat Ille Martyr de quo S. Auguſtinus; *Qui huius beatiſſimæ æternitatis contemplatione nullum vitabat periculum, nullum horrebat ſupplicium, & ſi millies poſſet mori, non putabat ſe hanc dignè poſſe aliqua ratione promereri.* Rectene ille ? rectene tu ſi contrà ſentias!

Serm. 44. de SS.

III. PVNCTVM.

A*VT nullam igitur vitæ partem, aut totam Deo debes*; Quia quo titulo, quo iure, quaue ratione debes partem, debes totum; vnde aut neges omnino neceſſe eſt te Illi debere aliquid, aut fatearis te debere totum. Cur enim aliquid ? Loquere, dic cur debes aliquid? An verò præciſe hoc ſolum debes, nec amplius? Reſponde, ſi audes; Et adde, cur illam potius vitæ partem quam reddis, debere te agnoſcis, quàm illam quæ à te ſubtrahitur? Quid! quod Illa quam ſubtrahis, illa pro certo eſt, quam magis vellet Deus, nam illa eſt quam cariorem habes, & in qua magis poſſes oſtendere quanti præ te Illum ducas. Denique, an te putas diuino diuinæ Dilectionis præcepto teneri ? At quale eſt illud præceptum, niſi *ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima tua, ex totis viribus, ex tota virtute, & ex tota fortitudine tua?* Poteſtne intelligi pars aliqua non comprehenſa vbi toties TOTVM repetitur?

Deut. 6. Math. 21. Luc. 10.

Ac tandem, vt videas te, ne quidem vllam partem reddere, ſi non reddis totam: nihil reddis Deo, ſi Deus non acceptat quod reddis. Expende hoc accuratè, ſi Deum non inuenis in ea parte qua Illum quæris, vbi tandem eum inuenies, & quid tandem illi reddes? Audi verò beatum Iob: *Si ad Orientem iero, non apparet; ſi ad Occidentem, non intelligam eum: ſi ad ſiniſtram, quid agam, non apprehendam eum: ſi me vertam ad dexteram, non videbo Illum.* Nonne eſt mirum quomodo ſic nullibi reperiatur Deus, cum vbique ſit? Sed apte ad rem noſtram reſpondet S. Gregorius. *Creator quippe omnium in parte non eſt, quia vbique eſt: & tunc minus inuenitur, quando is qui totus vbique eſt, in parte quæritur.* Quaſi diceret, ſi in aliqua vitæ tuæ parte, ſi in aliqua tantum actione eum quæris, & non in omnibus: non illum reperis, quia vult in omnibus quæri. *Ibo ad optimates,* aiebat Propheta, *& Loquar eis, ipſi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei ſui, & ecce magis hi*

Iob. 23. Lib. 16. Mor. c. 15. Ier. 5.

Digitized by Google

ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula. Cum enim ſcirent quod placeret Deo, & facerent in aliquibus: diſplicebat maxime Deo quod non in omnibus, quaſi non ita mereretur vt vniuerſim in omnibus ſicut in parte coleretur: Quod certe illi eſt valde probroſum. *Eſto itaque vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant, non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Chriſtus eſt qui tibi loquitur. Nec verbis illi reſpondendum, ſed operibus, quæ niſi plena ſint plenitudine quam vocant extenſiua & intenſiua, nihil reſpondent. Apoc 3.

DIE V. IANVARII,

QVÆ EST VIGILIA EPIPHANIÆ.

DE STELLÀ TRIBVS MAGIS APPARENTE, DEQVE HORVM ADVENTV IN CIVITATEM IERVSALEM.

Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Math. 2.

VERITAS PRACTICA.

Dum lucet, ambulandum: ne tenebræ fiant.

RATIO quæ declarat tenebras fieri, ſi dum lucet, non ambules, concludit etiam, tibi dum lucet, eſſe ambulandum. Cum enim tenebras fieri tam aperte damnoſum ſit & cauendum: ſatis eſſe videtur ad hanc cautelam perſuadendã, ſi agnoſcas fieri tenebras.

Sic autem Ratio *ſuadet, Quia ſi dum lucet non ambulas, abuteris Lumine.*

Sed ſi abuteris lumine, eo priuaris, & fiunt tenebræ.

Ergo dum lucet ambulandum, ne tenebræ fiant.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

Num. 24. POSTQVAM ex hiſtoria Euangelica conſideraueris ſtellam illam inſolitam, quæ vt olim Propheta Balaam prædixerat, apparuit tribus Magis, aut Regibus qui erant huius Prophetæ ſucceſſores: Ac deinde eorum in vrbem introitum, totiuſque Ciuitatis cum Herode perturbato commotionem, attenta mente peruolueris: Contemplare quàm diuerſo ſe gerant modo, Magi & Iudæi: & vtroque quàm miro & ſtupendo.

Ecce Magi viſa ſtella quæ indicat nouum Regem Iudæorum natum, ſeſe ſtatim dant viæ ad illum adorandum, nullas itineris difficultates metuunt, nulla Ciuitatum horrent pericula: inquirunt palàm, vbi nam ſit ille natus, neque ab inquirendo ceſſant donec eum inuenerint. Iudæi vero quorum magis intererat ſcire & videre ſuum Regem, vix ſuo ſe propterea mouent loco, vix vllo tanguntur eius viſendi motu. O pauenda Dei iudicia! Vt *Ioan. 12.* illi feruent! vt iſti frigent! Quàm vere Chriſtus Dominus, *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant!* Dum enim Magi ambulant in luce ſua, ſic merentur videre Chriſtum & maiori gratiarum lumine colluſtrari. Dum vero Iudæi negligunt aut differunt eo vti Lumine, quo Chriſtum noſſe poterant, ſic illo tandem priuantur & obtenebreſcunt in ſua perfidia, vt vix poſt vnquam, Chriſtum cognouerint.

Sic plane nobiſcum agitur. Sic plane nobis, *Dum lucet ambulandum, ne tenebræ fiant.* Quod vt declaretur euidentius, ſic procedit Ratio. Niſi fideliter ambules in eo quod tibi lucet Lumine, illo abuteris. Sicut enim ambulare in lumine, nihil eſt aliud quàm eo bene vti, quàm eò tendere quò te Lumen vocat, quàm id efficere quod declarat & innuit tibi faciendum: ſic prorſus nihil horum moliri, nihil efficere, nec conari: abuſus eſt luminis, quia tùm fruſtra tibi lucet quando non id agis propter quod lu- *Prou. 21.* cet: Vnde eſt illud Sapientis, *Lucerna impiorum, peccatum.*

O quoties tibi ſic fruſtra, & quam pauendum! Numquamne *Iudic. 5.* hoc legiſti ex Debboræ Cantico: *De Cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Manent ſcilicet in ordine & curſu ſuo ſtellæ, & Lumina quæ tibi hactenus fruſtra illuxerunt, vt appareat quoties illis

abuſus fueris, & confundaris. Sic in Apocalypſi, *Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua:* Id eſt, qui repræſentat gratias & lumina, quibus illi abuſi ſunt ad quos Chriſti ſermo dirigitur. Audi quid dicat, audi quid exprobret, & minetur. *Apoc. 2.*

II. PVNCTVM.

SED *ſi abuteris lumine, eo priuaris, & fiunt tenebræ.* *Fiat*, inquit Propheta Regius, *via illorum tenebræ & Lubricum. Nam*, vt ait S. Auguſtinus, *Illa eſt pœna peccati iuſtiſſima, vt amittat vnuſquiſque illud quo bene vti noluit, cum ſine difficultate poſſet, ſi vellet: vt qui ſciens rectè non facit, omittat ſcire quod rectum eſt.* Hinc eſt illud celebre Iob: *Ipſi fuerunt rebelles Lumini, neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas eius. QVI enim prius ſciendo rebelles ſunt*, inquit S. Gregorius, *poſtmodum cæcantur vt neſciant.* Idcirco ille ipſe qui tenet ſeptem ſtellas in manu ſua, *mouebo*, inquit, *candelabrum tuum de Loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Denique quid clarius, quam quod ait Dominus, *Vide ne Lumen quod in te eſt, tenebræ ſint.* *Pſ. 34.* *Lib. de lib arb.* *Iob. 24.* *L. 1. Mor. c. 26.* *Apoc. 2.* *Luc 11.*

Et certe ſi Apoſtolus Gentiles ait punitos eſſe & priuatos lumine rationis, quia eo abuſi fuerant; quantò tu magis eâ pœnâ dignus es qui ſanctiori lumine abuſus fueris: *Obſcuratum eſt*, inquit, *inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*; Vnde porro? *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis.* Et paulo poſt, *Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt; QVIA enim glorificare noluerunt quem cognouerant, reprobo ſenſui traditi, ad hoc relicti ſunt, vt neſcirent iam penſare mala quæ faciebant.* Sic ſanctus Gregorius: Vnde agnoſces quod niſi videas quantum in hoc peccaueris, iam forte cœcitas, pœna eſt peccati tui: & verè poſſis dicere, *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, vt viderem.* *Rom. 1.* *Pſ. 39.*

III. PVNCTVM.

DVM *lucet igitur, ambulandum; ne tenebræ fiant*; Quia ſi abuteris lumine, lumen tranſit in tenebras; & niſi dum lucet ambules, tam vere tunc luce abuteris, quàm vere diceceris

recte & fideliter ea vti, ſi ambulares dum lucet. Nam ſic ambulare nihil eſt aliud quam fideliter, ſincerè, religioſe, & prout noſti quæque eſſe digerenda, ſic digerere & exequi, nihil vt per
Rom 13. negligentiam, & incuriam omittatur. ***Sicut in die honeſtè ambule-***
Ephes. 5. ***mus; Vt filij Lucis ambulate. Fructus autem lucis eſt in omni bonitate & Iuſtitia, & veritate, probantes quid ſit beneplacitum Deo.*** Sic enim fiet, vt non modo fatales illæ tenebræ euitentur, ſed contrà po-
Prou. 4. tius iam acceptum Lumen in dies augeatur, ***Procedat & creſcat vſque ad perfectam diem,*** vt ait Sapiens; Vel vt Propheta, ***Erit lux***
Iſ. 30. ***lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum.*** Neque vnquam vt ait S. Auguſtinus, ***Sol ille faciet à te***
2. Tim. 2. ***occaſum, niſi prius ab eo feceris caſum. ILLE fidelis permanet, negare ſcipſum non poteſt,*** inquit Apoſtolus: Imo & ipſe Dominus:
Luc. 9. ***Omni habenti dabitur: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.***

Vbi duplex motiuũ proponitur fidelitatis ſeruandæ, vnum ne Lumen decreſcat: & aliud, vt accreſcat; Sicut enim male vtenti
Eccleſi. 23. decreſcit; ita & bene vtenti accreſcit. ***Domine Pater & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me, ne adincreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea.***

Vide tu etiam ne derelinquas Dominum, & ne tibi plus nimio fidas, ac palpes.

Digitized by Google

DIE VI. IANVARII.

IN EPIPHANIA DOMINI.

DE CHRISTO REGE A MAGIS ADORATO, CVM OBLATIS MVNERIBVS.

Et intrantes domum, inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt Eum; & apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Math. 2.

VERITAS PRACTICA.

Non niſi tribus oblatis Concupiſcentiis, Rex Chriſtus, re agnoſcitur.

RATIO EST, Quia Rex Chriſtus re non agnoſcitur, niſi reipſa te illi regendum præbeas.

Sed non niſi tribus oblatis Concupiſcentijs, reipſa te illi regendum præbes.

Ergo nec aliter Rex Chriſtus re agnoſcitur. Quod certe eſt imprimis agnoſcendum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

SIC pergit Euangeliſta de Magis: *Qui cum audiſſent Regem, abierunt; Et ecce ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos vſque dum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer. Videntes autem ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius; Et quæ ſupra habentur.* Sigillatim eſſent omnia expendenda. Si viſa ſtella tantum fuit gaudium, quale putandum eſt, inuento Puero! qualis ſtupor, eo viſo! qualis fides, eo adorato! qualis deuotio, eo munerato tribus illis myſticis donis quæ referuntur! His te adiunge, primis ex Gentilibus Regis Chriſti adoratoribus, vt ſimul cum illis Regem tuum agnoſcas, ſimul cum illis fidei iuramentum præſtes, aut renoues, ac denique ſimul cum illis tua munera offeras. Sic apte ſanctus Leo: *Agnoſcamus in Magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ fideique primitias*; Et poſt pauca: *Ac ſicut illi de theſauris ſuis myſticas Domino munerum ſpecies obtulerunt, ita & nos de cordibus noſtris, quæ Deo ſunt digna, promamus.*

Serm. 2. de Epiph.

Sunt quidem multa quæ pro deuotione poſſis offerre, ſed ex obligatione ſeu neceſſitate, tres ſunt illi Concupiſcentiæ offerendæ, quæ tribus Magorum muneribus deſignantur; *Auro* videlicet Concupiſcentia oculorum, ſeu rerum habendarum cupiditas. *Thure* Concupiſcentia ſuperbiæ, ſeu honorum mundi. Ac denique *Myrrha*, Concupiſcentia carnis ſeu voluptatum. Dicitur porro eſſe obligatio ſeu neceſſitas huius triplicis Concupiſcentiæ offerendæ, quia, vt habet veritas valde conſideranda, *Nonniſi tribus his oblatis Concupiſcentiis, Rex Chriſtus re agnoſcitur.* Nihil etiam gratius, nihil nobilius & ditius offeres, quia cum Chriſtus, Rex ſit cordium, non aliter regnat in cordibus, quam ſi hæ tres offerantur & ſummittantur ei Concupiſcentiæ.

Ratio eſt manifeſta quæ id demonſtrat, nam vt regnet in cordibus noſtris, vtque reipſa Rex agnoſcatur, nos illi totos regendos ſinere, & omnem in partem ducendos vltro præſtare debemus. Dixerunt ſerui Regis Dauid ad eum, inquit Scriptura: *Omnia quæcumque præceperit Dominus noſter Rex, libenter exequemur ſerui tui.* Hoc ipſum eſt dicendum & præſtandum Regi

2. Reg. 15.

Digitized by Google

Chriſto qui vult ſeruos voluntarios & ſubditos ſibi libenter addictos. ***Rex regum eſt & Dominus dominantium,*** etiam inuitis & Apoc. 19.
renitentibus nobis, Venietque tempus quo qui dixerunt, *Nolumus hunc regnare ſuper nos,* illud audient, quod eſt in parabola, Luc. 19.
verumtamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare ſuper ſe adducite huc, & interficite ante me. Sed interea niſi nos illi finamus regendos, nos ille nobis ſinet; nec reipſa Rex noſter erit, quia reipſa non nos reget. Non enim aliter reipſa Rex noſter eſt, quàm ſi nos vere regat, neque reuera nos aliter regit, quam ſi nos ei regendos permiſerimus. Hinc pſaltes Regius, *Virga directionis* Pſ. 44.
virga regni tui; Quaſi diceret, quantum eſt directionis exercitium, tantum eſt regnum: ſeu clarius, tantum re & actu regnat in nobis, quantum re & actu regit & dirigit, vnde ſi tolleres eius directionem, tolleres eius regnum, & ex illis eſſes de quibus conqueritur; ***Me abiecerunt, ne regnem ſuper eos.*** Velles ne id 1. Reg. 8.
tibi dici?

II. PVNCTVM.

S*ED non niſi tribus oblatis Concupiſcentiis, reipſa te illi regendum præbes.*

Nam quid eſt te illi regendum dare, niſi te tuaque omnia ſic illi ſubjicere, vt quicquid prorſus extra vel intra, in animo vel in corpore, proſperum vel aduerſum de te ſtatuerit, & ordinarit, ſic æquum bonum ducas, & tam libenter acceptes quam qui dicebat, ***Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.*** At 1. Reg. 3.
quomodo ſic te illi vniuerſim in omnibus ſubjicies, niſi his oblatis & ſublatis Concupiſcentiis, quæ tam directe opponuntur huic diuinæ ſubiectioni, quàm caro ſpiritui, quàm appetitus Rationi, natura gratiæ, & vetus Adam illi Homini nouo, ***Qui*** Epheſ. 4.
ſecundum Deum creatus eſt in Iuſtitia & ſanctitate veritatis? HAEC enim ſibi inuicem aduerſantur, inquit Apoſtolus, ***vt non quæcunque vultis, illa faciatis,*** niſi eorum vnum alteri ſubmittatur; Quod Galat. 5.
egregia ſimilitudine paulo ante idem Apoſtolus repreſentarat, cum de Iſmaële perſequente Iſaacum diceret, ***Quomodo tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum*** Ibid. 4.
ſpiritum, ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Id eſt

Digitized by Google

Ibid. 5. ſic neceſſario reprimenda eſt caro cum Concupiſcentiis, vt regnet Chriſtus; ***Nam qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.***

Math. 22. Hoc manifeſte patuit in illis inuitatis ad Nuptias Regias, aut ad cœnam magnam, qui omnes noluerunt venire. Cur porro? *Luc. 14.* quia videlicet vnus villam emerat, alius quinque iuga boum, & alius vxorem duxerat, quæ tria impedimenta tres complectuntur Concupiſcentias, inquit S. Auguſtinus, *De Verb. Domini.* quæ ſolent homines auocare à Chriſto Rege, quocumque eos vocet. At quæſo te, ſi inuitatos ad cœnam & ad nuptias, concupiſcentiæ retinent, quomodo putas retinebunt inuitatos ad ferendas iniurias, iacturam bonorum omnium, & alia quæuis aduerſa, quibus tolerandis paratos eſſe oportet eos qui ſe regendos Chriſto præbent? ***Quomodo in omnibus exhibebunt ſemeptipſos ſicut Chriſti miniſtros*** *2. Cor. 6.* ***in multa patientia, per arma iuſtitiæ, à dextris & à ſiniſtris, per gloriã & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam,*** niſi eas ſubiecerint Concupiſcentias, quæ dextra ſemper quærunt, nunquam autem ſiniſtra?

III. PVNCTVM.

NONNISI ***ergo tribus oblatis Concupiſcentiis, Rex Chriſtus re & facto agnoſcitur:*** Quia non aliter reuera in nobis regnat quam nos regendo & ducendo quò ipſe velit, neque nos aliter regit & quò vult ducit, niſi ſubjiciantur ei Concupiſcentiæ, quæ nos inde tam certo auocant, quàm ipſe dæmon reuocat, qui niſi *Rom. 6.* per ipſas Concupiſcentias in nobis Chriſto repugnat. ***Hæc ſunt videlicet arma iniquitatis peccato, in quibus confidit fortis armatus cu-*** *Luc. 11.* ***ſtodiens atrium ſuum,*** qui à fortiori ſuperueniente victus eſt, & à quo illa ſublata ſunt arma, vt eſt in parabola Euangelica. Quæ certe conſideratio plurimum valere poteſt ad hanc perfectam triplicis concupiſcentiæ oblationem, cum niſi eam Chriſto perfecte offeras & ſubmittas, non modo non eum Regem habes, ſed quod horrendum eſt dictu, illum tibi facis Regem qui Rex *Iob 41.* ***eſt ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ, qui princeps huius mundi, & re-*** *Epheſ. 6.* ***ctor harum tenebrarum propterea dicitur,*** quia regnat in nobis per Concupiſcentias, quæ faciunt tenebroſum hunc mundum, vt *1. Ioa. 2.* expreſſe affirmat S. Ioannes.

Ioan. 18. Econtra vero Dominus, ***Regnum meum non eſt de hoc mundo;***

Digitized by Google

Non dicit, non eſt in hoc mũdo, inquit S. Auguſtinus. *ſed nõ eſt de hoc mundo, de mundo enim eſt quidquid ex Adam vitiata ſtirpe generatur: factum eſt autem non iam de mundo quidquid inde in Chriſto eſt regeneratum, vnde Apoſtolus, eripuit nos de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Cum itaque vnum & idem ſit, eſſe de mundo, & ſecundum Concupiſcentias viuere; Quàm vere regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, tam vere non regnat in nobis, niſi repreſſis concupiſcentiis. Coloſſ. 1.

O fortem & amabilem reprimendæ concupiſcentiæ neceſſitatem, qua compellor aut negare Chriſtum Regem, aut omnem illi ſubjicere Concupiſcentiam! Quid hic ſtatuas anime? quid deliberes? quid proponas? Audi ſanctum Bernardum ad illa verba, *Et regnabit in domo Iacob in æternum; QVIS ex nobis eſt qui iuxta interpretatione nominis, Iacob, ſupplantet diabolum de corde ſuo, luctetur cum vitiis & Concupiſcentiis ſuis, vt non regnet peccatum in ſuo mortali corpore, ſed regnet in eo Ieſus, & nunc quidem per gratiam, & in æternum per gloriam? Beati in quibus Ieſus regnabit in æternum, quia & ipſi cum eo regnabunt.* Et paucis interiectis, *Veni interim Domine Ieſu, aufer ſcandala de tuo regno, quod eſt anima mea, vt regnes tu qui debes in ea. Venit enim auaritia, & vendicat in me ſedem: Iactantia cupit dominari mihi: ſuperbia vult mihi eſſe Rex: Luxuria dicit, ego regnabo; ambitio, detractio, inuidia, iracundia certant in me ipſo, de me ipſo, cuius ego potiſſimum eſſe videar. Ego autem quantùm valeo, reſiſto: renitor quantum iuuor. Dominum meum Ieſum reclamo; ipſi me defendo, quia ipſius me iuris agnoſco: Ipſum mihi Deum, ipſum mihi Dominum teneo & dico, Non habeo regem niſi Dominum Ieſum. Veni ergo Domine, diſperge illos in virtute tua; & regnabis in me, quia tu es ipſe Rex meus, & Deus meus qui mandas ſalutes Iacob.* Hom. 4. ſuper Miſſus eſt.

Vide infrà, Hebdomadam vigeſimam quartam poſt Pentecoſten, & Verbo, *Affectus, Chriſtus, Concupiſcentia.*

EODEM DIE.

ALIA VERITAS PRÆCEDENTI CONNEXA.

Non à magno regno, Rex magnus, Chriſtus ita eſt.

Digitized by Google

prædicandus, quàm à magno Rege, magnum eius regnum.

RATIO EST, Quia quod eſt dignitate & merito maius ac dignius, non tam prædicatur ab eo quod eſt minus & inferius, quàm hoc minus à majori.

Sed quantumcunque ſit magnum Chriſti regnum, Chriſtus eſt eo major & dignior.

Ergo non à magno regno Rex magnus, Chriſtus ita eſt prædicandus, quàm ab illo magno Rege, magnum eius regnum eſt dicendum: vnde illud etiam ad vberiorem praxim intelligitur, quàm ſit magnum & opportunum à tali Rege regi.

PRIMA propoſitio plana eſt, & facile demonſtrabilis per vniuerſa ea corpora quę ex partibus heterogeneis, atque inter ſe differentibus componuntur. Non tam aurum à plumbo, vel à quouis metallo cui permiſcetur, dignitatem & commendationem haurit, quàm ab auro plumbum. Non tam à conchyli vnio, ſeu margaritum, quā à margarito conchyle commendabitur. Exornet animum qualecumque corpus, longe tamen ab animo, magis corpus exornatur: & quæcumque inſint in animis noſtris naturalia, ſeu acquiſita bona; multo tamen amplius animi ab infuſis & ſupernaturalibus donis illuſtrantur quàm ab humanis & naturalibus. *Timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.* Eccleſi. 25.

SECVNDA vero propoſitio non eſt minus certa Chriſtiano, qui de regno Chriſti quantumuis magnum ſentiat, totum illud tamen eſſe creatum & finitum credit, ac proinde cum Chriſto Creatore & infiniti meriti, nulla ex parte conferendum. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui?* Exodi 15.

Ad majorem tamen declarationem, tria poſſent hic pertractari. Primum, quo iure Chriſtus ſit Rex. Deinde, quodnam & quale ſit eius regnum. Tertio denique, qualis & quam magnus Rex ipſe ſit.

De primo, quinque reperiuntur iura, ſeu modi legitimi quorum vno vel altero Reges fiunt: ex quibus vniuerſim omnibus,

Digitized by Google

Rex Chriſtus factus eſt. Primò, Fundatione ſeu Inſtitutione, ſicut Romulus Rex Romanorum, Pharamundus Rex Francorum, & alij primi quique quarumcumque nationum Reges. Sic Chriſtus regni ſui primus eſt Inſtitutor & Fundator, iuxta illud Apoſtoli: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS.* Licet Petrus & alij Apoſtoli dicantur fundamentum, ſed non quale eſt Chriſtus, qui ſeipſo conſiſtit, & omnia ſuſtinet. *Fundamentum eſt primum & maximum*, inquit ſanctus Auguſtinus, *quemadmodum dicitur ſanctus ſanctorum, ſic fundamentum fundamentorum.* 1. Cor. 3. In Pſ. 86.

Secundò, Succeſſione legitima, quæ quidem juris ratio ſic pugnat cum præcedenti, vt nullus propriè poſſit eſſe fundator & ſucceſſor regni. Nam ſi primus eſt, non eſt ſucceſſor: ſi ſucceſſor eſt, non eſt primus nec fundator; Sed in Chriſto Domino, duo illa ſimul tam aptè conueniunt, vt non minus ſit ſucceſſor quàm fundator. Succeſſor eſt veteris illius regni, quo Deus Iudæos ſibi ſingulariter ſubditos regebat, & ſanctis Legibus temperabat, de quo ipſe Dominus: *Auferetur à vobis regnum Dei:* Et Dauid in eius perſona, *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius:* Qualecumque illud eſſet ſpirituale regnum Iudæorum, ad Chriſtum tranſlatum eſt, ſicut Sacerdotium, & quæ vniuerſim de Synagoga, & veteri Teſtamento, conuerſa ſunt in nouam Gratiæ Legem & Eccleſiam, quæ eſt illud regnum de quo tam ſæpe Chriſtus in Euangelio, ſub diuerſis Parabolis. *Tranſlati in regnũ Filij dilectionis ſuæ.* Math. 21. Pſ. 2. Coloſſ. 1.

Tertiò, Acquiſitione, cùm quis iuſto bello aut alio ex iure gentium, recepto titulo, ſibi regnum acquirit; Sic Chriſtus ſua morte debellans, vel vt ait Apoſtolus, *Expolians principatus & Poteſtates, palàm triumphans illos in ſemetipſo*, Regnum hoc acquiſiuit, ſicut Idem Apoſtolus: *Vos*, inquit, *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Sic & dicitur, *Factus principatus ſuper humerum eius:* geſtando ſcilicet Crucem, ſui Principatus inſigne. Coloſſ. 2. Act. 2. Iſ. 9.

Quartò, Donatione Dei, ſicut Saul, Dauid, Ieroboam & alij, ſic de Chriſto dicitur, *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*: non eo quidem modo quo regnauit Dauid, ſed alio ſpirituali & excellentiori, cuius typus & figura quædam fuit thronus Dauid, & domus Iacob. Da- Luc. 1.

Digitized by Google

tum eſt autem Chriſto regnum, in ipſa vnione hypoſtatica; tunc conſecratus & vnctus eſt in Regem & Sacerdotem, non materiali vnctione, ſed illo lætitiæ ſeu Diuinitatis oleo, de quo eſt in Pſalmo, celebre illud, *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Pſ. 44. Heb. 1.

Quintò & poſtremò, Electione, cùm populus vnanimi conſenſu, ſibi aliquem in Regem eligit. Sic Chriſtum Dominum Chriſtiani omnes, hoc ipſo quo ſunt baptiſati & profeſſi eius fidem, Eum in ſuum Regem & Dominum eligunt. *Dominus Iudex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos.* Iſ. 33. Nonne id profiteris?

IAM verò quodnam eſt & quale illius regnum? Duo ſunt diſtincta quæ quæruntur. Primum eſt, an regnum eius ſit temporale, vel ſpirituale. Diſputatur à pleriſque, in vtramque partem: ſed communior & verior ſententia eſt, eſſe tantum ſpirituale, prout ipſe Dominus dixit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo,* Ioan. 18. quod explicans ſanctus Auguſtinus: *Quod eſt,* inquit, *regnum eius niſi credentes in eum quibus dicitur, de mundo non eſtis, ſicut & Ego non ſum de mundo, quamuis eos vellet eſſe in mundo, propter quod de eis dixit ad Patrem: Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo: vnde & hîc non ait, regnum meum non eſt in hoc mundo, ſed non eſt de hoc mundo.* Tract. 50. in Ioan. Itemque alibi. *Non Rex Iſraël Chriſtus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hoſteſque viſibiliter debellandos; ſed Rex Iſrael, quod mentes regat, quod in æternum conſulat, quod in regnum cælorum credentes, ſperantes, amanteſque perducat.* Sic ſanctus Fulgentius; *Quid turbaris Herodes, Rex iſte qui natus eſt, non venit Reges pugnando ſuperare, ſed moriendo mirabiliter ſubjugare. Nec ideo natus eſt vt tibi ſuccedat, ſed vt in Eum mundus fideliter credat.* Serm. 5 de Epiph. Sanctus denique Thomas poſt allatum Scripturæ locum, *Ex quo,* inquit, *apparet quod Dominium Chriſti ordinatur ad ſalutem animæ, & ad ſpiritualia bona, licet à temporalibus non excludatur, eo modo quo ad ſpiritualia ordinantur.* Opuſc. de regim. princ. c. 23.

ALTERVM autem quod in ſecundo hoc puncto quæritur, eſt, qualenam ſit eius regnum, quænam ſint eius qualitates quas vocant, quænam regni præcipua capita, vnde magnum, & cæteris præſtantius terræ regnis, dici poſſit.

Quinque referuntur, quò alia reuocari poſſint. Primum eſt, ipſa

Digitized by Google

ipſa regni natura ſeu regendi ratio quæ tota eſt ſpiritualis, tota eſt Animarum, tota Cordium, tota interior & ſupernaturalis qualem in terra nullam videas ſimilem. Licet enim totus homo ſit Chriſti, qui de ipſo ſtatuat prout velit, quia tamen prima & antecedens eius voluntas eſt, vt animos ad ſe trahat & corda ſibi deuinciat, ibi potiſſimum regnare dicitur, vbi amor regnat, Quod genus regnandi & regendi eſt præcipuum, ſublime, auguſtum, cœleſte, & Diuinum; *O fælix hominum genus, ſi veſtros animos amor, quo cælum regitur, regat.* *Boetius l. 2. metro. 8.*

Secundum eſt regni amplitudo, eſt enim omnium non tantum hominum, ſed & Angelorum & Dæmonum, licet diuerſo modo. Sic enim exaltatus dicitur Dominus vt *in Nomine eius*, id eſt, ad eius imperium, *Omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & Inferorum*, id eſt, omnes Ei Creaturæ ſubijciantur & pareant. *Phil. 2.*

Tertium eſt libertas, nobilitas, opulentia & beatitudo ſubditorum huius regni; Sunt enim ipſi omnes Reges, *Omnes Filij Dei, omnes eius hæredes, & cohæredes Chriſti*; Quid nobilius, quid beatius. *Non timet ille habere conſortes*, inquit ſanctus Auguſtinus, *quia eius hæreditas non fit anguſta, ſi multi eam poſſederint.* *Rom. 8.*

Quartum, pax & ſecuritas ex hac etiam vita; hoc enim ſingulariter de hoc regno dicitur, *quod ſit pax & gaudium in Spiritu ſancto*, id eſt, ſpirituale, verum & ſolidum gaudium, quod ſicut non eſt à mundo, ita nec mundus auferre poteſt. *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* *Rom. 14.* *Ioan. 16.*

Quintum eſt regni firmitas atque æternitas, hoc eſt enim regnum de quo Propheta Daniel, *Quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum. Et regni eius non erit finis.* *Dan. 2.* *Luc. 1.*

HÆC certe magna ſunt & ſingularia, hæc ſunt vnde magnum & ſingulare regnum Chriſti, merito dici debeat & glorioſe prædicari. Sed Rex ipſe Chriſtus Dominus tanto interuallo ſuperat illam omnem ſui regni magnitudinem & ſingularitatem, quanto Creator creaturam.

Quinque ſunt Eius etiam excellentiæ & perfectiones regiæ, quæ ſunt ita notæ cunctis, vt eas vel appellare ſufficiat.

Prima eſt, Sanctitas de qua expreſſe apud Danielem, *Donec*

Digitized by Google

Dan. 9. *vngatur Sanctus Sanctorum.* Quantùm verò Regi conferat ad Ipſius cultum & obſeruantiam, nemo neſcit.

Secunda eſt, Sapientia quæ dirigendo regno imprimis eſt neceſſaria, vnde & diſertè dicitur, *Regnabit Rex & Sapiens erit, &* Ier. 23. *faciet iudicium & iuſtitiam in terra.*

Tertia eſt, Iuſtitia ſiue æquitas, nulli vt vmquam injuriam faciat, nullum violente cogat, nullius iura violet. *Non ſecundum* Iſ. 11. *viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet, ſed iudicabit in Iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Virga æquitatis, virga regni tui.* Hebr. 1.

Quarta eſt, Bonitas ſeu Liberalitas, qua vel præueniat bonis innumeris, ſuos ſubditos, ſibi etiam rebelles & inſenſos, vel comitetur & ſequatur præmiis ingentibus tùm gratiæ, tùm gloriæ ſempiternæ. *Benedicentur in Ipſo omnes tribus terræ.* Pſ. 71.

Quinta eſt, Potentia & fortitudo ſuis conſeruandis, protegendis, & ita promouendis ad ſuum optatum finem, *Vt non rapiat eos quiſquam de ipſius manu*, Nemo diripiat, niſi ſe ipſi velint ſubducere. *Liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor, Beati viri tui, & beati ſerui tui qui ſtant coram te ſemper, & audiunt Sapientiam tuam.* Ioan. 10. Pſ. 71. 3. Reg. 10.

EX quibus, & aliis prope infinitis quæ regiam Chriſti Dominī Dignitatem ſpectant, diligenter expenſis, aperte liquet quàm vere non à magno regno, Rex magnus Chriſtus eſt, ſed potius à magno Rege, magnum ſit regnum. Eſto ſint magna quæ confert; at maior Ipſe eſt ſuis donis. Sint ſerui eius liberi, ſint nobiles, ſint opulenti, ſint beati omnes in quibus regnat: At ſuprema illa Sapientia qua eos regit, ſuprema illa Bonitas qua eos fouet: ſuprema illa Potentia qua eos vt pupillam oculi ſeruat, & ad æternam ducit beatitatem, longe maior eſt, longe excellentior eſt, ipſa eorum fœlicitate qua in cœlis fruuntur. *Maior eſt Deus corde noſtro*, inquit dilectus Diſcipulus: Quaſi diceret, quidquid in nobis maius eſt, in corde noſtro eſt, ſiue in ea noſtri parte quæ capax eſt Dei poſſidendi. At quantumcumque pars illa ſit capax & magna, maior eſt tamen Deus, cui toti totaliter capiendo, nil par creatum eſſe poteſt, cùm ſe Ipſe ſolus comprehendat. 1. Ioan. 3.

Atque hæc intelligere & crebro cogitare multum prodeſt ad Praxim ſeruitutis noſtræ, tanto Regi fidelius exhibendæ. Sic

Digitized by Google

enim purior eſt noſter animus qui Chriſti meritum magis ſpectat quam vllam inde nobis promanantem vtilitatem. Sic nos Illi magis ac magis ſubdimus, cùm quantumcumque obſequij deferamus, major ſit Ille omni laude, maior omni obſequio. Sic quàm inſipienter illi agant euidentius patet, qui ſe ab Illo ſubtrahunt, quo nullus ſapientior ad regendum, nullus potentior ad protegendum, nullus æquior ad imperandum vel exigendum, nullus melior ad benefaciendum, nullus maior ad beandum. Et tamen quàm illi multi ſunt, qui ſe ab Illo ſubſtrahant! Quàm verè ſanctus Auguſtinus: *Modo multi Chriſtum Regem in cælo ſedentem, & vbique regnantem habere nolunt.* *In Pſ. 55.*

O quàm iuſtè, quam prouide præmaturo interitu puniuntur illi qui talem tantumque Regem nolunt in ſe regnare! Quamquam quid grauius, quid acerbius non ad culpam modò, ſed ad pœnam, quam hoc nolle? Quid enim eſt hoc nolle, niſi ſe à pacato Rege ad iratum conuertere? Quid eſt hoc nolle, niſi malle à ſua praua cupiditate regi, quam a Diuina Sapientia? niſi malle ibi viuere vbi loco Chriſti, Dæmon regnat! Poteſtne grauius aliquid cogitari? *Luc. 19.*

DIE VII. IANVARII.

NISI SIT DOMINICA, CVIVS PROPRIA MEDITATIO HABETVR INFRA, DIE DVODECIMA, IN DECVRSV HISTORIAE EVANGELICAE.

DE REDITV MAGORVM IN PATRIAM SVAM.

Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem: per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Math. 2.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Non aliud, ſed aliter.

SENSVS EST, Quod conſilia melioris vitæ, non tam ſæpe ſpectant aliud in agendo, quàm modum & finem agendi; Non aliud in re & ſubſtantia, ſed aliter in modo & fine.

RATIO EST, Quia ibi ſunt figenda conſilia melioris vitæ, vbi magis deficimus.

Sed ordinarie magis deficimus in modo & fine agendi, quàm in ſubſtantia rerum agendarum.

Ergo illa conſilia non tam ſpectant aliud in agendo, ſeu aliud in re & ſubſtantia, quàm vt aliter in modo & in fine agatur.

I. PVNCTVM.

AVT indignus erat Herodes, cæterique Iudæi qui Magos audirent, referentes ea quæ viderant & fecerant: aut periculum erat Magis, ne male à Iudæis haberentur, & à fide atque à religione auocarentur: quamobrem admonentur in ſomnis, ne quà venerant reuertantur, ſed alia via remigrent in patriam ſuam. Sic fidelis Deus iis qui ſe ſuaque omnia ſemel ei obtulerunt. Eſt vero præterea moralis & myſtica huius reuerſionis, per aliam viam ratio, nempe vt Magi diſcerent ſe poſſe quidem viſo Chriſto, repetere ſua regna, ſua negotia, & quicquid ante domeſticum & ciuile agebant, ſed non eodem modo & fine agēdum; non ex naturæ deprauatæ impetu, non turpis lucri, aut vanæ ambitionis gratiâ, ſed rectæ rationis & diuini ductu Numinis, ad ſupremi Dei cultum & æternæ beatitudinis conſecutionem. Iamque illud meditabantur quod poſtmodum ſcripſit S. Petrus, *Vt iam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei quod reliquum eſt in carne, viuant temporis. Sufficit enim prætteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam.* 1. Petr. 4.

Sic ad nos pie deriuat S. Gregorius, hanc Magorum reuerſio

Digitized by Google

nem, dum ait, *Magnum vero nobis aliquid Magi innuunt, quod in regionem ſuam per aliam viam reuertuntur. Regio quippe noſtra, paradyſus eſt, ad quam Ieſu cognito, redire per viam quâ venimus prohibemur. A regione etenim noſtra ſuperbiendo, inobediendo, viſibilia ſequendo diſceſſimus: ſed ad eam neceſſe eſt, vt flendo & obediendo, viſibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando, redeamus.* Hom. 10. in Euang.

Atque hinc Forma quædam Emendationis vitæ, ſeu Renouationis ſpiritus datur; vt quando de hoc negotio agitur, ſeu quoties melioris vitæ conſilia ſuſcipiuntur, non ita ſpectent vt aliò proficiſcamur, quàm vt aliâ viâ redeamus ad idem officium noſtrum; Non aliud meditemur agendum, ſed aliter; *Non aliter in re & ſubſtantia, ſed aliud in fine & modo.* Quæ Veritas quia eſt valde practica & opportuna, idcirco præcipuâ eſt conſideratione digna. Sic autem aperte declaratur. Ibi ſunt figenda melioris vitæ conſilia, vbi magis deficimus: hoc primum expendendum, ſiue ille defectus vitioſus ſit, ſiue imperfectio, aut perfectionis aliqua tantum priuatio, ſi quid à nobis deſideratur, ſi quid nimis aut minus fiat, ſi quid denique corrigendum & emendandum; nonne in id præcipue incumbit negotium Emendationis aut Renouationis vitæ? Nonne hinc illi Prophetarum queſtus, & lamenta; *Vulnus & liuor & plaga tumens non eſt circumligata nec curata medicamine, neque fota oleo. QVARE non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei? QVOD infirmum fuit non conſolidaſtis; & quod confractum eſt, non alligaſtis: & quod abiectum eſt, non reduxiſtis:* quaſi dicerent, in defectibus emendandis erat poſita tota vitæ emendatio. Iſ. 1. Ier. 8. Ezech 34.

Sic in Apocalypſi Chriſtus Dominus ſuos illos Angelos ſeu viros Angelicos & Paſtores, in quibus potiſſimum deficiant, ſeuerè admonet & arguit. Sic denique author libri de Imitatione Chriſti, *Semper aliquid certi proponendum eſt, & contra illa præcipuè quæ amplius nos impediunt.* Et alibi, *Duo ſpecialiter ad magnam emendationem iuuant, videlicet ſubtrahere ſe violenter ad quod natura vitioſe inclinatur: & feruenter inſtare pro bono quo amplius quis indiget.* Res eſt ſeria, res ſalutis, res æternitatis: Itane apprehendis? Apoc. 2. & 3. L. 1. c. 19. & 25.

II. PVNCTVM.

SED ordinariè magis deficimus in modo & fine agendi, quam in ſubſtantia rerum agendarum.

Ier. 2. Inſtitue aliquod tui examen. *Vide vias tuas, ſcito quid feceris,* ait Propheta. A mane ad veſperam. A prima diei actione ad poſtremam, vbinam deficis? in quo delinquis præcipue? Non deſeris orationem, ſed modum rite orandi; Non omittis diuinum officium, ſed attentionem & deuotionem. Miſſam quotidie celebras, & ſatis crebro frequentas Pœnitentiæ Sacramentum; ſed quonam modo? Sic in ſtudio, in menſa, in relaxatione animi, in conuerſatione, & officio particulari, ſi quid peccas, nonne vel quia in his teipſum quæris, tibi plus nimio complaces, nimis effunderis & diſſiparis, non ſatis religioſe te contines? qui ſunt omnes defectus circa modum & finem; nec tamen propterea contemnendi quaſi leues & modici, cum ex fine præcipue iudicium feratur de actibus. Vnde illa Domini celebris ſententia,
Luc. 11. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* *QVIA,* inquit S. Gregorius,
28. Mor. c. 13. *cum peruerſa intentione quid vel rectum agitur, etſi ſplendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen Interni Iudicij obſcuratur.* Huic te ſiſte examini, & appenſus in ſtatera, Vide num ſis minus habens; minus rectæ intentionis, & minus perfecti operis. Horrendum nempe illud eſt quod ait Dominus per Prophetam:
Dan 5. Sophon. 1. *Scrutabor Ieruſalem in Lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in facibus ſuis, qui dicunt in cordibus ſuis: Non faciet bene Dominus, & non faciet malè?* Id eſt, qui ſibi fingunt nihil boni aut mali eſſe coram Deo in illis ſuis actionibus, quas ex naturali genio potius faciunt quàm ſpiritali motu.

III. PVNCTVM.

Dom. 1. Aduen. *NON ergo aliud, ſed aliter:* Non tam aliud in re & ſubſtantia quod facias, excogitandum tibi eſt, quàm in modo & fine, vt emendes quod male & perperam facis. Nam idem tibi, vt ſupra dictum eſt, meditandi & orandi exercitium redit quotidie; idem officij perſoluendi munus, idem pene ſtudium, eademque

Digitized by Google

tecum particulatim, & cum alijs opera quotidiana, quæ nec mutare, nec augere, nec decurtare forſan ita conuenit, quam finem & modum adhibere, quibus perfecte magis & integre digerantur. Ibi ergo curatio ſit vbi vulnus, & ibi reſtauratio vbi jactura. *Scrutemur vias noſtras, & reuertamur ad Dominum. Iuſte quod iuſtum eſt perſequeris*, ait Dominus. Et iterum, *Qui enim cuſtodierint iuſta iuſte, iuſtificabuntur*: Id eſt, qui debito fine & modo. Sic Apoſtolus, hoc vnum in ſe & aliis promouebat: *Imitatores mei eſtote fratres, & obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Rurſumque aliis, *Rogamus vos & obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, vt abundetis magis.* Deſcende ad ſingula, quemadmodum acceperis, quomodo te oporteat meditari, orare, conuerſari & viuere. *Memor eſto vnde excideris. In mente habe qualiter acceperis & audieris, & ſerua, & pœnitentiā age.*

Thren. 3. Deut. 16. Sap. 6. Phil. 3. 1. Theſſ. 4. Apoc. 2. & 3.

Vide Verbo *Renouatio. Emendatio.*

DIE VIII. IANVARII,

NISI SIT DOMINICA.

DE PRÆSENTATIONE PVERI IESV, IN TEMPLO: ET DE PVRIFICATIONE VIRGINIS MATRIS.

Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius, ſecundum Legem Moyſi, tulerunt Illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Non quid liceat, ſed quid magis expediat.

SENSVS EST, *Quod cùm multa liceant, quæ non expediunt,*

Digitized by Google

tunc in eorum electione, magis attendendum quid expediat, quàm quid liceat; ſeu quod idem eſt, Non ita eſt attendendum quid liceat, quàm quid expediat.

RATIO EST, Quia quando aliqua licent ex vno capite, & non licent ex alio, tunc potius attendendum eſt caput ex quo non licent, quàm aliud ex quo licent.

Sed quando non expediunt, perinde eſt ac ſi ex hoc capite non licerent, tametſi ex alio licent.

Ergo tunc potius attendendum non quid liceat, ſed quid magis expediat; Exemplo ſanctiſſimæ Virginis Matris, quod tamen pauci reſpiciunt ad imitandum.

I. PVNCTVM.

Exod. 13. Leuit. 12. IVDÆA Mulier ſi ſuſcepto ſemine maſculum peperiſſet, duplici lege tenebatur ſe ſiſtere Ieroſolymis, quadrageſimo à partu die: altera quà ſe purificaret, alterà quà filium Deo tunc offerret. Neutrâ vero lege Beatiſſima Virgo parens obligabatur, tunc quia Mater erat Virgo, quæ non ſuſcepto ſemine pepererat, tū quia Filius erat ipſe Legiſlator, & Deo Patri oblatus antequam natus. Vtrique tamen legi obedire voluit, non quid liceret, ſed quid magis expediret attendens. Id enim ita expediebat, non modo ratione Filij qui venerat non legem ſoluere ſed adimplere; verùm & conſideratione ipſius Matris, quæ multa & luculenta in hoc bono opere, virtutum exempla, cogitatione & imitatione colenda nobis reliquit.

Qualis quantaque Humilitas, ſic apparere purificandam quaſi vnam ex immundis mulieribus! Qualis amor Puritatis, ſic velle amplius, quantum id fieri poſſet, purificari! Qualis Religio & Deuotio, in offerendo Filio pro ſalute totius humani generis? Quale Paupertatis ſtudium in pullis columbarum ſimul oblatis, quæ erat expreſſa nota pauperum? Qualis denique Obedientiæ perfectio, ſeu perfectionis integritas, nulla re velle prorſus deeſſe officio, vbi tamen nullum erat officij debitum! Admirare, congaude, & illos imprimis affectus exprime, qui Veritati propoſitæ

Digitized by Google

propoſitæ ad imitandum magis erunt conformes. Eſt enim vtiliſſima Veritas & in praxim frequentiſſima, ***Vt non quod nobis liceat in multis quæ occurrunt, ſed quid magis expediat, attendamus.***

Et quidem Ratio poſſet duci à conſideratione maioris boni propter quod multa non expediunt, quæ alioquin licent; quo vno motiuo non eſt dubium quin ſanctiſſima Virgo Mater moueretur; ſed quia pauci ſic intuentur maius illud & perfectius bonum ad quod ex præcepto non tenentur, viſum eſt potius Rationem petere à malo quod incurritur, niſi Veritas obſeruetur.

Sic autem procedit Ratio: Quando aliqua licent ex vno capite, quæ non licent ex alio, tunc potius attendendum eſt caput ex quo non licent, quàm aliud ex quo licent. Nam vt ſuprà conſideratum eſt, bonum quidem omitti poteſt, malum autem *Die 2. Ian.* nunquam committi: Vnde ſi quid ex ſe ſuaque natura vel ſpecie, licitum & indifferens, aut etiam bonum eſt, vt oratio, ieiunium, mortificatio corporalis, aut quid ſimile: ſi tamen ex alio capite vitietur aliquâ peccati notâ, vt quod vetetur à ſuperiore, vel quod grauiter offendat ſanitatem, vel quod manifeſte maius impediat bonum: Nonne tunc omittendum eſſet iſtud opus, licet ex ſe licitum, licet bonum? Nonne tunc potius ſpectandum illud eſſet caput ex quo malum eſt, quia vetitum & non licet, quam aliud ex quo liceret? Sic fuſe ſanctus Bernardus in pro- *Serm. 7. in Cant.* priam voluntatem, ***Grande malum propria voluntas quâ fit vt bona tua, tibi bona non ſint.*** Expende accuratius quàm id verum, & tibi proprium.

II. PVNCTVM.

SED quando res non expediunt, perinde eſt ex hoc capite ac ſi non licerent, etſi ex alio licent.

De his enim rebus hic agitur quæ ita licent & non expediunt, vt ex qua parte non expediunt, non liceant, quia nempe ſine notabili detrimento proprio, vel ſcandalo proximi, aut aliquo ſimili damno non poſſint fieri.

Tale eſt Sacerdoti vel Religioſo tractare aliquid ſæculare liberius. Tale & vni Religioſo vel ſæculari aliquid quod non alteri conueniret, propter diuerſam conditionem, vel temperamentum naturale, vel aliquam aliam circunſtantiam: Vnde Sapiens

Digitized by Google

Eccleſi 37. ſapientiſſime monet; *Fili in vita tua tenta animam tuam, & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem: Non enim omnibus omnia expediunt,*
30. Mor. c. 6. *& non omni animæ omne genus placet.* S A E P E *aliis officiunt, quæ alijs proſunt*, inquit ſanctus Gregorius, *nam & plerumquè herbæ quæ hæc animalia reficiunt, alia occidunt, & lenis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat: & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruu-*
Prou. 19. *lorum necat.* Hinc diuinum illud, *Noſce teipſum*; Et apte Sapiens; *Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum.* Habeſne hanc ſcientiam? Noſti ne teipſum; quid noceat, vel quid magis proſit ad ſalutem?

III. PVNCTVM.

E R G O *tunc potius attendendum, non quid liceat, ſed quid magis expediat*; Quia cùm non liceat ex qua parte non expedit,
1. Cor. 10. hoc eſt ſpectandum potius quod non licet, quam quod licet. *Omnia mihi licent,* inquit Apoſtolus, *ſed non omnia expediunt.* Atque iterum in eadem Epiſtola; *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt; omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Ex quibus locis & verbis, Veritas noſtra valde confirmatur: Nam ibi quæſtio erat de litibus non agitandis à Chriſtiano apud Infideles, & de Idolothytis non manducandis: quæ duo per ſe erant licita, ſed non erant ædificationis, imo ſcandali & offenſionis, ac proinde non expediebant: & ſic conſiderata, erant velut mala & illicita, nec minus fugienda, quam ſi per ſe mala fuiſſent. Vnde idem
Rom. 14. Apoſtolus. *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei; omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt illi qui per offendiculum manducat.* Idemque alibi; *Sic peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat*
1. Cor. 8. *fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.*

Sic plane tibi dicendum de his omnibus quæ quotidianâ experientia potes obſeruare tibi non expedire, tametſi liceant;
Hebr. 13 *Non quid Liceat, ſed quid magis expediat*, attendendum. *Hoc enim non expedit vobis,* inquit Apoſtolus, hoc vnum affert quo illis perſuadeat quod perſuadendum proponit. Sic Chriſto Domino quanta licebant in vita Ipſius, ſi his vti voluiſſet? Sed quia non

Digitized by Google

expediebat tibi, vt aliter viueret, idcirco ſic vitam inſtituit, ſicque à ſe inſtitutæ vitæ rationem hanc reddit, *Quia ſic tibi expedit.* Quære ab eo cur ita natus, cur circumciſus, cur fugatus in Ægyptum, cur ita mortuus, cur denique in cœlum rediit, *Expedit*, inquit, *vobis, vt ego vadam.* Ioan. 16. Non quid liceat, ſed quid magis expediat, hoc attendo. Tu vero quid dicis ne abſtineas licitis, ne te tuis priues commodis, aut ne arctius quàm velles, te conſtringas? Quid excuſas? Quid objicis? Non eſt inquis, culpa lethifera, non eſt obligatio, *Sit fortitudo noſtra, lex Iuſtitiæ*, Sap. 2. quidquid poſſumus citra grauem culpam, hoc demum liceat, & quicquid licet, hoc intrepide audeamus. O vocem effrenatæ licentiæ! Quàm recte dictum à Propheta: *Declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem?* Pſ. 124. Si tantum reſpicis quod ex præcepto te obligat, ſi non quid expediat, ſed quid tibi liceat in agendo ſpectas, non eris immunis à peccato, non erit innocens illa licentia; aut illa cito peribit innocentia. Neque enim tenetur ipſe Deus tibi conferre Gratias quibus abuteris, & quibus priuatus corrues. *Quaſi liberi & non quaſi velamen habentes malitiæ, libertatem: ſed ſicut ſerui Dei.* 1. Pet. 2.

Vide in feſto Purificationis Beatæ Virginis.

DIE IX. IANVARII,

NISI SIT DOMINICA.

DE OCCVRSV SIMEONIS IN TEMPLO: ET DE IIS QVÆ VENTVRA CHRISTO AC VIRGINI MATRI PRÆDIXIT.

Ecce poſitus eſt Hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

In pace amaritudo: & pax in amaritudine.

SENSVS EST, Quod ſicut in pace & tranquillitate noſtra, debet eſſe aliqua cordis amaritudo; ſic in cordis amaritudine, pax & tranquillitas inſint neceſſe eſt; Neutra ex his ſeparatim, ſed vtraque ſimul conjunctim.

RATIO EST, Quia idcirco in pace debet eſſe amaritudo aliqua, ne alioquin pura pax animam obruat.

Sed niſi pax eſſet in amaritudine, ſola etiam amaritudo animum abſorberet.

Ergo & in pace amaritudo, & pax in amaritudine.

I. PVNCTVM.

E*T ecce homo erat in Ieruſalem cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & timoratus.* Vide quæ plura habentur de eo, in textu, & ex ſingulis decerpe aliquid ad profectum: Tum vero præcipue ex iis quæ prædicit ventura Chriſto Domino, & Virgini Matri. Mirum enim quanta inde in pace amaritudo fuerit, & quanta pax in amaritudine. Quàm tranquilla & quam iucunda pax eſſet in animo Virginis à nato Filio, ab auditis Angelis, à viſis Magis, & ab ipſo etiam benedicente Simeone, quis ignorat? At quanta mox fuerit amaritudo in hac pace, cum audiuit poſitum Filium in ruinam multorum, & in ſignum cui contradiceretur, ſuamque ipſius animam pertranſiturum gladium, quis non videt? Sic itaque ſimul deinceps coniuncta fuerunt in corde beatiſſimæ Virginis pax & amaritudo, vt nulla pace frueretur niſi amara, nec vlla etiam amaritudine affligeretur niſi pacifica & tranquilla, cùm illa eſſet Sapientia, *Quæ in omnibus requiem quæſiuit, & in hæreditate Domini morata eſt.* Eccleſ. 24.

Nos in vtroque peccamus ordinarie; & nimis puram pacem appetimus, & nimia tabeſcimus amaritudine. Vtrumque ſeorſim malum, vtrumque coniunctim bonum: *Et ſicut in pace amari-*

Digitized by Google

tudo aliqua inſit neceſſe eſt, ſic pax in amaritudine.

Ratio vtriuſque eſt eadem, & valde conſideranda; Quia videlicet quando ſola pax & tranquillitas animam poſſidet, animum diſſoluit quodammodo, diſſipat, & ita diſperdit, vt ſanctiores quique ſibi vel maxime timeant ab illa pace. *Non ſolum temporalis* 1. Cor. 12. *lætitia, ſed & ſpiritualis*, inquit S. Hieronymus, *eſt tentatio poſſidenti, ita vt indigeam aliquando Angelo corripiente, & Angelo Sata-* Prou. 30. *næ qui me colaphizet, vnde & Salomon ait, diuitias & mendicitatem ne dederis mihi. Sic Monitor*, inquit idem S. Doctor, *Paulo datus eſt ad premendam ſuperbiam, vti in curru triumphali, triumphanti datur Monitor ſuggerens, hominem te eſſe memento.* Sic ſanctus Auguſtinus: *Magna virtutis eſt cum fœlicitate luctari, magna fœlicitas à fœlicitate non vinci.* Cui conformiter S. Bernardus, *Magnus cui* 3. de conſ. *præſens fœlicitas ſi arriſit, non irriſit.* Vnde & ſanctus Ambroſius: 12. *Deus deliciis & gaudiis noſtris ponit modum, ne ſupra alueum effuſa ra-* De Caïn *tionem obruant.* Idemque notat datum eſſe filio prodigo annulum & Abel. Luc. 15. in manu quaſi *ſignaculum, quo cordis interiora ſignarentur*, ne in tanta lætitia ſeſe nimis effunderet; Vide libri tertij de Imitatione Chriſti caput vigeſimum quintum, vbi hæc inter alia; *Pax tua in multa patientia; non æſtimes te veram pacem inueniſſe, ſi nullam ſenſeris grauitatem.* O quam multi falluntur dicentes, *pax pax, cum* Iere. 8. *non eſſet pax.*

II. PVNCTVM.

SED *niſi pax eſſet in amaritudine, ſola etiam amaritudo animum abſorberet.*

Sic expreſſe Apoſtolus; *Ne forte abundantiori triſtitia abſor-* 2. Cor. 2. *beatur qui eiuſmodi eſt.* Quod quidem non tantum eſt pernicioſum corpori, ne offendatur nimia triſtitia, *Quæ exſiccat oſſa, & ſicut* Prou. 17. *tinea veſtimento, & vermis ligno, ita nocet cordi*; Sed & animo ma- & 25. xime officit, qui nimia intabeſcit amaritudine, & ſuis quodammodo deſtituitur facultatibus, vnde Sapiens, *Non eſt ſenſus vbi eſt* Eccleſ. 21. *amaritudo*, ſcilicet nimia. Imo & ipſi animæ ad ſalutem & perfectionem valde aduerſatur, quia ſic magis patet tentationibus, diffidit Deo, languet virtute, ſibi grauis, oneroſa eſt aliis, prope in deſperationem agitur; in quodam denique peccatorum inferno detinetur. Sic ſanctus Auguſtinus interpretatur illud quod

Digitized by Google

Lib. 12. de Gen. ad lit. c. 33. Iacob dicit ad filios ſuos, *Deducetis ſenectutem meam cum triſtitia ad inferos. Videtur*, inquit, *hoc magis timuiſſe, ne nimia triſtitia ſic perturbaretur, vt non ad requiem beatorum iret, ſed ad inferos peccatorum. Neque enim paruum animæ malum eſt triſtitia, cum etiam Apoſtolus cuidam tam ſolicite timeret ne maiore triſtitia abſorberetur.* Atque idem denique Apoſtolus, poſt commendatam pa- Hebr. 12. cem, *Ne qua inquit, radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.* Videſne quantum inde aliquando fueris inquinatus?

III. PVNCTVM.

IN *pace igitur amaritudo, & pax in amaritudine*; Ne nimia pax efferat, aut nimia amaritudo nimis deprimat; *Omni cuſtodia* Prou. 4. *conſerua cor tuum*, ait Sapiens, *Ne declines ad dexteram neque ad ſiniſtram, auerte pedem tuum à malo; Vias enim quæ à dextris ſunt, nouit Dominus: peruerſæ vero ſunt quæ à ſiniſtris ſunt. Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, itinera autem tua in pace producet.* Ipſe eſt qui vt Iob. 28. ait Iob, vtque interpretatur ſanctus Gregorius, *Sic facit ventis* lib. 10. c. 5. 6. *pondus, & aquas appendit in menſura.* Ipſe eſt qui, vt habet ſacrum prouerbium, *Riſum dolore miſcet, & extrema gaudij luctu occupat.* Prou. 14. Ipſe eſt denique qui nos facit *quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.* 2. Cor. 6. Vide ergo ne te illi opponas, ne ſi pure bona & tranquilla vis habere omnia: dicatur tibi, *Fili recordare quia recepiſti bona in vita* Luc. 16. *tua*; aut ſi mala, ſine pace & patientia recipias, tu cum illis ge- Sap. 5. mas qui dicunt, *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & ambulauimus* Luc. 9. & 23. *vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.* In praxi Veritatis propoſitæ, via eſt Domini, qui in monte Thabor dum abundat Lætitia, de paſſione loquitur: Et in monte Caluariæ dum ſaturatur opprobriis, & doloribus immergitur, de paradyſo cogitat & ſermocinatur. Vade & tu fac ſimiliter.

Vide Dominicam ſecundam Quadrageſimæ, & libri tertij de Imitatione Chriſti, caput ſeptimum.

Digitized by Google

DIE X. IANVARII.

DE FVGA SANCTI IOSEPH IN ÆGYPTVM.

Surge, & accipe Puerum & Matrem eius, & fuge in Ægyptum. Matth. 2.

VERITAS PRACTICA.

Non contriſtabit Iuſtum, quidquid ei acciderit. *Prou.* 12.

RATIO EST, Quia nihil ſibi accidere Iuſtus putat, niſi Deo volente.

Sed quidquid Deo volente accidit, non contriſtabit Iuſtum.

Ergo nec quidquid ei acciderit. Et tamen tam multa te contriſtant.

I. PVNCTVM.

PERACTIS de more omnibus quæ ſpectabant ad Legem purificationis, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth. Ita expreſſe ſanctus Lucas. *Luc.* 2. Tum vero vix vnum aut alterum diem exegerant, *Cùm ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, ſurge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi: futurum eſt enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Aegyptum.* Sic diſertis & paucis quidem verbis ſanctus Mathæus, ſed *Math.* 2. quibus magna latent myſteria, & multâ conſideratione digniſſima. Qualis namque hæc agendi ratio, & quàm ſtupenda Dei Prouidentia erga tres illas perſonas, quas habebat in mundo cariſſimas? Nonne Deo ſuauiores erant vitæ ſeruandi Filij? Non- *Prou.* 21. ne ille eſt qui in manu ſua cor Regum tenet? Nonne cor Hero-

dis immutare poterat, aut aliorſum detorquere? Nonne Ciuitatem Nazareth, aut Ioſephi domum, aut ſelectam illam familiam ab omni tutam injuria conſeruare? Nonne inuiſibilem reddere? aut inacceſſam, aut terribilem, aut fulminatricem! Quid denique non poterat Omnipotens? Et ecce quaſi nihil poſſet, procul amandatur vniuerſa familia; protinus fugit, & fugit in Ægyptum!

At ſaltem præſto ſint currus, præſto equites, ipſique non deſint Angeli, qui fugientes vehant aut portent: ſaltem expectetur clara dies, vel nox inclareſcat illuſtrandæ, quantum eſt ſatis, tenebroſæ viæ; ſaltem iuſta concedatur mora comparando viatico, componendæ ſupellectili, ſalutandis vicinis, ac tam longo moleſtoque itineri præparando. Nihil horum; ſed illo ipſo momento conſurgens Ioſeph accipit puerum & matrem eius, domum deſerit, dat ſe itineri, vnam Ægyptum cogitat.

O Iudicia Dei, vere abyſſus multa! quis crederet hos tres exules familiam Dei eſſe! vel quis crederet, ſic Deum regere familiam ſuam! Sed erigere anima mea, erigere altiùs quam ſunt humana omnia. Cernenti quidem illos oculis carneis, vt ſunt omni humana ope deſtituti, nihil videri poſſit miſerius; ſed attenta mente conſideranti qua promptitudine obediunt, qua modeſtia incedunt, quo ſilentio, qua quiete, qua tranquillitate, & quibus canticis Deum laudant, nihil videri debet ſublimius.

Sic itaque illos attente conſidera, vt videas ad imitationem &
Pr. 12. praxim, quàm vere Sapiens dixerit, *Non contriſtabit Iuſtum quidquid ei acciderit*, Nempe nihil ſibi accidere putat Iuſtus, niſi Deo
Iſ. 45. Volente, aut permittente, qui idcirco expreſſe dicit, *Ego Dominus & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem,*
Thren. 3. *& creans malũ: Ego Dominus faciens hæc omnia.* Qui & queritur & minatur, ſi quis aliter ſentiat; *Quis eſt iſte qui dixit, vt fieret Domino non iubente? Ex ore Altiſſimi non egredientur nec bona, nec mala?* Quaſi diceret, quis eſt iſte ignarus, quis iſte temerarius, quis iſte blaſphemus in diuinam Prouidentiam, qui dubitet non æque eam procreare mala atque bona? Adeo non ille iuſtus eſt qui de hoc dubitet, vt tanquam injuſtiſſimus & iniquiſſimus ſit puniendus.

Et certe is erat inter alios, error amicorum Iob, qui putabant alienum à Deo eſſe, punire bonos & innocentes, contra quos

Dominus

Digitized by Google

nus vni eorum loquens, *Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob.* Quid clarius? quid expreſſius? Crediſne Angelum nunciaſſe Ioſepho fugam, aut illum nuncium non niſi à Deo eſſe? Cur non æque credes, alia ſic à Deo prouenire mala, cum id æquè ſcriptura teſtetur? *Iob. 42.*

II. PVNCTVM.

SED quidquid Deo volente accidit, non contriſtabit Iuſtum. Aut certe iuſtus non erit, ſi inordinate contriſtetur. Nam ſicut nihil iuſtius quàm Deo volenti & jubenti parere & ſubjici, ſic nihil injuſtius quàm velle ſe, ſuamque voluntatem præferri diuinæ. *O homo tu quis eſt, qui reſpondeas Deo?* Vel enim iudicas illud quod accidit injuſte à Deo accidiſſe, vel iuſte; ſi injuſte, injuſtus & iniquus ipſe es, qui Deo injuſtitiam imputare auſis. *Nunquid iniquus eſt Deus qui infert iram,* inquit Apoſtolus, *abſit, alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Quod ſi id iuſte putas factum, nec aliter niſi iuſte & ſanctè poſſe Deum aliquid facere credis, ſicut ait Deo Sapiens, *Cum ſis iuſtus, iuſte omnia diſponis;* Nonne etiam tu iniuſtus es, ſi contriſteris & doleas de eo quod tu ipſe iuſtum & iuſte factum putas? Sic egregie S. Gregorius in hæc verba Iob, *Sicut Domino placuit ita factum eſt, CVM enim in hac vita, ea quæ nolumus patimur, neceſſe eſt vt ad Eum qui injuſtum velle nihil poteſt, ſtudia voluntatis noſtræ inclinemus. Magna quippe conſolatio in eo quod diſplicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non niſi iuſtum placet. Si igitur iuſta Deo placere ſcimus: pati autem nulla niſi quæ Domino placuerunt, poſſumus: iuſta ſunt quæ patimur; & valde injuſtum eſt ſi de iuſta paſſione murmuramus.* *Rom. 9.* *Ibid. 3.* *Sap. 15.* *L. 2. Mor. c. 15.*

Hoc eſt ita certum vt ab impiiſſimo mortalium, nempe Antiocho Rege, voluerit Deus publica confeſſione declaratum, ne vt deinceps auderet aliquis id negare, quod tam nefarius protuliſſet, ipſa veritate conuictus, *Iuſtum eſt,* inquit ille, *ſubditum eſſe Deo.* *2. Mach. 9.*

III. PVNCTVM.

NON contriſtabit ergo Iuſtum, quicquid ei acciderit; Cum nihil niſi Deo volente, ſibi quidquam putet accidere, & quid-

Digitized by Google

quid à Deo accidit, tam iuſtum putet, vt iuſtè de eo contriſtari
Pſ. 118. non poſſit. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* ETIAM
Apoc. 16. *Domine Deus omnipotens, vera & iuſta iudicia tua*, cum vel detru-
dit animas in infernum, non poſſunt incuſare Dei Iuſtitiam, ſed
Sap. 5. omnes coguntur dicere, *In malignitate noſtra conſumpti ſumus.*
Quanto magis iuſtus & bonus eſt cum te hic punit, ne in æter-
num puniaris: *Non vlciſcamur nos pro his quæ patimur*, inquiebat
Iudith 8. fortiſſima Iudith, *ſed reputantes peccatis noſtris, hæc ipſa ſupplicia
minora eſſe flagella Domini, quibus quaſi ſerui corripimur, ad emen-
dationem & non ad perditionem noſtram, eueniſſe credamus.* Obſerua
illud quo vtitur, verbum, non *vlciſcamur*. Eſt enim quoddam vl-
tionis & vindictæ genus in Deum, cum nimis contriſtati contra-
riis euentibus rationes prætendimus noſtræ triſtitiæ & afflictio-
nis, quaſi vellemus illum arguere aut nos ita iuſtificare, quaſi hoc
immeritò pateremur quod patimur, hoc eſt vt illa ipſa Iudith
admonebat, *Improperium murmurationis ſuæ contra Dominum pro-
Iob. 40. ferre*; Vnde & ipſe Dominus, *Nunquid irritum*, inquit, *facies Iu-
dicium meum: & condemnabis me vt tu iuſtificeris?* Vides quam id
ſit iniuſtum & impium! ſed videſne quoties hanc impietatem
Pſ. 38. admiſeris? Ingemiſce, & deinceps illud Dauidicum in aduerſis
habeto familiare, *Obmutui & non aperui os meum quoniam tu fe-
2. Reg. 16. ciſti.* Et in illatis iniuriis; *Dominus præcepit vt malediceret, &
quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit?*

Vide Feriam 2. infrà Hebdomadam ſextam poſt Epiphaniam: Ferias Quadrageſimæ, & præſertim Paſſionis, ac Verbo *Aduerſitas.*

DIE XI. IANVARII.

DE REDITV AB ÆGYPTO IN NAZARETH.

Surge, & accipe Puerum, & Matrem Eius, & vade in terram Iſrael: Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri. Math. 2.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Meliore rerum ſtatu non magis gaudet Iuſtus, quàm deteriore doluit.

RATIO EST, Quia idcirco deteriore ſtatu non doluit Iuſtus, quod in illo magis ſpectaret diuinam voluntatem, quàm ſuum particulare commodum vel incommodum.

Sed in meliore ſtatu ſic Iuſtus magis Deum conſiderat, quam ſeipsũ.

Tùm ergo non magis gaudet quam ante doluit. Quod perfectæ Indifferentiæ eſt, à paucis cognitæ.

I. PVNCTVM.

IAM de ſancto Ioſepho ſecedente in Ægyptum, dixerat Euangeliſta: *Et erat ibi vſque ad obitum Herodis.* Tum vero paulò poſt; *Defuncto,* inquit, *Herode, Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens; Surge & accipe Puerum & Matrem eius, & vade in terram Iſraël.* Ac denique, hanc ſubiungit rationem, *Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Cur ſic toties fit mentio de Herodis obitu? Nempe vt aduertas diligentius, ſic diuinam Patris æterni prouidentiam ſuauiter & temperate omnia diſponentem, vt non prius Filium ab Ægypto reuocauerit, quàm defunctus ille fuerit, cuius cauſa Filius in Ægyptum ſeceſſerat; neque prius illum defungi voluerit, quàm naturalis vitæ curſus exigeret. O rem plane miram! Ecce nec pro Filio ſuo cariſſimo vices rerum aut ordinem mutat Deus: & tu ſæpe velles tui cauſa peruerti omnia! Confundere ad hanc peruerſitatem animi tui, & cum Dauide dicito: *Dixi, Deus meus es Tu, in manibus tuis ſortes meæ.* Pſ. 30.

Monitus ergo Ioſeph ab Angelo, ſtatim accipit Puerum & Matrem, & venit in terram Iſrael, iterumque admonitus ſeceſſit in partes Galilææ, & habitauit in Ciuitate Nazareth. Quanto putas cum gaudio, quantaque communi Trium lætitia? Certe non videtur alienum à pietate & Iuſtitia, ſi cogitetur Sanctos hos Exules tantiſper recreatos fuiſſe, vel cùm primùm auditus eſt

Digitized by Google

repetendæ patriæ nuncius, vel cùm fœliciter eò remearent, vbi meliuſculè Puero Ieſu futurum eſſet. Caue tamen putes, tum eis accidiſſe quod ſentis in meliore rerum ſtatu; caue putes exultauerint inordinato gaudio, geſtierint inſolita quadam lætitia, aut ſermones longos de re ſua miſcuerint. Sunt hæc ſolita ſcilicet humanæ leuitatis probra; ſed vir Iuſtus & fortis, ſui ſemper ſimilis ſicut aduerſis non frangitur, ſic neque proſperis emollitur. Sua ſecum ſic portat omnia, vt nulla rerum mutatione mutetur, nec triſtiorem illum aut lætiorem videat vlla dies; quæ ſi de paganis dicuntur, quanto magis de Chriſtianis, quanto verius de his dici debet, *Meliore rerum ſtatu non magis gaudet Iuſtus, quàm deteriore doluit?*

Hoc tibi modo eſt expendendum ad praxim; Et Ratio quidem eſt facilis ad intelligentiam, ſed praxis non ita expedita, quamobrem non leuiter inſiſtendum in eo quod ponitur fundamento: Vnam Dei Voluntatem ſpectare Iuſtum, hanc vnam eſſe cauſam, cur in deteriore rerum ſtatu non doleat, quia videlicet magis ſpectat diuinam ordinationem, quam ſuum priuatum commodum aut incommodum. Hoc omni jure exigitur, hoc Iuſtitia & æquitas imperant, & hoc recta ratio, ne dicam fides, religio & pietas ſtatuit; vt quàm Deus infinite ſupra nos eſt, ſic diuinæ Voluntati noſtram modis omnibus ſubjiciamus. Nam ſi Iuſtitiæ eſt ſuũ cuique reddere, cùm id maxime repetit: cur non ſe ſuaque Iuſtus redderet Deo repetenti, cuius ſe totum quod eſt eſſe agnoſcit; aut niſi ſe Ei redderet, vel niſi ſe eius eſſe agnoſceret, quomodo iuſtus eſſet? Hinc *ſicut palma iuſtus floret, quia,* vt notat S. Gregorius, *habet hoc mirum præ cæteris arboribus palma, vt cum vix terræ hæreat, totaque in cœlum ſeſe extendat, nullo pondere premitur, ſed magis preſſa exaltatur:* Sic plane Iuſtus non humanis & terrenis innixus rationibus, ſed diuinis, nullo aduerſitatum pondere flectitur ſed potius induratur. Sic de Iuſto Tobia dicitur, *Non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei, ſed Immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo, omnibus diebus vitæ ſuæ.* Itane tu?

Pſ. 91. Lib. 19. Moral. c. 25. 26. Tob. 2.

II. PVNCTVM.

SED *in meliore rerum ſtatu ſic Iuſtus Deum magis conſiderat quàm ſeipſum.*

Digitized by Google

Nam cum melior ille ſtatus ſit æque à Deo atque deterior, cur non in illo Deum, Iuſtus æque ſpectet ac in iſto? Nonne id æque Iuſtitia poſtulat, quæ eſt conſtans & perpetua voluntas reddendi quod cuique ſuum eſt? An non minus ſe Dei eſſe cognoſcit Iuſtus, cùm meliùs à Deo ſibi eſt, quàm cùm deterius? Imo nonne ſuum magis benefactorem tum agnoſcat, quando ſe magis ipſe Benefactor ſuis beneficiis agnoſcendum facit? Quid à Iuſtitia magis alienum, quàm ei minus reddere cui plus debeas; aut quàm ſe minùs ei reddere cui te totum magis debeas?

Nonne hoc eſt quo ingratitudo notatur, & quod ingratis Deus exprobrat, *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum Factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Deut. 32. An velles hoc tibi objici? an te vere iuſtum crederes, ſi tibi hoc vere obiiceretur? Multus eſt in his Dominus, quo iniuſtitiam & impietatem noſtram nobis repræſentet. *Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum, vinea aliena?* Ier. 2. Id quidem fit naturaliter, vt nos magis quam Deum amemus, vt magis dona quam donantem ſpectemus: ſed naturam Ratio & fides corrigunt, aut niſi corrigant, natura valde praua dicenda eſt. *Rrdix tua, & generatio tua de terra Chanaan.* Ezech. 16. Vide caput integrum Prophetæ valde aptum his fuſius declarandis.

III. PVNCTVM.

M*ELIORE igitur rerum ſtatu non magis gaudet Iuſtus, quàm deteriore doluit*; Quia ſi in deteriore non doluit, ne à Deo recederet, quem ſpectare debebat in aduerſis: non debet meliore gaudere, ne inani hoc gaudio, ſe potius ſpectet quàm Deum, ſeque ab eo diſiungat, cui non minus tamen adhærere par eſt, in proſperis, quam in aduerſis. *Pondus æquum voluntas Domini*, ait Pr. 11. Sapiens, Id eſt, Dominus vult vt æque ponderes quidquid ab eo accidit, & neque vno magis gaudeas aut contriſteris quàm alio; Vel ſic aptius, Quidquid vult Dominus debet nobis æquum pondus eſſe, vt non magis in vnum propendeamus quàm in alterum, ſed vnam in omnibus ſpectemus eius voluntatem. Quò etiam referri poteſt quod idem Sapiens eodem prouerbiorum libro: *Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt.* Ibid. 16. Id eſt, quidquid de nobis Deus

Digitized by Google

ſtatuit, ſiue id proſperum, ſeu aduerſum ſit, ſic vtrumque in pondere & menſura nobis eſt ordinatum, vt nobis etiam excedere vel deficere non liceat, in illis acceptandis.

Non omne quidem gaudium in proſperis, ſicut nec omnis ſenſus doloris in aduerſitate prohibetur; ſed vtrumque Iuſtus affectum ſic temperat & conformat Diuinæ Voluntati, vt non magis gaudeat aut contriſtetur quam velit Deus: imo nec gaudeat nec contriſtetur, niſi quia Deus ſic eum vult gaudere aut contri-
Hom. 8. in Matth. ſtari. Sic enim *mæſtis rebus quædam ſæpe iucunda permiſcet*, vt obſeruat ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, *Neque ſuos tribulationes, neque Iucunditates ſinit habere continuas, ſed tum de aduerſis, tum ex proſperis, iuſtorum vitam quaſi admirabili varietate contexit.* Quod deinde probat in perſona ſancti Ioſephi; & tùm hic, tum alias docet, quod licet ſtatus Iuſtorum mutaretur, non tamen Iuſti mutentur: aut certe ſi mutari videntur, non tamen alij ſunt animo, ſed ſenſu quodam duntaxat gaudij & triſtitiæ, qui nihil eorum animum tangat, neque vultum ipſum afficiat; vt de vno-
1. Reg. 1. quoque eorum dici poſſit, quod de Anna matre Samuelis, *Vultus*
2. Reg. 14. *illius non ſunt amplius in diuerſa mutati*; aut ſicut de Dauide, *Sic eſt Dominus meus Rex ſicut Angelus Domini, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur.* Tanto minus es iuſtus quantum ab hoc
Coloſſ. 1. diſtas ſtatu; Inquire quantum, neque ceſſes, *Donec implearis agnitione voluntatis Dei*, nullus vt ſuperſit locus aliis rationibus & affectibus.

Vide in Indice Verbo *Indifferentia*, *Reſignatio*.

DIE XII. IANVARII.

DE TRIDVANA COMMORATIONE PVERI IESV DVODENNIS IN TEMPLO.

Remanſit Puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Senſitiuæ deuotionis ſubtractio, veræ & ſolidæ Deuotionis eſt probatio.

RATIO EST, Quia veræ & ſolidæ Virtutis tunc eſt probatio cùm neceſſitas & difficultas ſimul occurrunt in eius exercitio.
Sed ſubtracta deuotione ſenſibili, tunc neceſſitas & difficultas Deuotionis exercendæ ſimul occurrunt.
Ergo tunc veræ & ſolidæ eſt Deuotionis probatio; ac proinde fideliter exercenda eſt, exemplo Beatiſſimorum Parentum Ieſu quem à ſe ſubſtractum quærunt & inueniunt, in templo Ieroſolymitano.

I. PVNCTVM.

CVM factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Ieroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Videri poſſunt quæ plura referuntur ab Euangeliſta; & in vnoquoque eorum, tantum immorare, quantum deuotio retinebit, ac tandem peruolutis attenta mente omnibus, ſic tecum ſtatues, mirabilem hanc pueri Ieſu à parentibus inſciis ſeparationem, nihil aliud magis innuere quam ſubſtractionẽ illam Gratiæ & deuotionis ſenſibilis, quæ ſic nobis interdum ab Illo contingit, *ad probationem veræ & ſolidæ Deuotionis,* ſeu ad experimentum, vtrum vera ſit an ſolida noſtra deuotio. Quod certe maximopere eſt conſiderandum, vt quid tùm facto ſit opus, attente præuideamus.

Hoc itaque primum quod affertur ad propoſitæ Veritatis declarationem, diligenter expende, tunc eſſe veræ & ſolidæ virtutis cuiuſlibet probationem, quando neceſſitas & difficultas occurrunt in eius exercitio. Dicitur autem neceſſitas virtutis exercendæ, quando in contrarium abires vitium, oppoſitumque peccatum, niſi virtutem exerceres. Non eſt enim maior neceſſitas

Digitized by Google

Hom. 5. ad popul. quam non peccare, nam ipſa vitæ degendæ neceſſitas illi cedit. *Vna eſt ineuitabilis neceſſitas, Deum non offendere,* inquit ſanctus Luc. 10. Ioannes Chryſoſtomus, *Imo hoc vnum neceſſarium,* de quo Chriſtus Dominus, cum in fuga peccati potiſſimum conſiſtat noſtra ſalus, diuinuſque cultus.

At vero cum tantæ neceſſitati iungitur difficultas exercendæ actu & reipſa virtutis, Vndecumque tandem difficultas proueniat, tunc maxime dicitur probari virtus, an ſit vera & ſolida, quia tentatur & ſolicitatur animus ex diuerſa parte ad virtutem & vitium. Neceſſitate virtutis excitatur ad eius exercitium, ſed eiuſdem difficultate, inde auocatur. *Tribulatio, ſeu difficultas,* in- Rom. 5. quit Apoſtolus, *patientiam operatur, patientia autem probationem.* Quod & ſanctus Iacobus paulo expreſſius, *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes quod* Iacob. 1. *probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Id eſt, ſic oſtendentes veram & ſolidam veſtram virtutem, cuius probandæ Iudith 8. cauſa, permittuntur tentationes. *Memores ſint,* aiebat ſuis Iudith, *Quia tentati ſunt patres noſtri vt probarentur, ſi verè colerent Deum ſuum.* Expende illud *vere.* Nam in eo totus Dei cultus, & tota virtus, cum alioquin nihil niſi ſuperſtitio & ſpecies adumbratæ pietatis. Illudque eſt quod hîc quæritur, vtrum verè an ficte, vtrum certò an falsò colatur Deus. Quod cum probet & 2. Cor. 13. declaret difficultas, vide quomodo contra decertes, *Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide,* aiebat Apoſtolus: ſi eſtis in charitate, in patientia & aliis Virtutibus: *ipſi vos probate.*

II. PVNCTVM.

SED ſubſtracta Deuotione ſenſibili, neceſſitas & difficultas veræ & ſolidæ Deuotionis, ſimul occurrunt.

Quæ ſit deuotio ſenſibilis aut que eius ſubſtractio, diſce ex his Serm. 54. in Cantic. ſancti Bernadi verbis. *Sane ab heri & nudiuſtertius, inuaſit me languor iſte animi & mentis hebetudo, inſolita quædam inertia ſpiritus. Currebam bene, ſed ecce lapis offenſionis in via, impegi & corrui: ſuperbia inuenta eſt in me, Dominus declinauit à ſeruo ſuo. Hinc iſta ſterilitas animæ meæ, & deuotionis inopia quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum eſt ſicut lac, factum eſt ſicut terra ſine*

Digitized by Google

ſine aqua, nec compungi ad lachrymas queo, tanta eſt duritia cordis. Non ſapit pſalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes ſolitas non inuenio. Vbi illa inebriatio ſpiritus? vbi mentis ſerenitas & pax & gaudium in Spiritu ſancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias ſomnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, lingua & gula indulgentior, ſegnior, obtuſiorque ad prædicationem. Heu omnes montes in circuitu meo viſitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Quid me aliud putem quam vnum de montibus Gelboe, quem præterit in ira & indignatione ſua Ille cæterorum omnium, benigniſſimus viſitator.

Similia quædam & plura habet Caſſianus, cæterique Patres aſcetici atque illius verſiculi interpretes: *Dormitauit anima mea præ tædio.* Ex quibus ſatis patet quanta ſit eo tempore neceſſitas veræ & ſolidæ deuotionis; Nam cum oppoſitum vitium inuaſerit penitus animam, & ita quodammodo constrictam teneat, vt vix ſe contra mouere poſſit; quibus armis, quibus præſidiis ſeſe tandem à vitio tutabitur, niſi tam certa ſolidaque ſit deuotio, vt nullis cedat impugnationibus, & contrà potius ex infirmitate fiat robuſtior?

4. Collat. c. 2. lib 10. de Acedia. Pſ. 118.

Quanta ſit vero diffiultas ſic ſecum decertandi, quis non videt? quis non ſentit? Cum ipſi feruentiores & ſanctiores vix pares ſint certamini, & tantùm non deficiant, tantùm non cedant; *Ecce Gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis*, inquit Beatus Iob: Quaſi diceret, ipſi fortiores tùm ingemiſcunt præ difficultate; quid alij debiliores? Vbi duo aduerte in illa voce *gemunt*, primum illud quod dictum eſt, vt ſignificet difficultatem quam ſentiunt robuſtiores quique. Secundum, vt indicet illos certare qui ita gemunt in difficultate; nam qui cedunt, non gemunt: & qui non gemunt, ſatis indicant ſe difficultati ceſſiſſe. O quam multi hoc errore deluduntur, vt putent vel non licere ſibi gemere in difficultatibus; vel ſi gemant non poſſe difficultates frangere. Permittit Naturæ Gratia ſuos gemitus, ſi natura concedat Gratiæ, ſuos effectus.

Iob. 26.

LII. PVNCTVM.

S*ENSIBILIS igitur deuotionis ſubſtractio veræ & ſolidæ deuotionis eſt probatio*; Quia tum duo illa ſimul concurrunt ex quibus certa probatur virtus, nempe neceſſitas & difficultas, quæ

ſic in diuerſa rapiunt animum, vt ſi quis tum fidelis ſit, vere ſoli-
Geneſ. 22. deque deuotus cenſeatur. *Nunc cognoui,* dicet Dominus, ſicut de Abrahamo, *Quod vere colis Deum.* Id eſt, ex illa fidelitate quam ſeruaſti in tali occurſu neceſſitatis & difficultatis, cognoſcendum te præbuiſti, qualis eſſes, an vere coleres Deum. Sic beatiſſimi parentes Pueri Ieſu, veros ſe probauere parentes, & veros Dei cultores. Ita dolent ſubſtractione filij, vt ex illo dolore nihil inordinatum cogitent. Neque impatientes ſint in damno quod inde ſentiunt, neque negligentes in eo reparando; Non plus affectant quàm poſſunt, neque quod poſſunt deſerunt; Inquirunt diligenter, ſed quiete: Conſeruant animi tranquillitatem, ſed ſimul etiam debitam ſeruant ſolicitudinem. Soliciti ſunt ſine perturbatione, & imperturbati ſunt ſine deſidia. Euitatis vtrimque extremis, in medio ſemper conſiſtunt, vt neque plus neque minus agant, quam ſibi agendum putent. Sic Sapientia quæ in
Prou. 8. illis tota reſidebat, *Meum eſt,* inquit, *conſilium, & æquitas: mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo: In viis iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij.*

Tu è contra quid pecces audi ex libello nunquam deponendo:
3. de Imit. Ch. c. 6. *Propter modicam contrarietatem deficis à cœptis, & nimis auide conſolationem quæris. Fortis amator ſtat in tentationibus, nec callidis credit perſuaſionibus inimici. Affectus ille bonus & dulcis quem interdum percipis, effectus gratiæ præſentis eſt, & quidam prægustus gratiæ cœleſtis, ſuper quo non nimis innitendum, quia vadit & venit. Certare autem aduerſus incidentes malos animi motus, ſuggeſtioneſque ſpernere diaboli, Inſigne eſt virtutis & magni meriti.*

Vide integrum caput, & ſic defectus tuos agnoſce, vt eos corrigas: ſic vero corrige, non vt alios in defectus mutentur, quod ſæpe tibi accidit; ſed vt muteris in alium, quod raro fit.

EODEM DIE.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Nemo iam Chriſtum amittit, niſi qui dimittit.

Vel, vt habet S. Ambroſius.

In Luc c. 5. Nemo tibi Chriſtum auferre poteſt, niſi te illi auferas.

Digitized by Google

RATIO EST, *Quia nemo tibi Chriſtum auferre poteſt, niſi velis. Vel, Nemo iam Chriſtum amittit, niſi ſua culpa.*

Sed ſi velis Chriſtum tibi auferri, tu te illi aufers. Vel; Qui ſua culpa Chriſtum amittit, ipſum dimittit.

Nemo igitur tibi Chriſtum auferre poteſt, niſi te illi auferas. Et iam nemo Chriſtum amittit, niſi qui dimittit.

QVÆ quidem omnia tam plana ſunt & aperta, vt ſint ſolum termini proponendi. Nec illud etiam obſcurum eſt quàm ſit pauendum & cauendum, ſic à te Chriſtum dimittere; ſic tibi Chriſtum auferre. *Quid inuenerunt in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt poſt vanitatem: & vani facti ſunt.* Ier. 2.

EODEM DIE,

DE MANSIONE NAZARETHANA:

ET SVBIECTIONE D. IESV, VSQVE AD ANNVM TRIGESIMVM.

Et erat ſubditus illis. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Niſi te ſubdas Deo, Deum tibi ſubdis.

RATIO EST, *Quia niſi te ſubdas Deo, tuam potius quam Dei voluntatem facis.*

Sed ſuam potius quam Dei voluntatem facere, eſt ſibi Deum ſubjicere.

Ergo niſi te ſubdas Deo, Deum tibi ſubdis: Quod cum ſit horrendum dictu, & facto etiam magis execrandum, potens eſt motiuum ad nos perfecte Deo ſubjiciendos.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

Luc. 2. AB anno duodecimo Chriſti Domini, atque ab ipſius reditu Ieroſolymitano in Nazareth, pauca hæc de illo referuntur; *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. Et Mater eius conſeruabat omnia verba hæc, in corde ſuo. Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* In quibus illud ſupra omnem hominum atque Angelorum admirationem eſt, quod eſſet ſubditus illis. Expende ſingillatim omnia. Quis, quibus, quamdiu, quo fine, quomodo, & in quo illa eſſet ſubiectio; Nempe in arte fabrili, & in omnibus obſequiis domeſticis, quaſi ille ſeruus eſſet, Ille qui eſt vniuerſorum Dominus, *Nonne hic eſt fabri filius? Nonne hic eſt faber, filius Mariæ?* dixerūt Iudæi poſtea cum primùm prædicare cœpit. (Math. 13. Marc. 6.)

O mundi Architectum & fabricatorem vniuerſi, quò te deuexit mea ſuperbia, vt in anguſtias fabrilis officinæ deſcenderes, nec aliud per duodeuiginti annos continuos, quàm illud vile officium, ad vnius hominis directionem & imperium, exerceres! Certe niſi diſcamus ſubjici, & humiliari hoc exemplo, vere de nobis illud ſapientis aſſeretur; *Omnes inſipientes & infælices ſupra modum animæ ſuperbi.* Quod quidem manifeſte patebit ex Veritate propoſita, ſi attente conſideretur; Quid enim inſipientius & infœlicius quam velle Deum ſibi ſubjicere? *At niſi te ſubdas Deo, Deum tibi ſubdis.* (Sap. 15.)

Ratio eſt plana & facilis; Nam niſi te ſubdas Deo, tuam potius quàm Dei voluntatem facis; Quid planius? ſicut enim noſtra ſubiectio conſiſtit in voluntate Dei facienda, ſic noſtra rebellio ſeu noſtræ ſubiectionis defectus, nihil eſt aliud quam diuinæ illius voluntatis neglectus. *Vſquequo non vis ſubjici mihi?* Nonne hoc perinde eſt ac ſi diceret, vſquequo non vis quod volo facere? O qualem Dei Domini Bonitatem! Hoc à creatura petere, hoc à ſeruo poſtulare! (Exod. 10.)

II. PVNCTVM.

SED *ſuam potius quàm Dei voluntatem facere, eſt Deum ſibi ſubjicere,* Nam Deus & diuina eius Voluntas ſunt vnum &

Digitized by Google

idem; vnde aptè ſanctus Auguſtinus: *Quantum Deus diſtat ab homine, tantum Voluntas Dei à voluntate hominis:* ac proinde ſi tibi ſubjicis diuinam voluntatem, ſubjicis tibi Deum. At vero cum tuam potius quam Dei voluntatem facis, nonne tùm tibi ſubjicis diuinam illam Voluntatem? Nonne ergo tum etiam tibi Deum ſubdis? Nec aliter Chriſtus Dominus dicitur fuiſſe ſubditus ſuis parentibus, niſi quod ad eorum voluntatem ſe totum faceret? Neque ſe ipſe Deo Patri aliter ſujiciebat, niſi quod non ſuam ſed Patris voluntatem ſpectaret in omnibus, ſicut ipſe toties profeſſus eſt: *Non quæro*, inquit, *voluntatem meam ſed eius qui miſit me. NON ſicut Ego volo, ſed ſicut tu. Non quod ego volo, ſed quod tu. Non mea volontas, ſed tua fiat.* Hoc eſt ſe Deo ſubjicere. Tu vero qui contraria prorſus deſideras, Tu qui tuis deſideriis Deo contradicis, ac perinde Deo dicis, Non quod tu vis, ſed quod volo; Non tua ſed mea voluntas fiat; Quid hoc eſſe dices, niſi te tibi Deum ſubjicere?

In Pſ. 31. Conc. 1. *Ioan. 5.* *Math. 26.* *Marc. 14.* *Luc. 22.*

III. PVNCTVM.

NISI ergo te ſubdas Deo, *tam manifeſte tibi Deum ſubdis, quàm manifeſte tibi ſubdis eius volontatem, cui tuam præfers, hoc ipſo quo te illi non ſubdis*; Cum nihil aliud ſit ſubiectum illi eſſe vel non ſubiectum, quam voluntatem eius facere vel non facere. *Neſcitis*, inquit Apoſtolus, *Quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis?* Quaſi diceret, an ignoratis quod eſt tam manifeſtum vt omnes videant, hac notâ ſeruum alicuius & ſubiectum deſignari, ſi obediat eius voluntati? Non poteſt quidem homo ſic negare ſuam ſeruitutem & ſubiectionem Deo, vt ſe penitus retrahat à diuina voluntate, nam ſi recedit ab vno voluntatis ordine, cadit in alium, vt docet omnes ſancti Patres, ſicque non ita Deo reſiſtitur, quin fiat ocyus ſerius quod abſolute velit: Sic enim Ille, *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Quando tamen peccas, aut quando citra graue peccatum, vel etiam ſi nulla forte videretur ineſſe culpa, quando te à diuina Prouidentia ſubducis, ſic te ab aliqua eius voluntate retrahis, ſicque velles Deum ſe potius ad tuam voluntatem accommodare, quam tu ad ipſius nutum & ordinationem: quod eſt tam vere tibi ſubjicere Deum, quam vere illi ſubiectus eſſes, ſi

Rom. 6. *Iſ. 46.*

Digitized by Google

Iſ. 43. non tuam, ſed Ipſius magis ſpectares voluntatem. *Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis,* Vix ſine peccato talis ſubſtractio fieri poteſt; & quando in tali peccato nihil aliud graue eſſet quam ſic ſe à Deo retrahere, ſic ſibi Deum ſubdere potius, quam te illi; Nonne hoc eſſet ſatis graue & deplorandum? Si quòd Chriſtus ſuis eſſet ſubditus, tam mirum videtur & alienum à diuina eius Maieſtate: Quid, quod Ille tibi ſubdatur? Ille tibi in concupiſcentiis, & in peccatis tuis! O quàm longe magis ſtupendum! ſiue Eius Bonitatem, ſiue tuam ſpectes audaciam.

Sic itaque pro præterito confundere, vt ad futuram ſubiectionem ſis cautior, illudque Dauidis ad filium ſuum, tibi proponas; *Fili mi, ſcito Deum patris tui, & ſeruito ei corde perfecto,*
1. Par. 28. *& animo voluntario, omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit: ſi quæſieris eum inuenies: ſi autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.*

Vide Verbo *Seruire, Diſcipulus, Obedientia.*

DIE XIII IANVARII,

QVÆ EST OCTAVA EPIPHANIÆ.

DE BAPTISMO CHRISTI DOMINI.

Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem Iuſtitiam. Matth. 3.

VERITAS PRACTICA.

Exemplo ſuo Chriſtus Dominus, nos magis vrget quàm imperio.

RATIO EST, Quia quò ſe Superior magis demittit ad inferiorem, vt eum prouocet ad aliquid, eo magis vrgetur inferior ad illud præſtandum.

Digitized by Google

Sed Chriſtus Dominus, cùm exemplo ſuo nos prouocat ad ſui Imitationem, magis ſe demittit, quam ſi illud ipſum quod facit, imperaret.

Ergo nos exemplo ſuo magis vrget quam imperio: Proindeque in ijs etiam quæ non ſunt ex præcepto, fideliſſime eſt imitandus.

I. PVNCTVM.

QVÆ de ſancto Ioanne Baptiſta referuntur ab Euangeliſtis, poſſent aliquantiſper cogitari; tùm vero hæc diligentius quæ de baptiſmo Chriſti Domini: *Tunc venit Ieſus à Galilæa, in Iordanem, ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo; Ioannes autem prohibebat eum, dicens, Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me! Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Sine modo, ſic enim decet nos implere omnem Iuſtitiam, tunc dimiſit eum. Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua: & ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cælis dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Math. 3.

Ex quibus cùm multa poſſint ad profectum elici, tum illud verò quod fecit & quod dixit Dominus, *Sic nos decet implere omnem Iuſtitiam:* vt nos exemplo ſcilicet ſuo prouocaret ad perfectionem, ſiue ad ea fideliter præſtanda quæ ſunt tantum conſilij & non præcepti. Neque enim hic ſolum ad baptiſmum qui eſt ex præcepto ſuſcipiendus, nos excitat, ſed ad alia quæuis non præcepta, quæ nomine, *Omnis Iuſtitiæ adimplendæ* comprehendit, ſicut & ipſe baptiſmum ſuſcepit, ad quem nulla eum neceſſitas obligabat.

Atque hinc excellens illa Veritas, & valde potens ad multa quæ non tam præcipiuntur quam conſuluntur, *Exemplo ſuo Chriſtus Dominus nos magis vrget quam imperio.*

Ratio eſt valde familiaris; nempe id vſu quotidiano diſcitur, quò ſe Superior magis demittit ad inferiorem, vt eum prouocet ad aliquid, eò magis vrgetur inferior ad illud præſtandum, cùm præcipue poſſet Superior pro iure ſuo imperare, & inferiorem cogere ſub grauiſſimis pœnis: tùm ſi non imperet, ſed potius roget: ſi pœnarum loco proponat præmium, aut ſi denique aliquid

longius remotum à ſua dignitate non dedignetur; tunc certe inferior, aut duriſſimæ ceruicis eſt, aut flectetur tanta ſuperioris demiſſione; Neque enim generoſus animus ſe vinci benignitate patitur, ne dum ab inferiori, aut à pari, quanto minus à ſuo Superiore. Hinc eſt illud Eccleſiaſtici valde notandum, *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, & plantauit humiles ex ipſis gentibus.* Pergitque pluribus Sapiens oſtendere eos duces vel reges qui cum manſuetudine & humilitate ſubditos ſuos regerent, longe apud illos plus valuiſſe, quam ſuperbos & efferatos.

Eccleſi.10.

Luc.15. Indignabatur foris, filius ſenior quod Pater fratrem ſuum iuniorem à luxu & à meretricibus reuertentem liberaliùs excepiſſet; tum vero Pater domo egreſſus *cæpit rogare illum*, & ſtatim ſedatus eſt. Nonne ſic regi malles manſuetudine quam rigore? ſed itane tuos regis, ſi quos habes regendos?

II. PVNCTVM.

SED *Chriſtus Dominus cùm exemplo ſuo nos ad ſui imitationem prouocat, magis ſe demittit, quam ſi illud ipſum quod facit, imperaret.* Hoc eſt enim ſuperiorem ſeſe magis demittere, quando quod ſuperior facit, magis eſt alienum, magis remotum, magis infra dignitatem illius qui ſe ita demittit. Eſt autem manifeſtum quod præire nobis exemplo ſicut præiuit Chriſtus in Natiuitate, in baptiſmo, & in reliquo vitæ curſu, longe magis remotum eſt & diſtans à ſumma eius dignitate, quàm imperare illa ipſa, quibus ad exemplum noſtrum abſtinuit, aut quæ ſuſtinuit. Nam imperare proprius actus eſt Dominationis, & Excellentiæ; obedire vero & humiliari, ſeruitutis, & abiectæ conditionis. Vnde quantùm dominatio & ſeruitus, quantùm excellentia & abiectio, longe inter ſe diſtant; tàm procul & remote à ſe ipſo, ſe Chriſtus demittit, cum ad illa infima & abiecta deſcendit, quæ mauult facere, & facto ſuo nobis commendare, quàm imperare.

Iſ. 28. Hinc forte dictum à Propheta; *Vt faciat opus ſuum, alienum opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.* Quaſi diceret, opus proprium Chriſti Regis, & Domini eſſet imperare, & imperando nos regere: at vero aliena ſunt ab eo, & peregrina illa, quæ ad nos inſtruendos prælegit. Atque illud eſt quod Apoſtolus

Digitized by Google

Apoſtolus tantopere de Chriſto Ieſu prædicat, *Qui cum in forma* Phil. 2.
Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Et quæ plura illic ſequuntur, non minus ad affectum ardentia, quam ad intellectum clara vt videas quò ſe vſque demiſerit qui ſe noſtrum exemplar fecit. Ah quoties vel videre diſſimulaſti, vel vidiſſe nil profuit?

III. PVNCTVM.

S*IC nos igitur Chriſtus Dominus exemplo ſuo magis vrget quàm imperio*; Non modò quia inferiorem pudet non facere quod Superior facit, ſed quia Superioris demiſſio & humanitas quæ in exemplo dato magis lucet quàm in imperio exercito, tantam vim habet in animis hominum, vt qui alioquin forte reſiſterent imperio, cedant exemplo. Irritatur lege & præcepto concupiſcentia, vt fuſe probat Apoſtolus: at emollitur exemplo & gra- Rom. 7.
tia. Hæc eſt *lingua tertia quæ* vt eſt in Eccleſiaſtico, *multos com-* Eccleſ. 28.
mouit. Prima lingua eſt conceptus mente formatus; ſecunda eſt verbum quo conceptus exprimitur; tertia vero eſt factum ſeu exemplum, quod longe magis mouet quam verbum. Sic de Chriſto, poſtquam propheta dixit, *Et factus eſt principatus ſuper* Iſ. 9.
humerum eius, paulo poſt addit, *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis*, id eſt, magis ſe oſtendet principem & ducem exemplo quam imperio aut præcepto, neque tamen propterea minus erit imperium eius, imo inde augebitur, & à multò pluribus tranquille coletur, & pacifice.

Hoc Chriſtus ſtimulo ſuos imprimis vrgebat; *Scitis*, inquit, Ioan. 13.
quid fecerim vobis: Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim: ſi ergo laui pedes veſtros, Dominus & Magiſter; & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, non eſt ſeruus maior Domino ſuo, neque Apoſtolus maior eo qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.

Obſerua hæc poſtrema verba, non beatum dicit qui ſciat, ſed qui faciat, vnde tu vide quam multa ſcias, & pauca facias; Vide quàm parum ſinas te moueri tot exemplis quæ quotidie contemplaris. Vide quàm ſit ferreus quem tanta non emollit & vrget Charitas, tanta humilitas, tanta manſuetudo, & aliæ virtu-

Lib. 3. de Imit. Chr. c. 18. tes ad imitandum propoſitæ. *Heu quanti longe retróque manerent niſi tua præclara exempla inſpicerent; Ecce adhuc tepeſcimus auditis tot ſignis tuis, & doctrinis! Quid fieret ſi tantum lumen ad ſequendum te non haberemus.* Lege integrum caput notatum; & illud familiare habeto in omnibus: Itáne Chriſtus fecit? Aut ſicut ſi has Chriſti voces audires: *Sequere me. QVI mihi miniſtrat, me ſequatur:* Quid ageres? Quid reſponderes?

Vide, Verbo *Exemplum, Imitatio.*

DIE XIV. IANVARII.

Niſi forte ſit Dominica ſecunda, poſt Epiphaniam; Quæ dùm occurret, illi ſtandum, prætermiſſis aliis.

DE SOLITVDINE CHRISTI DOMINI
PER QVADRAGINTA DIES IN DESERTO.

Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum; Et erat in deſerto, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, eratque cum beſtiis. Marc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Ex lib. 1. de Imit. Chr. c. 20. Nemo ſecurè apparet, niſi qui libenter latet.
Nemo ſecure loquitur, niſi qui libenter tacet.

RATIO EST, Quia nemo ſecure apparet aut loquitur, niſi qui bene tutus eſt à damnis linguæ, & humanæ conuerſationis, quantum quidem cum Gratia ſe tueri poteſt.

Sed nemo ab his damnis bene tutus eſt niſi qui libenter latet & tacet.

Ergo etiam Nemo alius ſecurè apparet aut loquitur. Ac proinde quàm expediat latere & tacere, patebit euidenter.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

SI quid eſt ſtupendum in vita Domini Ieſu, Illud eſt maxime, quod cùm homo factus eſſet vt inter homines conuerſaretur & ad ſe conuerteret, cùm is eſſet finis aduentus eius in hunc mundum, cùm tantus inde fructus in eos omnes quibuſcum verſaretur, redundare poſſet, cùm eius eſſent *deliciæ ſic eſſe cum filiis hominum*, cùm nihil inde mali eſſet quod ſibi metueret; Tam tarde tamen, tam modicum, & tanta cum præcautione conuerſatur cum hominibus, vt alienum ab eius fine atque inſtituto id prope videretur. En triginta totos annos in ſolitudine Nazarethana ponit! En quadraginta iterum dies integros in deſerto ſolus cum beſtijs degit! & ex tribus annis qui ſuperſunt ad docendum & viuendum cum hominibus, quàm frequenter ſeſe à cœtu & turbis ſegregabit! Quàm ſæpe ſolus in montes ſecedet, ſiue oraturus patrem, ſiue tantum ab omni humano conſortio quieturus!. *Prou. 8.*

Quid eſt Domine Ieſu? Quid ita moraris loqui & prædicare? Cur non ab ipſo primo Natiuitatis die theſauros ſapientiæ abſconditos aperuiſti? Cur non ſaltem duodennis cum primum apparere & loqui cœpiſti? aut certe cum adoleſcentiæ metas exceſſiſti? Cur te ita contines? Cur mundum tamdiu tuo priuas ſermone, tuo congreſſu deſtituis? Ah qualem oportet eſſe cauſam tui ſilentij & ſolitudinis, cum tam multæ viderentur eſſe rationes tuæ manifeſtationis, ac humanæ conuerſationis? Sed ſic oportebat me erudiri tuo ſilentio, ſic me doceri tua ſolitudine, vt timerem apparere inter homines, vt vererer loqui; ac denique vt diſcerem quod ille pius expreſſit Author, qui dixit, *Nemo ſecure apparet aut loquitur, niſi qui libenter latet & tacet.*

Hoc eſt modò perpendendum, & exemplo Chriſti iungenda eſt Ratio qua id declaratur, & quæ tota fundatur in præcauendis illis periculis imminentibus & grauiſſimis damnis, quæ nobis impendent à lingua & à conuerſatione. Hoc eſt enim ſecure apparere & ſecure loqui, quaſi vnum & idem quod tutum eſſe ab his damnis, à quibus ſi nemo tutus eſt & contrà præmunitus, nemo ſecure apparet aut loquitur, ſicut nemo ſe hoſti aut bello ſecure exponit niſi armis inſtructus: cum alioquin vt ait Sapiens, *Qui*

Digitized by Google

Eccleſ. 3. *amat periculum, peribit in illo.*

Eſt autem duplex genus periculi ſeu damni ex humana conuerſatione impendentis, nempe à nobis, & ab aliis loquentibus. Cauendum eſt ori & auri; de quo duplici periculo ſic aperte & Eccl. 13. grauiter Scriptura nos præmonet, *Caue tibi, & attende diligenter* Prou. 18. *auditui tuo, quoniam cum ſubuerſione tua ambulas. MORS & vita in* Ib. 25. *manu linguæ. SICVT vrbs patens & abſque murorum ambitu, ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Denique cum his ſimilibus abundent ſacræ paginæ, vel ex vno Eccleſiaſtici lo- Eccleſ. 28. co, quæ alia reticentur, facile poſſunt intelligi: *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuit oſſa. Multi ceciderunt in ore gladij, ſed non ſic quaſi qui interierunt per linguam ſuam. Iugum illius, iugum ferreum eſt, & vinculum illius, vinculum æreum eſt. Mors illius mors nequiſſima, & vtilis potius infernus quam illa: qui relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis & non extinguetur, & immittetur in illos quaſi leo, & quaſi pardus lædet illos. Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia & ſeras. Aurum tuum & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos, & attende ne forte labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem.*

Videſne damna? videſne pericula? videſne teipſum ibi periclitantem? videſne quàm nemo ſecurè loquitur, niſi qui ſe tutum ab illis damnis & ſecurum facit? Certe ſi non vides, tantò eſt tibi periculoſius?

II. PVNCTVM.

SED *nemo ab illis damnis & periculus bene tutus eſt, niſi qui libenter latet & tacet.*

Certum eſt quod quamdiu quis latet, ſecurus & tutus eſt, ſed quia loquendum eſt, & conuerſandum inter homines, is dicitur cum diuina gratia magis tutus ab illis damnis & periculis qui libenter latet & tacet: Primò, quia non ſe exponit periculo, ſicut alius qui propenſus eſt ad loquendum. Nonniſi ex neceſſitate, vel charitate, aut alia legitima cauſa impellente, apparet & loquitur, qua in occaſione credibilius eſt Deum magis illi affuturum ne labatur, aut ne periclitetur, quam alteri qui ſe periculo exponeret.

Digitized by Google

Cum enim vt ait S. Iacobus, *Linguam nullus hominum domare poſſit, inquietum malum, plenam veneno mortifero*, plane opus eſt ſingulari Dei auxilio, quod ſicut non deeſt in neceſſitate loquendi, ſic extra neceſſitatem, quis ſibi auſit promittere? quis hoc præſumere? quid? tibi vt nugas agenti adſit Deus! tibi vt otioſa, vt ludicra, curioſa, mundana, & vana pertractanti, ſic auxilietur Deus ſicut ſi religioſe, ſi nonniſi neceſſariò, nonniſi ex ratione & debito muneris, ſeu officij tui: nonniſi ex obedientia & charitate loquereris? Caue id præſumas, ne ſimilem tui facias Deum, & blaſphemes. Audi enim vt loquitur, *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos: ſedens aduerſus fratrem loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Iac. 3. Pſ. 49.

Deinde vero cum diuinæ Gratiæ ſit cooperandum ex parte noſtra, quis poteſt certius dici cum illa cooperari ad loquendum quam qui minus propenſus eſt vt loquatur, ſine illa inuocata, ſine illa obtenta? *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Hoc dicit omnis qui libenter tacet; At vero alius, *Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?* Id eſt, reipſa ſic ſe gerit quaſi hoc diceret, nullam habet rationem neceſſitatis gratiæ, nullam curam aut cogitationem Dei adiuuantis, ne forte nimis conſtringatur, & minus liber ſit ad loquendum. *Labia doloſa in corde & corde loquuti ſunt: diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa: qui dicunt, labia noſtra à nobis ſunt.* Pſ. 140. Pſ. 11. Ibid.

Denique, quantumcumque etiam diuinam opem imploraſſes, niſi ſis in loquendo conſideratus & attentus, vix te à periculis & damnis redimes; at vero niſi libenter taceas, libido loquendi oppoſita, omnem attentionem & conſiderationem plane exhaurit; & illud tandem accidit quod ſæpius Scriptura monet, *Vidiſti hominem velocem ad loquendum? ſtultitia magis ſperanda eſt, quàm illius correctio.* Cùm è contra, *Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.* Tota malitia eſt in illa profuſione loquendi, quam nemo continet niſi qui libenter latet & tacet, ac proinde nemo alius tutus ab illis damnis, quæ in loquendo incurruntur. Nonne id toties expertus & confeſſus es? Iterumne oportet te in pericula & detrimenta conjicere, vt ſcias damno tuo eſſe pericula? Satius eſſet ſcire alieno, & ſapere. Prou. 29. Eccli. 19.

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

NEMO *igitur ſecurè apparet, niſi qui libenter latet: Nemo ſecure loquitur, niſi qui libenter tacet:* Nam nemo ſecure apparet aut loquitur, niſi qui tutus eſt ab illis damnis quæ à lingua importantur: Nemo autem ſecurus eſt niſi qui libenter tacet & latet. Sic apte Rex Propheta, *Timor & tremor venerunt ſuper me,*
Pſ. 54. *& contexerunt me tenebræ, & dixi, quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Ecce elongaui fugiens & manſi in ſolitudine.* Eſt ſolitudo non modo corporis, ſed etiam cordis de
Iob. 3. qua præclare ſanctus Gregorius, ad illa verba Iob: *Cum Regibus & Conſulibus terræ qui ædificant ſibi ſolitudines*; Rurſumque ad
Ibid. 39. iſta Domini, in eodem libro, *Cui dedi in ſolitudine domum.* Hanc vtramque ſolitudinem paucis videtur comprehendiſſe Sapiens
Eccli. 32. cum dixit; *In multis eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul & quærens; In medio magnatorum non præſumas,* Et poſt pauca; *Præcurre prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo ſuperbo.*

Mirum quod dixit Seneca, *Quoties inter homines fui, minor homo redij*; ſed magis mirum, quod hoc teſtimonium tanti facit diuinus author libri de Imitatione Chriſti, vt hoc vnum & alterum ex Paganis referat. Vide libri primi caput vigeſimum, & vigeſimum primum, ex quo illud eſt aureum & diuinum, *Quando homo eſt perfectè compunctus, tunc grauis & amarus eſt ei totus mundus.* Tu forte nimis effuſus es; & nimis timenda tibi hæc maledi-
Geneſ. 45. ctio: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* Hæc tibi eſſet apta compunctionis materia.

Vide Verbo *Recollectio. Silentium. Lingua. Conuerſatio.*

DIE XV. IANVARII.

NISI SIT DOMINICA.

DE TENTATIONIBVS DOMINI.

Digitized by Google

Erat in deſerto, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana. Mar. 1. Math. & Luc. 4.

VERITAS PRACTICA.

Nemo periculoſè magis tentatur, quàm qui ſe non putat tentatum.

RATIO EST, Quia cùm totum tentationis periculum ſit in conſenſu præbendo, nemo periculoſe magis tentatur, quàm qui magis periclitatur conſentire tentationi.

Sed nemo magis periclitatur conſentire, quàm qui ſe non putat tentatum.

Ergo nemo alius periculoſe magis tentatur: Ac proinde proſpectandum vnicuique ſuum periculum, & deponenda illa vana præſumptio, qua quis ſe non putat tentatum, niſi forte cum ſentit grauiores moleſtias.

I. PVNCTVM.

CONSIDERANTI attentius quæ in Euangelio habentur de tribus Domini tentationibus, duo quædam occurrunt ex æquo mira. Primum eſt, audacia Tentatoris, qui non vereatur aggredi Dominum Ieſum. Alterum eſt Bonitas ſeu facilitas ipſius Domini, qui non modo patienter audiat Tentatorem, eique reſpondeat: ſed & patiatur ſe ab eo tangi, ſe ab eo portari & transferri de monte in montem; atque etiam quod horrendum eſt dictu, ſe ſolicitari ad ipſum adorandum! *Hæc omnia,* inquit, *tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* *Math. 4.*

O quis ſe tutum à tentatione audebit dicere, cum ipſe Dominus ſe permittat tentari, vt omnes intelligant, quam ſit ſibi cauendum ab hoc aduerſario, *Qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Et tamen quàm pauci propterea ſibi attendunt & vigilant! Imo quàm multi ſe tentari non putant, quaſi id iam *1. Pet. 5.*

Digitized by Google

ſolis Religioſis aut Nouitiis relictum eſſet opus. Itane vero non tententur? *Imò illi maximè omnium & periculoſiſſimè tentantur, qui ſe non putant tentari.*

Quod certe eſt conſideratione digniſſimum,& ad vigilantiam noſtram excitandam imprimis ſcitu neceſſarium. Sic autem facile declaratur: Nam cum tentationis periculum & damnum in hoc vno verſetur, ſi tentationi conſentias: profecto illi dicendi ſunt periculoſiùs tentari qui euidentius periclitantur conſentire; ſeu qui euidentiori viuunt in periculo conſentiendi motibus cuiuſcumque tentationis. *Vigilate & orate*, inquit Dominus, *vt non intretis in tentationem*. *NON ne tentemini, ſed ne tentatione ſuperemini*, ait ſanctus Hieronymus. Et cum petimus à Deo ne nos inducat in tentationem, *Non petimus*, inquit S. Auguſtinus, *vt non tentemur, nemo enim ſine tentatione probatur, ſed ne inferamur in tentationem.* Id eſt, ne ſuccumbamus, neue illi conſentiamus; in quo conſenſu totum eſt periculum, totum eſt damnum. *Illumina Domine oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, praualui aduerſus eum.* O quoties iam id dixit!

Math. 26. *Ibid. 6.* *Pſ. 12.*

II. PVNCTVM.

SED *nemo magis periclitatur ſic tentationi ſuccumbere, quàm qui ſe non putat tentatum.*

Nam cùm reuera tentetur, vt paulo poſt demonſtrabitur, ſi non reſiſtat tentationi, nonne illi cedet & conſentiet? At quomodo illi reſiſtet, ſi ſe non putat tentatum? Quomodo quis aduerſarium repellet, aut cum illo confliget, ſi non putat ſe habere aduerſariũ, aut ſibi cum eo eſſe confligendum? Nonne ergo ſuccumbit? nonne ſaltem verſatur in euidenti periculo ſuccumbendi? Nec dicas dæmonem non videri, nec ſemper percipi quandonam nos expugnet & tentet, ac proinde non eſſe mirum nec capitale, ſed potius excuſandum ſi ſuccumbamus. Id enim ad excuſationem dici non poteſt, cum nemo legitime poſſit ignorare, quod eſt in religione Chriſtiana notiſſimum; imo & ipſis Paganis non ignotum, nullum eſſe hominem qui quamdiu viuit, non tentetur; Nam vt ait beatus Iob, *Militia eſt*, ſeu vt Septuaginta vertunt, *Tentatio eſt vita hominis ſuper terram.* Tentatio *ipſa militia eſt*, inquit ſanctus Gregorius, *quia contra malignorum ſpirituum*

Iob. 7. *lib. 8. Mor. c. 4.*

tuum inſidias vigilat, in bellorum procinctu proculdubio exudat. Ipſa autem hominis vita tentatio eſt, cui ex ſemetipſa naſcitur, vnde perimatur. Quæ etſi ſemper ex virtute ſuccidit quod ex infirmitate generat; ſemper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute ſuccidat. Humana vita tentatio eſt, vt etſi iam ab iniquitatis perpetratione compeſcitur: in ipſis tamen bonis operibus, modò malorum memoria, modò ſeductionis caligine, modò intẽtionis ſuæ interruptione fuſcetur.

Sunt quidem tempora, ſeu loca, aut negotia quibus grauiores poſſint ineſſe tentationes, ſed numquam deeſt ille qui vbique & ſemper inſidias ponit, qui idcirco *vocatur Diabolus & Satanas*, vt eſt in Apocalypſi, *quod ſeducat vniuerſum orbem*, per ſe, & per ſuos adminiſtros, quos Apoſtolus vocat *mundi Rectores tenebrarum harum*, qui non dormitant, non fatigantur, non cicurantur, non explentur. Accedit Mundus, ſeu obiecta quæuis extrinſeca, de quibus Sapiens; *Creaturæ Dei facta ſunt in odium, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* *Apoc. 12.* *Epheſ. 6.* *Sap. 14.*

Et quando illa omnia externa deeſſent, *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*, ait ſanctus Iacobus, vnde ſicut nemo viuit ſine concupiſcentia, ſic nemo viuit ſine tentatione. Hæc eſt caro ſemper concupiſcens aduerſus ſpiritum, hæc lex carnis ſeu membrorum ſemper repugnans legi mentis noſtræ. *Quid nequius*, ait Sapiens, *quàm quod excogitauit caro & ſanguis?* Quid porro cogitas, quid loqueris, aut quid aliud tractas quam quod caro & ſanguis excogitant, niſi contra pugnes & reſiſtas? *Moneris*, inquit Seneca, *perpetuam tibi cum vitiis imminere pugnam, cuius nulla ſit per diem, nulla etiam per noctem relaxatio. Vix enim ceſſant excubiæ aut deſunt voluptates quæ te infeſtent*. Plena his monitis ſacra Scriptura, pleni ſunt Patrum Codices: ſed homo Ethnicus fuit audiendus, vt Chriſtianus ſe excuſare non poſſit ſi neſciat quod ipſo naturæ lumine ſatis eſt notum, & ipſo communi ſenſu perſpectum: Vnde tandem id patet euidentiſſimè quod erat declarandum, de periculo in quo Ille verſatur qui ſe non putat tentatum, nempe cùm minus aduertat, facilius cedet tentationi & peribit: *Quaſi bos ductus ad victimam*, inquit Sapiens, *Et quaſi agnus laſciuiens, & ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta iecur eius: velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit quod de periculo animæ illius agitur.* Idemque poſtea luculentè; *Oculi tui videbunt extraneas, & cor* *Iac. 1.* *Gal. 5.* *Rom. 7.* *Eccli. 17.* *Lib. de prof. morũ.* *Prou. 7.* *Ibid. 23.*

tuum loquetur peruerſa, & eris quaſi dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clauo, dices, verberauerunt me ſed non dolui, traxerunt me & ego non ſenſi. Nonne hoc eſt periclitari? Nonne hoc eſt periculum tuum?

III. PVNCTVM.

NEMO *igitur periculoſe magis tentatur, quam qui ſe non putat tentatum*; Quia totum tentationis periculum in eo eſt vt quis tentationi conſentiat, nemo autem euidentius in eo verſatur periculo quàm ille miſer qui reuera tentatur ſicut alij homines, & tamen præter alios ſe putat non tentari; Sic enim non reſiſtit, non repugnat, non contradicit, ac proinde ſic ſuccumbit, & perit. O quam multi tales de quibus grauiter ſanctus Petrus:
2. Pet. 2. *Hi velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant, blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt percipientes mercedem injuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delicias*; Quaſi diceret, quod nos Chriſtiani vocamus tentationem & pericula, illi voluntariè ignorantes, & velut blaſphemantes, vocant ſuas voluptates & delicias: in quibus quanto magis ac-
1. Tim. 6. quieſcunt, tanto facilius pereunt. Hi ſunt *qui cum volunt diuites fieri, incidunt in tentationem,* inquit Apoſtolus, *& in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Quid clarius ad periculum indicandum? quid manifeſtius ad perditionem totius pene vniuerſi declarandam? Non enim dicit, qui ſunt diuites, aut qui diuitiis abutuntur, ſed tantum qui volunt diuites fieri; Nam illa voluntas & cupiditas eſt occulta tentatio quâ nullus ſe putat tentatum, & quá tamen omnes tentantur & pereunt, ſicut omnes volunt diuites fieri; Quis enim eſt in ſæculo & forte etiam in Monaſterio qui non velit eſſe diues? Quis tamen propterea ſe tentatum putat, aut in periculo; cùm potius vt ſe à periculis & miſeriis huius vitæ eripiat, vult eſſe ditior.

Hinc vero eſt propterea, inquit Apoſtolus, hinc eſt tentatio & laqueus diaboli, quod non ſe putent tentari. Hinc ille eſt interitus & perditio in quam ignari merguntur qui volũt diuites fieri,

Digitized by Google

& qui vno verbo cupiditatem appetunt, ſiue quæ in diuitias, ſiue quæ in vanum honorem, aut voluptatem pertrahit. Vnde idem Apoſtolus conſequenter pergens, *Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge, ſectare verò Iuſtitiam, pietatem, fidem, Charitatem, patientiam, manſuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam:* Quaſi diceret, perſuade tibi te in continuo verſari certamine ac diſcrimine, niſi certes & pugnes in teipſo contra teipſum! Et quoties de virtute exercenda contra vitium aliquod agitur, ſic certa fideliter, quaſi de fide ageretur, aut dé æterna vita, *In omnibus,* inquit, *ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite.* Quid ageres vbi de ſumma fidei & ſalutis ageretur? hoc ipſum age in quauis occaſione virtutis exercendæ. In hoc erras quod in iis quæ videntur parua, parum certes: & niſi euidens cernatur periculum, non te putas periclitari. Aduerte diligenter. *Vigilantes in omni inſtantia.* Ibid.

Epheſ. 6.

Vide Verbo *Tentatio, Dæmon, Pugna, Fortitudo.*

DIE XVI. IANVARII.

NISI SIT DOMINICA.

AD HÆC S. IOANNIS BAPTISTÆ DE CHRISTO DOMINO, VERBA:

Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi. Ioan. 1.

VERITAS PRACTICA.

Injurioſum eſt Chriſto, Agno Dei, ſi nulli quidem velis inferre injuriam, nolis tamen illatam ferre.

RATIO EST, *Quia iniurioſum eſt Chriſto Agno Dei, velle eſſe manſuetum alia manſuetudine ab ea quam docuit. Sed nulli quidem velle inferre injuriam, nolle autem illatam ferre,*

hoc eſt velle eſſe manſuetum alia manſuetudine ab ea quam diuinus ille Agnus docuit.

Ergo Illi injurioſum eſt, ſi nulli quidem velis inferre injuriam, nolis tamen illatam ferre; Ac proinde diſcendum pari lege non inferendas & ſufferendas eſſe injurias.

I. PVNCTVM.

TRANSACTIS in deſerto quadraginta diebus & noctibus, reiectoque à ſe Tentatore, Dominus redijt ad ſuum Præcurſorem & Præconem ſanctum Ioannem Baptiſtam, qui ſtatim atque Illum vidit ad ſe venientem, *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, Hic eſt de quo dixi, poſt me venit Vir qui ante me factus eſt; quia prior me erat*; Multaque alia in illius commendationem & præconium populo qui frequens aderat, euulgauit. O quanta loquendi materia, & audiendi vtilitas!

Iterum vero, *Altera die*, inquit Idem Euangeliſta, *ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, & reſpiciens Ieſum ambulantem dixit, Ecce Agnus Dei.* Nempe *ille ſingulariter*, ait S. Auguſtinus, *qui conceptus eſt ſine macula, qui figuratus eſt in agno quotidie immolato, & qui ſe ſemel immolare Deo debet, vt tollat omne mundi peccatum.* Addit Beda: *Ecce Agnus qui vellus dedit ex quo veſtem nuptialem facere poſſemus, id eſt, exẽpla viuendi quibus in dilectione caleſieremus.*

Et ſicut Agno maxime proprium eſt manſuetum eſſe ea manſuetudine qua nullum non modo lædit, ſed ſe etiam lædentibus non reſiſtit; ſic plane Chriſtus Dominus inter exempla vitæ, hoc præcipue nobis dedit & propoſuit, quod imitando ſequeremur. Hinc illa Veritas quæ modo conſideranda exhibetur, & quæ tam efficaciter perfectam illam manſuetudinem nobis commendat, vt niſi eam obſeruemus, *Injurioſum id Agno Dei, ſeu Chriſto Domino reputemus.*

Ratio hæc affertur valde conſideranda, quòd iniurioſum Chriſto ſit velle eſſe manſuetum alia manſuetudine ab ea quam docuit. Cum enim ille, Deo patre ſic ordinante, ſe Doctorem & ducem noſtrum fecerit, qui verbo & exemplo virtutes omnes edoceret quâ formâ nobis eſſent exercendæ; Nonne id illi ma-

Digitized by Google

nifeſte iniurioſum eſt, ſi neglectâ illa forma, tu aliam quæras & præferas, quaſi ille neſciuerit quid tibi expediret, aut quaſi tu contemnas quod ille probe nouit tibi magis expedire? *Ecce*, inquit Ipſe Deus, *teſtem populis dedi eum, ducem & præceptorem Gentibus. Et ibunt populi multi & dicent, venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.* Tu vero contra ex his eris, *Qui dixerunt Deo, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*; Et non putabis hoc iniurioſum illi eſſe? *Iſ. 55.* *Ibid. 2.* *Iob. 21.*

Quàm longe aliter ille ſentit, qui ſcripſit, *Ex Ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & Iuſtitia, & Sanctificatio, & Redemptio*; Quæ quatuor ab Apoſtolo commemorata, ſanctus Bernardus refert ad quatuor Cardinales Virtutes, quarum forma & exemplar Chriſtianis Chriſtus eſt, ſicque concludit; *Incaſſum proinde quis laborat in acquiſitione virtutum, ſi aliunde eas ſperandas putat quàm à Domino virtutum, cuius doctrina ſeminarium prudentiæ, cuius miſericordia opus iuſtitiæ, cuius vita ſpeculum temperantiæ, cuius mors inſigne eſt fortitudinis.* *1. Cor. 1.* *Serm. 22. in Cant.*

Sic ſanctus Auguſtinus; *Illam*, inquit, *virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendauit Chriſtus præſens in carne. Omnis virtus noſtra, tam longe eſt à vera virtute, quàm longe eſt ab ea forma.* Expende hæc poſtrema verba, hinc enim liquet apertius quanta Chriſto fiat iniuria. Nam ſi vel alia virtus, ſi alia manſuetudo ab ea quam Chriſtus docuit, vera eſſe poſſit, non eſſet tamen illi præferenda, quam Dominus & magiſter noſter nos docuit; quanto longe minus, ſi nulla eſt vera, præter eam quam ipſe docuit? Et quanto longe magis iniurioſum illi eſt falſam aliorum virtutem malle, quam illius veram, ſi vel aliorum veram malle non poſſes, ſine illius iniuria? Reſponde, aut acquieſce. *L. 6 contra Iulian.*

II. PVNCTVM.

SED nulli quidem velle inferre iniuriam, nolle autem illatam ferre, hoc eſt velle eſſe manſuetum alia manſuetudine ab ea quam Chriſtus docuit.

Diſtinguenda duplex quædam manſuetudo, nempe vna eſt quæ nulli nocet, nullum verbo aut facto lædit; ſed non vltra

progreditur; non illatam ſuffert iniuriam. Et hæc quidem manſuetudo communis eſt omnibus hominibus, ſiue Iudæis, ſiue Ethnicis, cum in ipſa naturæ lege ſit expreſſa, qua nulli licet

Math. 7. facere, quod nobis nollemus fieri. *Hæc eſt enim lex & Prophetæ,* inquit Dominus, id eſt, hoc omnes docent, qui aliquid docent. ALTERA vero manſuetudo eſt quæ non modo nulli infert vllam iniuriam, ſed à quocumque illatam patienter ſuffert: Quæ quidem virtus maxime eſt propria Chriſto & Chri-

Iſ. 53. ſtianis, ſic enim de illo Iſayas antequam pateretur, *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe, obmuteſcet.*

1. Pet. 2. Sic poſtquam paſſus eſt, *Cum malediceretur,* inquit S. Petrus, *non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur;* Sic ipſe Dominus in ſuo illo celebri ſermone in monte, palam & præcipuè hoc profeſſus eſt, atque in hoc pene vno, ſuam legem & doctrinam

Math. 5. definiuit. *Audiſtis,* inquit, *quia dictum eſt, oculum pro oculo, & den-*

Luc. 6. *tem pro dente, Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Vobis dico qui auditis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.*

Vide quæ plura habentur Mathæi quinto, & Lucæ ſexto, qui-

Rom. 12. bus adiunge quod Apoſtolus conformiter docet, *Benedicite perſequentibus vos, benedicite & nolite maledicere, nulli malum pro malo reddentes. Non vos ipſos defendentes Cariſſimi, ſed date locum iræ. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſitit, potum da illi. Noli*

1. Theſſ. 5. *vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Itemque alibi: *patientes eſtote ad omnes, videte ne quis malum pro malo reddat, ſed ſemper quod bonum eſt ſectantes in inuicem, & in omnes.* Hoc ipſum pene

1. Pet. 3. totidem verbis ſanctus Petrus. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Sed è contrario, benedicentes: quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis.*

Ex quibus manifeſte vides, qualis ea ſit Manſuetudo quam Chriſtus docuit, & quam longe ab ea ſis, niſi patienter feras iniurias. Eſto ſis ita manſuetus vt nullas inferas, non eſt ea Manſuetudo Chriſtianæ legis, ſed Moſaicæ & naturalis, quâ tu ſi ſola contentus es, quid tibi Chriſtus proderit?

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

I*NIVRIOSVM eſt igitur Agno Dei ſeu Chriſto Domino, ſi nulli quidem velis inferre injuriam, nolis tamen illatam ferre*; Quia vis quidem eſſe manſuetus nullis inferendo injuriam, ſed nõ vis eſſe manſuetus ea manſuetudine quam Chriſtus docuit, dum illatam injuriam non vis ſufferre. Quod illi non minus iniurioſum eſt quam ſi legem & doctrinam eius negligeres, aut minus æſtimares quam quod aliæ docent leges. *Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus; hic autem neſcimus vnde ſit.* Ioan. 9. Velles ne ſic loqui cum Iudæis? At neſcire in praxi eius doctrinam, ſeu perinde illam negligere quaſi neſcires, aut quaſi non probares, quid putas eſſe aliud quam ipſum neſcire vnde ſit, an è cœlo, an è terra, an vere aut falſo dixerit? Nam ſi vere dixit, cur non credis? cur non profiteris? *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Ibid. 8. Dices id eſſe difficilius quàm poſſis ferre. Sed nonne ſic pergis iniuriam Chriſto facere, quaſi ille duriora aut impoſſibilia iuſſerit, quaſi deneget gratiam, quaſi gratia non ſit ſatis potens adimplendo mandato, aut quaſi non ſit ſatis dignus Chriſtus cui ſeruiendo parum laboremus? Audi S. Auguſtinum. Et vide quid hîc corrigas, quid emendes: Serm. 5. de Sanctis. *Conuincimur certiſſima ratione, quia propter Deum poſſumus quidem, ſed nolumus injuriam ſuſtinere. Si nobis aliqua potens perſona injuriam facit, ſi nos etiam in faciem maledicit; nec reſpondere aliquid aſperum, non dicam, vicem reddere auſi ſumus. Quare hoc? Ne ab illa potenti perſona, adhuc majora quàm pertulimus, patiamur. Quod à nobis torquet hominis timor, deberet à nobis exigere Dei amor.* Aut ſi minus in te valet Diuinus Amor, huic adiunge timorem, & expaueſce ad hæc S. Iacobi verba: *Vnus eſt Legiſlator & Iudex qui poteſt perdere & liberare.* Iac. 4.

Vide Verbo *Manſuetudo.*

Digitized by Google

DIE XVII. IANVARII.
NISI SIT DOMINICA.

AD HÆC PRIMORVM CHRISTI DOMINI DISCIPVLORVM, VERBA:

Magiſter, vbi habitas? Dicit eis, venite & videte. Ioan. 1.

VERITAS PRACTICA.

Qui dicit ſe in Ipſo manere, debet ſicut Ille ambulauit, & ipſe ambulare. 1. *Ep. Ioan. c.* 2.

RATIO EST, *Quia qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, vt verum dicat, verè cum ipſo conſentire.*
Sed niſi ambulet ſicut ille ambulauit, non verè cum ipſo conſentiet.
Ergo debet ſicut Ille ambulauit, & ipſe ambulare. Quod tamen pauci recogitant.

I. PVNCTVM.

Ioan. 1. LOQVENTEM de Chriſto Domino, ſanctum Ioannem Baptiſtam cùm audirent duo Diſcipuli; *Secuti ſunt Ieſum,* ait Euangeliſta. *Conuerſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes, dicit eis, quid quæritis? Qui dixerunt ei, Rabbi, quod eſt interpretatum Magiſter, vbi habitas? Dicit eis, venite & videte. Venerunt & viderunt vbi maneret, & apud illum manſerunt die illo.*

Hi ſunt primi Ieſu Diſcipuli, qui prius erant Ioannis: hi ſunt qui primi cum illo manſerunt, nondum quidem inſeparabiliter, ſed ad tempus, ad vnam diem & noctem, quam in mutuis vltro citroque

Digitized by Google

citroque habitis ſermonibus cum ipſo tranſegerunt. *Quàm beatum diem duxerunt! quam beatam noctem! quis eſt qui nobis dicat quid audierint illi à Domino? ædificemus & noſmetipſi in corde noſtro, & faciamus domum quò veniat Ille, & doceat nos, & colloquatur nobis.* Sic apte ſanctus Auguſtinus, vnde ad Veritatem practicam modo conſiderandam, propoſita eſt illa Diuina Sententia ſancti Ioannis Euangeliſtæ, Quod, *Qui dicit ſe in Ipſo manere, debet ſicut Ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Eſt autem vnum & idem, nos in Chriſto manere, & Chriſtum in nobis, cùm vnum ex altero ſequatur, ſicut ipſe dicit, *In me manet & ego in illo. Manete in me & ego in vobis.* Sed quid cum manſione ambulatio? cur manenti cum Chriſto ambulandum, ſicut Ille ambulauit? *Tract. 7. in Ioan.* *Ioa. 6. & 15.*

Ratio eſt facilis & valde familiaris, quòd ſimul cohabitantibus, ſicut & ſimul peregrinantibus, hoc imprimis eſt commendatiſſimum, vt benè inter ſe conueniant & concordent: Vnde apte Propheta, *Numquid ambulabunt duo pariter, niſi conuenerit eis?* Et Sapiens de iis quibuſcum eſt difficile conuenire, *Noli*, inquit, *eſſe amicus homini Iracundo. NE comedas cum homine inuido. MELIVS eſt ſedere in angulo domatis,* id eſt ſub dio & incommodè, *quàm cum muliere litigioſa, & in domo communi*; Vbi ſcilicet multi ſtrepitus, multæ lites & contentiones. Nihil enim ad habitationem & conuictum accommodatius & deſiderabilius, quàm mutua ſimul habitantium, concordia: proindeque tanquam munus & donum præcipuum quod à Deo hominibus concedatur, ita canit Regius Pſaltes, *Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* *Amos. 3.* *Prou. 22.* *Ibid. 23.* *Ibid. 25.* *Pſ. 67.*

Quod cum vniuerſim verum ſit de his omnibus qui ſimul conuiuunt, quantò magis de noſtra cum Chriſto manſione, de quo præcipue dicitur, *In pace locus eius, & habitatio eius in Sion: Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium & bellum.* Illudque erat quod à ſuis, domum aliquam intrantibus, vellet ante omnia dici, *Primum*, inquit, *dicite, Pax huic domui*; Quod quidem dictum illi tam familiare erat, vt hac eius pronunciatione tanquam certiſſima ſui nota, ſe cognoſcendum præberet Apoſtolis, dum reſurgens primùm illis apparuit, *Pax*, inquit, *vobis*: iterumque confirmandis in ſui notitiam eorum animis, *Pax vobis.* Denique quid ad rem noſtram apertius quàm quod ipſe ſuis iam dixerat, *Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. HAEC non* *Pſ. 75.* *Luc. 10.* *Ioan. 20.*

modo quæ dicit, inquit ſanctus Auguſtinus, *ſed quæcumque illis locutus eſt, ex quo eos cæpit habere diſcipulos, eò ſcilicet omnia ſpectant, vt non obſtante quolibet aduerſo caſu, pacem & concordiam cum ipſo ſeruent.* Nonne id æquum? Ah Domine Ieſu, quis tecum nollet conuenire? aut quis tecum diſſentiens præſumeret tecum habitare? Fili, pauci tamen mecum conueniunt; & multi mecum eſſe putant, qui longe diſiuncti ſunt.

II. PVNCTVM.

SED *niſi quis ambulet ſicut Ille ambulauit, non vere cum ipſo conueniet.*

Hæc enim ſunt velut Synonyma, id eſt, vnum & idem ſignificantia, *Ambulare ſicut ille, & conuenire cum illo*; Nam hoc vnum hæc duo ſignificant, vitam inſtituere conformem eius præceptis & exemplis, quantum vniuſcuiuſque vocatio & vitæ degendæ ratio exigit; vnde toties in ſcripturis quod dicitur, *Ambulare in lege, in præceptis, & in via Domini*, perinde eſt ac ſi diceretur viuere conformiter legi diuinæ, atque vniformiter cum Deo conuenire, ſicque euidentius patet quàm vt probari fuſius ſit neceſſe, quod qui non ambulet ſicut Chriſtus, non cum eo conueniat, nam hoc ipſo quo aliter ambulat, aliter viuit; viuendo autem aliter, vita diſſentit; vita denique diſſentiendo, diſſentit iudicio & voluntate, quod eſt plane non conuenire. *Grauis eſt nobis ad videndum*, dicunt impij, *quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius. Tamquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis*; Quaſi dicerent, cùm ſimili via non ambulemus, Imo cum diſſimilem agamus vitam, non poſſumus ſimul conuenire: Tam diſſentimus animis quàm moribus.

Sap. 2.

Vnde & ipſe Dominus ſuis Galilæis, mundana ſapientibus. *Non poteſt*, inquit, *mundus vos odiſſe, me autem odit; quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala ſunt.* Id eſt, idcirco non conuenit mecum mundus, quia mecum non ambulat: idcirco mihi aduerſatur, quia mea illi eſt aduerſaria vita, cui ſuam cum nolit conformare vitam, nec mecum proinde conuenit, imo mecum diſſentit, & me odit. *Nam qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.* Itane mundus oderit Chri-

Ioan. 7.

Luc. 11.

Digitized by Google

ſtum, & ſim ego de mundo! Ah mi Ieſu, vel de mundo me tolle! vel mundum tolle à me.

III. PVNCTVM.

QVI *ergo dicit ſe in Ipſo manere, debet ſicut Ille ambulauit, & ipſe ambulare*; Nam niſi ambulet ſicut ille, non conueniet cum illo; & niſi cum illo conueniat, non in ipſo manebit. *Sicut docuit vos, manete in eo,* inquit dilectus Diſcipulus; At vide quomodo docuerit eſſe manendum in ſe, vide quantum ex hac manſione, fructus emanet, & quantum detrimenti ſequatur, niſi conſtanter in eo manſeris. *Sicut palmes*, inquit, *non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.* 1. Ioan. 2. Ioan. 15.

Quid magis timendum palmiti, quàm ſi comburatur? At comburetur ſi à vite excidatur: Excidetur vero ſi nullum fructum ferat; Nullum autem fructum feret, ſi non in vite manſerit: Nec in vite porrò manebit, niſi eodem veluti ſucco nutriatur. Sic plane tecum diſcurre: ſi à Chriſto diuidaris, periјſti: Diuideris autem niſi conſtanter in eo maneas: At in Ipſo non manebis, niſi cum ipſo conuenias, & ſicut ille ambulauit, ita tu ambules. Nonne ergo eſt ita ambulandum? Vis ne ab ipſo diuidi? Vis perire? ô miſeriam perituri; ſi diuidatur à Chriſto animus! ſed ô fœlicem neceſſitatem non diuidendi à Chriſto animi, quod alioquin pereas! Neque hic alia modo perditio quærenda eſt quàm ipſa diuiſio animi à Chriſto ſuo, cum Chriſtum perdere, ſit perire; nec vlla, Chriſto perdito, ſit jactura grauior, ſicut nihil eſt Chriſto pretioſius; non ſanitas, non humana vita, non ipſa æterna beatitudo.

Reſtat hîc expendere accurate cum Apoſtolo: *Quis ergo nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia*, & quæ plura proponit. Forte vel vnus auræ mundanæ flatus: vnus mundi rumuſculus; Attende tibi. Rom. 8.

Et Vide Dñicâ 3. Quad. Verbo item *Chriſtus. Mundus. Concupiſc.*

DIE XVIII. IANVARII,
NISI SIT DOMINICA.

DE CHRISTO DOMINO COMMVNICATO; SEV DE CONVOCATIS ALIIS AD IPSVM DISCIPVLIS.

Inuenimus Meſsiam, quod eſt interpretatū Chriſtus. Inuenimus Ieſum, Filium Ioſeph à Nazareth. Ioan. 1.

VERITAS PRACTICA.

Nemo magis ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui minus ſibi ſoli ſeruat.

Vel è contrario.

Nemo minus ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui magis ſibi ſoli ſeruat.

RATIO EST, *Quia nemo magis aut minùs ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui magis aut minus Chriſtum diligit.*

Sed qui minus ſibi ſoli ſeruat, magis Chriſtum diligit: aut è contra minus eum diligit qui magis eum ſibi ſoli ſeruat.

Ergo nemo magis aut minus ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui magis aut minus ſibi ſoli ſeruat. Ac proinde quanto quis magis illum ſibi ſeruare velit, tanto magis communicet aliis, nec ſibi ſoli ſeruet.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

ERAT autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant Ieſum. Inuenit hic fratrem ſuum Simonem, & dicit ei, Inuenimus Meſſiam; & adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus dixit, Tu es Simon, Filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In craſtinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum: Et dicit ei Ieſus, ſequere me. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei, quem ſcripſit Moyſes in Lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph, à Nazareth. Veni & vide. Ioan. 1.

Multa hic expendi poſſent, vt, quid ſit modò inueniſſe Chriſtum: qualis theſaurus; quali cura conſeruandus, & quali ſtudio aliis communicandus. Sed hoc imprimis obſeruandum eſt, ex his viris qui primi commemorantur cognouiſſe Chriſtum, ſolos illos duos fuiſſe Apoſtolos, qui inuentum & cognitum alijs communicarunt, nempe Andream & Philippum, quorum ille fratrem ſuum Simonem Petrum, hic autem Nathanaelem ad Dominum Ieſum adduxerunt. De ſocio Andreæ & de ipſo Nathanaele quid factum fuerit, non narratur; Hoc nempe eſt quòd ex propoſita Veritate nobis eſt modo conſiderandum attentius, *Nemo magis ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui minus ſibi ſoli ſeruat.* Vel è contrario, Quia plerumque magis nos mouent quæ aperta mala important, *Nemo minus ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui magis ſibi ſoli ſeruat.*

Ratio quæ affertur eſt euidens, & vtramque propoſitionem quâ Veritas enunciatur, comprehendit, quia ſcilicet nemo magis aut minus ſibi Chriſtum ſeruat, quam qui magis aut minus Chriſtum diligit. Sicut enim dilectione generatur Chriſtus, ſic dilectione nutritur & conſeruatur. Nam quod de cæteris rebus dicitur, hoc etiam Chriſto conuenit, vt quibus mediis res aliquæ fiunt, iiſdem conſeruentur. Atque idcirco Chriſtus Dominus, *Si* Ioan. 14. *quis*, inquit, *diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; Quamdiu ſcilicet me diliget, & quamdiu ſermonem meum ſeruabit; *Veniunt ad nos*, inquit ſanctus Auguſtinus, *dum venimus ad* Tract. in *eos: veniunt ſubueniendo, illuminando, implendo: venimus obedien-* Ioan.

Digitized by Google

Hom. 30. in Euang. *do, intuendo, capiendo. In quorumdam etenim corda venit*, ait ſanctus Gregorius, *& manſionem non facit; quia per compunctionem quidem, Dei reſpectum percipiunt, ſed tentationis tempore, hoc ipſum quod compuncti fuerant, obliuiſcuntur, ſicque ad perpetranda peccata redeunt, ac ſi hæc minimè planxiſſent. Qui ergo vere Deum diligit, qui eius mandata cuſtodit, in eius corde Dominus & venit, & manſionem facit, quia ſic eum Diuinitatis amor penetrat, vt ab hoc amore, tentationis tempore non recedat.*

Ep. 3. ad Seuerum. Denique quod ſic per dilectionem naſcatur & creſcat Chriſtus in nobis, apte ſanctus Paulinus; *Qui ſicut in illo ipſo homine, quem geſſit, ita in noſtris mentibus, gradus quoſdam corporeæ ætatis exequitur, naſcitur, creſcit, roboratur, ſeneſcit.* O fœlicem illum in cuius mente ſic Chriſtus naſcitur; ac longe fœliciorem illum, in quo natus ſic creſcit & roboratur Chriſtus!

II. PVNCTVM.

S*ED qui magis aut minus ſibi ſoli Chriſtum ſeruat, magis aut minus illum diligit.*

Id eſt, qui de Chriſto Domino ad aliorum ædificationem cumulatè loqui poſſet; nec tamen loquitur, aut niſi parum & frigidè, hic certe indicat ſe tam minus Chriſtum diligere, quàm minus ardenter & frequenter de illo loquitur. Matth. 12. *Ex abundantia enim cordis, os loquitur, & bonus homo de bono theſauro profert bona.* Talis ille Apollo de quo ſic in Actis Apoſtolorum ſcribitur, Act. 18. *Hic erat edoctus viam Domini, & feruens ſpiritu, loquebatur, & docebat diligenter ea quæ ſunt Ieſu.*

Quis enim neſcit zelum & feruorem ſpectare ad Charitatem? At vero in quo zelus & feruor magis exerceri poſſunt, quàm in Chriſto Domino clarificando, ſicut ipſe à Patre petijt, per ſuos aliquando futurum: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* Ioan. 17. Iam vero ſit aliquis qui horâ commodâ Chriſtum clarificandi, ſe continet, conticeſcit, & ſibi ſoli ſeruat quod de Chriſto didicit, quodque opportunè poſſet aliis communicare, retinet contra ſapientis monitum, Eccl. ſi. 4. *Ne retineas verbum in tempore ſalutis*; An ille cenſendus eſt Chriſtum diligere? Iſ. 6. *Væ mihi quia tacui! VAE mihi ſi non euangelizauero!* 1. Cor. 9. *NON recte facimus*, inquiebant illi, *hæc enim dies boni nuntij eſt, ſi tacuerimus &*

Digitized by Google

noluerimus nunciare, ſceleris arguemur. 4. Reg. 9.

Certe qui Chriſtum ex corde diligit, cor ſuum tam anguſtum tali Dilecto diligẽdo ſentit, vt omnium corda vellet habere, quibus eum diligeret, aut in omnium cordibus vellet Ieſum infigere, vt tanto magis diligeretur, quanto à pluribus diligeretur. Verum quia hæc extra ſuam poteſtatem videt; quod ſupereſt, vt in quibus commode poteſt Chriſtum parere, pariat: nonne id enitetur? nonne in id tam vehementer intendet, quam vehementer Chriſtum diligit? Et nonne ſic etiam iudicabit ſe tanti Chriſtum facere & diligere, quanta erit contentio, quantus labor & zelus in eo communicando aliis, nec ſibi ſoli ſeruando?

Aperi mihi ſoror mea, columba mea, perfecta mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Hæc dilecti ad dilectam, & ad ſponſam Sponſi verba eſſe, ſatis noſti; ſed quænam ſit illa dilecta & ſponſa, quidue ab illa Sponſus velit, audi ſanctum Auguſtinum. *Aperi mihi de ſanguine, ſoror mea; de ſpiritu meo, columba mea; de ſermone meo, quem plenius ex me didiciſti, perfecta mea. Aperi mihi, prædica me, ad eos quippe qui clauſerunt contra me. Quomodo intrabo ſine aperiente?* Hæc ſunt Dilecti monita: hæc ſunt dilectæ officia; An illa fideliter audis? An hæc conſtanter reddis? Cant. 5. Tract. 17. in Ioan.

III. PVNCTVM.

NEMO *igitur magis minuſue ſibi Chriſtum ſeruat, quam qui magis aut minus ſibi ſoli ſeruat.* Nam cum præcipue dilectione ſeruetur Chriſtus, & in Eo aliis communicando, præſertim innoteſcat dilectio: tanto magis minuſue tibi Eum ſeruabis, quanto magis minuſue Illum pro rei opportunitate communicabis, nec tibi ſoli ſeruatum voles. *Quid enim,* inquit Apoſtolus, *dum omni modo ſiue per occaſionem, ſiue per virtutem, Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo: ſcio enim quod hoc mihi proueniet ad ſalutem.* Perpende hæc Apoſtoli verba; ſi enim vel gaudenti quod Chriſtus ex quauis occaſione annuncietur, fructiferum & ſalutare eſt; quanto magis annuncianti ex virtute, & ex illa virtute præcipua quæ eſt Dilectio? In alia ſermocinandi materia quantumuis pia, poſſet eſſe periculum, & poſſet timeri exceſſus, vt ſupra viſum eſt: ſed vbi de Chriſto notificando agitur Phil. 1.

timere potius debet qui diligit, ne deficiat, quam ne excedat.

Et tamen tam rarus es, & parcus in his habendis cum proximo de Chriſto Ieſu ſermonibus! & quod peius eſt, te excuſatum putas, quaſi tibi aliquid inde ſit periturum, niſi tibi ſoli ſerues! ô cæcitatem! ô fallaciam! Tantum abeſt vt aliquid tibi decedat & pereat, quin potius tanto magis augeatur cognitio, & amor, & poſſeſſio Chriſti, quanto magis Illum communicaueris: aut tanto magis depereat quanto minus alios in participationem tanti boni vocaueris.

Eccleſi. 30. *Theſaurus ille eſt*, de quo Sapiens: *ſine defectione ſanctitatis*, id eſt in quo exhauriendo nulla interuenit defectio, nulla iactura, Ier. 17. nulla perditio. *Vena eſt aquarum viuentium*, de qua Propheta: quæ eo largius & purius effluit, quo hauritur frequentius. Vnde iam nihil eſt quò retarderis à loquendo: ſed potius ingens & acre ſubminiſtratur motiuum communicandi aliis Chriſti; ex triplici ſcilicet Capite, quod eſt attente perpendendum.

Primo quidem agitur Chriſti Domini honor & gloria, qui eò magis agnoſcitur & elucidatur. Deinde proximi ſalus & perfectio ſic manifeſte promouetur. Ac denique redundat in noſtrum particulare bonum, cùm præter dicta, hoc inſuper ſibi Eccleſi. 24. laborantibus promittat Sapientia, *Qui operantur in me, non peccabunt: & qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Sap. 7. Hinc Sapiens tam liberalis & profuſus in ſapientia ſua communicanda, *Quam*, inquit, *ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo; infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati.* Nonne id veriùs de Chriſto dici poſſet? Cur non igitur tam libenter illum communicas? Latet profecto aliquid quod te retardat, & quod vix auderes agnoſcere. Adeo probroſum eſt, & infandum. Aut te pudet, aut te tædet de IESV loqui! Res nimis vulgaris eſt, res nimis trita & obuia, res nimis grauis & importuna. Ecce vnde auocaris, ecce vnde obmuteſcis, ecce vnde argueris & confunderis te non Eum diligere, de quo ſic pudet & tædet loqui!

Vide Feriam 4. infra Hebdomadam primam Aduentus. Feriam 5. infra Hebd. tertiam: nec non 31. Decembris, & alibi paſſim, Verbo *Chriſtus. Zelus. Amor. Colloquia.*

DIE

DIE XIX. IANVARII, NISI SIT DOMINICA.

AD HÆC CHRISTI DOMINI VERBA, DE NATHANAELE:

Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt. Ioan. 1.

VERITAS PRACTICA.

Veras virtutes magis times, quàm amas.

RATIO EST, Quia veræ virtutes eæ ſunt quæ diuino potius quàm humano iudicio æſtimantur.

Sed has virtutes magis times, quàm amas.

Ergo & veras virtutes; Quod certe eſt non minùs probroſum quàm damnoſum.

I. PVNCTVM.

VIDIT Ieſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo; Ecce vere Iſraelita in quo dolus non eſt. Dicit ei Nathanael, vnde me noſti? Reſpondit Ieſus, & dixit ei, priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te. Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael. Ioan. 1.

Mirum certe quod ex prima hac notione quam de Chriſto Nathanael habuit, cognouit & profeſſus eſt Ipſum eſſe Filium Dei, & Regem Iſrael! Sed magis mirum quod cum Iſte Nathanael, multis eſſet ornatus virtutibus, hac vna tamen præcipue commendatur à Domino, quod eſſet verus Iſraelita, ſine dolo, & malitia: id eſt, vir ſimplex & minime malus. Adeone magna virtus, Simplicitas, vt cùm aliæ non deſint plurimæ à quibus Vir præſtantiſſimus commendaretur, tamen ab illa vna, prætermiſſis

Digitized by Google

cæteris, celebretur? Quis hominum in magna laude poneret, ſe ſimplicem dici & haberi? An velles ſic de te ſentirent & loquerentur homines? Nonne potius id timeres? nonne potius inde erubeſceres, & quaſi de illato doleres probro?

Sic plane eſt, ſic apparentes & ſpecioſas quaſdam virtutes ſatis diligis, quia ſic vulgo æſtimantur, *Sed veras & ſolidas magis times, quam diligas.* Quod quàm ſit verum & damnoſum, ac proinde attentius expendendum ſi forte dubitas, demonſtrabit hæc ratio.

Illæ ſunt veræ virtutes & ſolidæ, quæ diuino potius quàm humano æſtimantur iudicio; Nonne eſt ita? Cum enim de virtutibus ſicut de cæteris rebus diuerſa Dei ſint, & hominum iudicia; certe quantum Dei Iudicium, iudicio præualet omnium hominum, & Angelorum; tantum eas oportet eſſe certiores & veriores virtutes, quæ diuino Iudicio tales proferentur. *Mendaces*
Pſ. 61. *quippe filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipsũ;*
Pſ. 18. *At vero iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa. Cognoui Do-*
Pſ. 118. *mine quia æquitas iudicia tua.* Sic conformiter Sapiens, *pondus*
Prou. 16. *& ſtatera, Iudicia Domini ſunt.* Nonne id agnoſcis, nonne id fateris?

II. PVNCTVM.

ATQVI has virtutes quæ diuino magis æſtimantur iudicio quàm humano, magis times quàm diligas.

Hæ nempe ſunt inter alias, *Abiectio ſui, Tolerantia iniuriarum, Paupertatis amor, Simplicitas, & Humilitas cordis*, Nonne hæ virtutes humano iudicio aut nullæ ſunt, aut valde abiectæ, & infimorum tantum hominum? Nimis enim verum illud Io-
Iob 12. bi: *Deridetur Iuſti ſimplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum.* Quod egregiè ad rem noſtram ſic interpretatur
10. Mor. 27. Sanctus Gregorius; *Huius mundi ſapientia*, Id eſt virtus quæ æſtimatur à mundo, *hæc eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere: quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia vſu à Iuuenibus ſcitur, hæc à pueris pretio diſcitur, hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt; hanc qui neſciunt, ſubiecti & timidi in aliis mirantur.* Et poſt pauca; *At contrà ſapientia iuſtorum eſt, nihil per oſtenſionem fingere, ſenſum*

Digitized by Google

verbis aperire, vera vt ſunt diligere, falſa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam, lucrum putare. Sed hæc Iuſtorum ſimplicitas deridetur, quia ab huius mundi ſapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis proculdubio ſtultum putatur, & quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat. Quid namque ſtultius videtur mundo quam mentem verbis oſtendere, nil callida machinatione ſimulare, nullas iniuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere, percutienti maxillam, alteram præbere? Vnde bene huius mundi dilectoribus ille egregius ſapiens dicit, Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. Oues quippe Aegyptij edere dedignantur, ſed quod abominantur Aegyptij, hoc Iſraelitæ Deo offerunt: quia ſimplicitatem conſcientiæ quam iniuſti quique velut infimam abiectamque deſpiciunt, hanc iuſti in virtutis ſacrificium vertunt, & excolentes recti puritatem & manſuetudinem Deo immolant quam abominantes reprobi fatuitatem putant, quæ nimirum iuſti ſimplicitas breuiter, ſed ſufficienter exprimitur, cum protinus ſubinfertur, lampas contempta apud cogitationes diuitum. Videri poſſent quæ fuſius pergit, ſed hæc ſufficiant ex quibus ſatis aperte patet, quænam ſint illæ Virtutes quæ diuino magis æſtimantur iudicio quàm humano.

Exodi 8.

At vero, nonne has virtutes magis times quam diligas? Nonne magis times occaſionem humilitatis & patientiæ exercendæ quàm illá delecteris? Nonne te æſtimas miſeriorem in paupertate, quàm beatum: & beatiorem in diuitiis quàm miſerum & infœlicem? Denique nonne magis times videri ſimplex & candidus, ne forte irridearis ab hominibus, quàm ſimplicitate & candore animi gaudeas, quæ ſunt virtutes à Domino maxime commendatæ? Diligis enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei; Id eſt gloriam quæ ab hominibus venit, quàm quæ à Deo eſt. Quid hoc eſſe putas, niſi præferre iudiciũ hominis iudicio Dei; quaſi homo de virtute melius ſentiret, quàm ipſe Deus! O intolerandam blaſphemiam! Et tamen quæ ab omnibus vniuerſim toleratur!

Ioan. 12.

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

ERGO *veras Virtutes magis times, quàm amas*; Nam dubitare non potes, quin eæ ſint veræ virtutes quas Chriſtus prædicat, licet mundus repugnet: Neque te verò latet quantum timeas imo & horreas illas à Chriſto prædicatas virtutes, & beatitudines? Quid proinde ſequitur niſi te, veris & ſolidis repudiatis virtutibus, neſcio quas apparentes & ſpecioſas diligere quas mundus probat, & quas alioquin non diligeres, niſi mun-
2. Tim. 3. dus probaret? *Habentes ſpeciem quidem pietatis: virtutem autem eius abnegantes.*

O quanta inde damna, quanta pericula! ſic enim fit vt cùm nullas veras virtutes habeas, hoc ipſum tamen ignores, quia virtutem te putas habere, cuius habes tantum ſpeciem & ſimula-
Apoc. 3. chrum. *Scio opera tua*, inquit Dominus, *quia nomen habes quod viuas, & mortuus es: non enim inuenio opera tua plena, coram Deo meo.* Rurſumque ibidem, *Quia dicis, quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo. Et neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus.* Velleſne hoc audire à Domino? Quid tibi tunc proderit exterior illa vrbanitas, aut apparentia virtutum
1. Cor. 4. quam ex iudicio tantum aſſumis humano? *Non enim qui ſeipſum*
2. Cor. 10. *commendat, aut qui ab humano commendatur die, ille probatus eſt; ſed quem Deus commendat.* Et rectè ſanctus Auguſtinus de eo
In Medit. qui humana magis quam diuina ſpectet iudicia. *Hic licet laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur: Qui autem ab hominibus laudatur, vituperante te, non defendetur ab hominibus, iudicante te; nec liberabitur, condemnantes te.* Nonne hoc ita modò ſentis? At nonne re ipſa pòſt contrà ſenties, magis humana timendo iudicia & vituperia, quàm diuina! grauius putando condem-
Eccleſi. 19. nari ab hominibus, quàm à Deo damnari! Reſipiſce ab hac inſania, *Et da locum timori Altiſſimi, quia omnis ſapientia timor Dei, & in illa timere Deum.*

Vide infrà Feriam 4. poſt Dominicam ſextam Epiphaniæ & Verbo *Iudicium. Virtutes. Mundus.*

Digitized by Google

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

NISI ſit Septuageſima, Quæ aliquando, licet rarius, in hanc Dominicam incidit. Frequentius autem in ſequentes; tùm verò relictis aliis, Ipſi Septuageſimæ Adhærendum.

DE AQVA IN VINVM MVTATA, A CHRISTO DOMINO, AD NVPTIAS INVITATO.

Implete hydrias aqua. Ioan. 2.

VERITAS PRACTICA.

Si vis quod non habes, da quod habes.

SENSVS & RATIO eſt, quod cùm Deus in omnibus ſuis operibus Miſericordiam ſimul & Iuſtitiam coniungat; ſi quid à Miſericordia petimus, Iuſtitiæ non denegemus quod à nobis petit.

Sed diuina Iuſtitia hoc à nobis petit, vt ſi quædam difficiliora velimus quæ non habemus, demus aliqua faciliora, quæ habemus.

Ergo ſi vis quod non habes, da quod habes. Aut certe iniquè agis contra Deum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

Ioan. 2. *NVPTIAE facta ſunt in Cana Galilaa, & erat Mater Ieſu ibi: Vocatus eſt autem & Ieſus, & Diſcipuli eius ad Nuptias: Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum; vinum non habent; tùm Illa miniſtris, quodcumque dixerit vobis, facite; Dicit Illis Ieſus: implete hydrias aqua, & impleuerunt eas vſque ad ſummum,* Quæ ſtatim aqua in vinum optimum conuerſa eſt. Videri poſſunt, & conſiderari alia, quæ de hoc primo miraculo Chriſti referuntur ab Euangeliſta. Tum vero Illud imprimis conſideratione digniſſimum, quòd cùm Dominus vellet Indigentibus dare vinum, non aliter Illud dederit, quam datâ prius ab eis aquâ. Cur ita porro? Nonne poterat vinum ex nihilo, aut ex aëre facere ſine aqua? Aut nonne poterat ſimul ipſam aquam & vinum facere? Cur illam ſibi dari iuſſit, & in illas infundi hydrias, in quibus vinum merum erat facturus?

Ratio literalis eſt, vt ſic miraculum vini facti, magis appareret, quando conſtaret omnibus nihil in vaſis eſſe niſi aquam. Allegorica vero eſt quam refert ſanctus Maximus, *Noui nobis poculi prælibatum eſt ſacramentum,* Id eſt per illam aquæ conuerſionem in vinum, præſignificare voluit Dominus, ſacramentalem conuerſionem vini in ſanguinem ſuum: Vel vt ait, ſanctus Auguſtinus, *Fecit de aqua vinum Chriſtus, cùm aperuit ſenſum & expoſuit ſcripturas; ſic enim ſapit quod non ſapiebat.* Anagogico item ſenſu, ad paratas in cœlo delicias ex his paucis operibus noſtris quæ per Gratiam Dei facimus, referri poteſt.

Denique Tropologica, & Moralis expoſitio eſt, idcirco petitã & datam eſſe aquam, ad habendum vinũ, vt intelligeremus ſic à nobis ea peti à Domino quæ habemus, vt ab Eo impetremus quæ non habemus. Sic quando in deſerto ſatiauit multitudinem iam triduo ſe ſequentem, nec habentem quod manducaret: Non niſi ex datis ſibi panibus, & piſciculis, eam ſatiauit: multiplicauit quidem panes, ſed panes ſibi datos, & non alios. Sic planè tecum aget, ſi ſic cum Illo egeris; *Da quod habes & quod petit à te Deus, ſi vis habere quod non habes & quod ab ipſo petis.* Ioan. 6.

Ratio quæ affertur eò magis certà eſt, quò in ipſis Dei Attri-

Digitized by Google

butis fundatur: Sunt autẽ duo attributa, Miſericordia & Veritas ſeu Iuſtitia quæ in omnibus Dei operibus reperiuntur, iuxta illud Pſalmiſtæ; *Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas; & Miſericordiam & Iudiciũ cantabo Tibi Domine*; Quo de argumento articulum expreſſum habet S. Thomas, vbi oſtendit in Iis quæ nobiſcum agit Deus, ſic Miſericordiam nos præuenire & ſubſequi, vt Iuſtitia ſimul iungatur, quatenus ſcilicet de Noſtro agendum eſt aliquid, quod ita iuſtum & æquum eſt, vt niſi Illud agamus, nos plane indignos reddamus miſericordia. Si verò fideles ſimus in agendo, tunc & ipſe ſe fidelem ita præſtat, vt non ſolùm plura retribuat, ſed & meritis noſtris tribuat, ne cuncta gratis agat. Sic paucis aptè S. Bernardus: *Qui omnes homines vult ſaluos fieri, merita nobis extorquet à nobis, & dum nos præuenit tribuendo quod retribuat gratis: agit, ne gratis tribuat.*

Pſ. 24. & 100. *1. p. q. 21. a. 4.* *Hom. 4. ſuper miſſus.*

Vide caput decimum octauum Ezechielis, vbi poſtquam de hac Dei iuſtitia, & æquitate actum eſt fuſius; Tùm Ipſe Dominus inſtat: *Et dicunt Filij Iſrael, non eſt æqua via Domini! Nunquid viæ meæ non ſunt æquæ, domus Iſrael, & non magis Viæ veſtræ prauæ?* Quaſi diceret, numquid Illud quo volo à te fieri, Iuſtum & æquum eſt, vt obtineas quod à me petis? Quod ſi vero iuſtum & æquum eſt, nunquid tu iniuſtus, & iniquus es, qui non Illud præſtes? Reſponde & dic cum Propheta, *Iuſtus es Domine, & rectum Iudicium tuum. Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua & veritatem tuam nimis.* *Pſ. 118.*

II. PVNCTVM.

SED *Diuina Iuſtitia ſeu æquitas hoc à nobis exigit, vt ſi quæ difficiliora petimus quæ non habemus, demus aliqua faciliora quæ habemus, ad illa facilius impetranda.*

Sic enim ab vna Gratia diſponimur ad aliam, vt cum fideles fuerimus primæ acceptæ gratiæ, fidelem etiam experiamur Eum qui dixit: *Omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Sic apte Dauid: *Et retribuet mihi Dominus ſecundum Iuſtitiam meam, Et ſecundum puritatem manuum mearum, in conſpectu oculorum eius. Cum ſancto ſanctus eris,* Et quæ plura pergit ad Dominum, quibus indicat eum fore talem erga vnumquemque, qualis ipſe erga eum fuerit, in vſu gra-

Luc. 19. *Pſ. 17.*

tiarum & mediorum quæ ordinauit ad finem aliquem. Hinc Sapiens, *Vt ſciui*, inquit, *quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc Ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum, adij Dominum, & deprecatus ſum Illum.*

Sap. 8.

Videſne orationem exigi tamquam aliquid facile, vt Continentia quæ res eſt difficilior, obtineri poſſit?

Sic vniuerſim S. Auguſtinus de Ipſius orationis neceſſitate ad alia quæuis impetranda: *Qui nouit*, inquit, *bona data dare filiis ſuis, petere nos & quærere, & pulſare compellit. Quod quare faciat, qui nouit quid nobis neceſſarium ſit prius quàm petamus ab eo, mouere animum poteſt, niſi intelligamus quod Dominus & Deus noſter non voluntatem noſtram ſibi velit innoteſcere quam non poteſt ignorare, ſed exerceri in orationibus deſiderium noſtrum, quo poſſimus capere quod præparat dare.* Sic vt dimittat nobis decem millia talenta, id eſt, grauia, & multa peccata, vult à nobis dimitti centum denarios, id eſt modica quædam debita, leues quaſdam offenſas à proximo nobis illatas, quæ tametſi graues nobis videntur, non niſi tamen leues ſunt, ſi comparentur cum peccatis noſtris, quibus diuinam offendimus Majeſtatem.

Ep. 121. ad probam

Matth. 18.

Denique quid ſunt præcepta omnia, quid conſilia, quid ſacrificia, quid ſacramenta, quid virtutes, & alia Inſtituta moralia, niſi viæ quædam, & media quæ à Diuina Iuſtitia exiguntur vt ſic ab vno ad aliud procedentes mereamur aſſequi quod promittit? *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis & me Iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos: quia Os Domini locutum eſt.* Id eſt, hoc firmum fixum eſt, quòd quæ ſtatuta ſunt à Deo media, ad aliquid obtinendum, tam exactè ſeruanda ſunt, quàm cupidè volumus illud obtinere. Velleſne hanc diuinam ordinationem proſcindere tamquam iniuſtam: aut cùm aperte iuſta ſit, deprauare? Quid hæres, quid diſſimulas? *Numquid qui contendit cum Deo, tam facilè conquieſcit? Vtique qui arguit Deum, debet reſpondere ei.*

Iſa. 1.

Iob. 29.

III. PVNCTVM.

SI *vis ergo quod non habes, da quod habes*; Si vis Continentiam cordis, contine oculos, contine linguam, & membra corporis. Illud difficilius & magis remotum à tua poteſtate, ſed iſtud

facilius

facilius & magis à ſe dependens. Quamobrem ſi vis illud quod non habes & quod eſt obtentu difficilius: Da libenter iſtud quod habes facilius; quia ſic exigit Diuina Iuſtitia, vt non niſi per iſtud, poſſis aliud obtinere; *Dimittite, & dimittemini*; *Date & dabitur vobis: menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum*; Certe quando non ita exigeret Diuina Iuſtitia, quando ſola noſtri ratio haberetur; nonne ſic pauca quædam danda eſſent vt maiora redderentur? Quis non libenter ſeminat, vt colligat? Quis non libenter aquam daret pro habendo vino? Quis non modicum olei & farinæ porrigat, vt quantum recepit Vidua ſareptana, recipiat?

Luc. 6. *3. Reg. 17.*

O damnoſam hominum parcitatem, qui ſe vino priuant quia dare nolunt aquam! Qui ſe Deuotionis, Meditationis, Continentiæ, Charitatis, & aliarum Virtutum dono, ſeu præcipuis actibus indignos reddunt, quia faciliores exhibere nolunt, nec de ſuo conferunt illud exiguum quod ab eis Deus petit! Si noſtra peteret non remuneranda, nonne etiam illi danda eſſent? Quanto magis cum nihil petat quod non multiplici fœnore cumulatum reddat? Hinc ſapiens; *Bono animo gloriam redde Deo*; *In omni dato hilarem fac vultum tuum, quoniam Dominus retribuens eſt; & ſepties tantum reddet tibi*; Et ſanctus Leo; *da quod accipias, ſere quod metas, ſparge quod colligas*; Quin & ipſe Dominus, tam aperte: *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum vſuris vtique exegiſſem illam?* Tibi tam verè loquitur, quàm verè tibi dedit quod illi offerres, ad ampliora promerenda, quæ vix tamen offers. Quid excuſas?

Eccleſi. 35. *Luc. 19.*

O Virgo potentiſſima, rogarem te libenter, vt quod mihi deeſt indices Filio tuo, dicaſque illi, humilitatem non habet, deuotionem, charitatem aut quidquid eſt aliud magis neceſſarium: Sed quandoquidem mihi de meo eſt aliquid conferendum: da id efficiam quod meum eſt vt quod eſt Domini, Dominus in me operetur. Vide in particulari quid à te requirat, ad perfectiorem Virtutum praxim.

Digitized by Google

IN EADEM DOMINICA.

Vocatus eſt Ieſus ad Nuptias. Ioan. 2.

VERITAS PRACTICA.

Sicut in triſtibus, ſic in lætis: Sicut in aduerſis, ita in proſperis, aduocandus eſt Ieſus.

RATIO EST, *Quia idcirco in triſtibus & aduerſis aduocandus eſt Ieſus, quia ſunt periculoſa peccandi tempora, quibus ſine Ieſu vix te à nimia continere poſſis triſtitia.*

SED *læta & proſpera non ſunt minus periculoſa, ſuo modo, peccandi tempora.*

Ergo in iſtis non minus aduocandus eſt Ieſus, quàm in illis. Quod tamen pauci perſuaſum habent.

AD primam propoſitionem exponi poſſet, quod cum ſemper & in omnibus inuocandus eſt Ieſus, tum vero maxi-
Pſ. 49. me, periculoſis in negotiis ac diebus. *Inuoca me,* inquit, *in die tribulationis.* Ex omnibus autem periculis nulla magis ti-
Eccleſi. 18. menda ſunt quàm peccati: *Sapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertia.* Peccandi porro pericula ſunt aduerſitates, funera, calumniæ, morbi, iactura & quidquid tale eſt in mundo, vnde magis contrahitur & angitur animus, atque ex illa nimia contractione & angore animi naſcuntur iræ, rixæ, murmura, blaſphemiæ deſperationes, & ſimiles deprauati affectus, qui grauiora ſunt peccata quàm putentur, quia tum Afflicti licere ſibi omnia putant. Quapropter tum aduocandus Ieſus, &
Iac. 5. concilianda diuina gratia. *Triſtatur aliquis veſtrum? oret.*

SED *læta & proſpera non ſunt minus, ſuo modo, periculoſa peccandi tempora.*

Tum enim animus facile diſſipatur, inſoleſcit, ſuperbit, iacta-

Digitized by Google

bunde multa effutit: tum deliciæ, tum conuiuia, ioci, riſus, amores, ſcurrilia, ludicra, profana & quæ nominari non debent vitia, quis neſcit inde redundare? *Menſa eorum coram ipſis in laqueum & in ſcandalum.* Pſ. 68. *DVCVNT in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Iob. 2. Tunc enim eò deſcendunt quando peccant. *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Iudæ.

NON minùs ergo in iſtis lætis quam in triſtibus; neque minùs in proſperis quàm in aduerſis, aduocandus eſt Ieſus; Quia non minus perniciosa peccandi ſunt tempora, quæ læta ſunt, quam quæ triſtia, ſicque propterea, ſi iuſtis & probis licet, aliquando epulari & gaudere, epulentur certe & exultent, *Sed in conſpectu Domini, ſed in timore Domini, ſed in Domino;* Pſ. 67. Cū alioquin iniuſtè exultarent, plus æquo exultarent, & tum iuſti eſſe deſinerent. *Erat populus iucundus ſecundum faciem ſanctorum,* Iudith. 16. ait ſacra ſcriptura; quaſi diceret, ſic erat iucundus quales poſſūt eſſe ſancti, quali modo ſancti poſſunt eſſe iucundi, qualis poteſt eſſe iucunditas ſine detrimento ſanctitatis; nam ſi periclitetur ſanctitas, pereat potius iucunditas; quæ tamen ſalua ſanctitate non peribit, cum ſit ipſa iucunda ſanctitas.

Vide Verbo *Gaudium. Moderatio, Pax. Aduerſitas, proſperitas. Et ſuprà, die nona & vndecima Ianuarij.*

AD HÆC VERBA:

Vinum non habent. Ioan. 2.

VERITAS PRACTICA.

Non eſt magis fidendum humano gaudio, quam homini mentienti.

RATIO EST, Quia propterea non eſt fidendum homini mentienti, quod decipiat.

Sed humanum gaudium ſic decipit.

Prou. 14. NAM primò ibi putatur eſſe gaudium vbi non eſt: Deinde putatur maius bonum quàm re vera ſit. Denique cùm extrema gaudij, luctus, angor, & peccatum occupent, ſatius eſſet non fuiſſe gaudium, quam talem eius exitum; Vnde *Eccleſi. 2.* apertè Eccleſiaſtes: *Dixi ego in Corde meo, vadam & affluam deliciis & fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque eſſet vanitas. Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis.* Primò quidem decipitur, cùm nullo ſolido nitatur bono, tum gaudentem decipit, quem non poteſt quietum reddere, nec beatum.

NON eſt ergo magis fidendum humano gaudio, quàm homini mentienti, quia non minus decipit quam qui mentitur, nec minus modo quam olim riſus error eſt, & gaudium deceptio. Vnde ſanctus Iacobus: *Riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in* *Iac. 4.* *mærorem.* Quaſi diceret, ſic vos decipit gaudium, vt quâ humanâ re gaudetis, ſit potius ipſâ lugendum. Sic præclare ſanctus Auguſtinus. *Voluptates mentiuntur, moriuntur, & in mortem tra-* *Ep. ad lucil.* *hunt.* Et tu his fidas! Caue ſi ſapis.

Vide Sabbato infrà Hebdomadam ſextam poſt Epiphaniam ad hæc Verba: *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.* Item in 3. parte, Dominicam 4. poſt Pentecoſten. Et Verbo, *Vanitas.* In die Aſſumptionis, ad hæc Salomonis verba: *Pete Mater mea.* Et alibi paſſim, de B. Virgine, de Temperantia vel Intemperantia.

HAC HEBDOMADA, Quæ occurrunt ex Euangelica ſerie conſideranda myſteria, diuerſa quidem ſunt, & nulla inter ſe connexione iuncta; ſed eò tamen omnia præcipuè tendunt, vt affectus humanos, ratione & Gratia diſcamus regere.

FERIA SECVDA.

DE PRIMA CHRISTI DOMINI PRAEDICATIONE, IN CIVITATE NAZARETH HABITA, ET A CIVIBVS MALE ACCEPTA.

Repleti ſunt omnes in Synagoga, Ira; hæc audientes. Luc. 4.

VERITAS PRACTICA.

Si ad humanam gratiam diuina poſtulas, Diuinam Ipſam repellis Gratiam.

RATIO EST, *Quia tum diuinam repellis gratiam, quando ſtatutum peruertis finem, & ordinem quo ipſa confertur.*
Sed quando ad humanam gratiam Diuina poſtulas, ſtatutum peruertis finem, & ordinem, quo Diuina confertur gratia.
Ergo tùm hanc diuinam Gratiam à te repellis; Quod certe eſt frequentiſſimum inter homines, & maximopere conſiderandũ.

I. PVNCTVM.

QVOD narrat ſanctus Lucas, capite quarto, de reditu Chriſti Domini in Ciuitatem ſuam Nazareth, & de prima eius prædicatione illic habita, videtur ordine temporis, ea proximè ſequi quæ ante dicta ſunt. Sic autem paucis res habet; Cum Ingreſſus fuiſſet in Synagogam, atque ex libro Iſaiæ, Prophetiam de ſe manifeſtam explicaſſet, primo admirationem ſui maximam, loquendo, concitauit; Tum vero cùm animaduerteret auditores ſuos expetere miracula, ſicut nuperrimè patrarat in Ciuitate Capharnaum, arguit illos inuidiæ & curioſitatis, docetque, non omnibus paſſim à Deo dari miracula ſed quibus, & quando vult, neque ad humanam Gratiam aut ad humanos affectus & fines diuina eſſe poſtulanda.

Quod cùm audiſſent Nāzaræi, tam male acceperunt hunc ſermonem, vt ſtatim omnes ira correpti, è Synagoga illum deturbârint, atque in ſupercilium montis, inde dejiciendum duxerint, niſi ſe ſua diuina virtute ſubduxiſſet; O miram & ſtupendam hominum inſaniam, qui ſic cœleſtia terrenis ſubdunt, ſic æterna temporalibus, & humanis diuina ſubjiciunt, vt non niſi ad naturalem complacentiam, diuina poſtulent: non niſi ad humanam Gratiam, diuinam exigant! *Non eſt iſte ſermo qui mi-*

Digitized by Google

Iudith. 8. *ſericordiam prouocet, ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat:* Non eſt hic ordo neque modus obtinendæ diuinæ Gratiæ, ſed potius repellendæ.

Hoc modò eſt attentè conſiderandum, quia certè in hoc multi delinquunt, & ſibi malè proſpiciunt, quando non niſi ob affectus naturales, & humanos fines, diuinum aliquid quærunt, quod propterea non obtinent, ſed à ſe repellunt tanto longiùs, quantò id magis naturale eſt & humanum, propter quod petunt.

Ratio quæ affertur eſt euidens, quia tum manifeſtè diuinam repellis gratiam, quando ſtatutum peruertis ordinem & ratum finem quo illa nobis confertur: licet enim Deo liberum ſit quando, vbi, quantum, & quibus velit ſua dare, præſcriptos tamen ſibi conſtituit fines & ordines, ſeu ſtatuta quædam ordinauit media, in certos fines, quibus ſic ordinariè gratias ſuas impertit, vt

Ezech. 40. non aliter ſoleat impertire. *Sic à Propheta viſus funiculus lineus in manu eius, Et calamus menſuræ in manu Eius,* Nempe vt quod dixit

Sap. 11. ſapiens, *omnia in menſura, & numero, & pondere diſponat & ordinet;* Sic Sacramenta certis quibuſdam gratiis conferendis inſtituit, vt non niſi per illa in re vel in voto ſuſcepta, & non niſi habito fine

Ioan. 3. conuenienti conferantur hæ gratiæ. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* NISI

Ibid. 6. *manducaueritis carnem filij hominis, non habetis Vitam in vobis;* NISI

Luc. 13. *pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.*

Putareſne ſine Baptiſmo vel Pœnitentia, peccatum poſſe remitti? An ignoras nullam eſſe remiſſionem peccati ſine pœnitentia, nullam pœnitentiam ſine dolore aliquo, nullum dolorem ſine emendationis propoſito, nullum tale propoſitum ſine auerſione animi ab obiecto quod peccati cauſa fuit? Hic eſt ordo remittendi peccatum ita conſtitutus, atque ita ſeruandus, vt niſi obſeruetur, non remittatur peccatum; O quàm pauci ſeruant! Non tres, non duo, non vnus, nam *Nullus eſt,* inquit Propheta,

Ier. 8. *qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci!*

II. PVNCTVM.

SED quando ad humanam Gratiam, ad naturalem complacentiam & ad fines merè humanos diuina poſtulas, peruertis finem & ordinem, quo diuina confertur gratia.

Digitized by Google

Non enim ad hunc finem ordinatur & confertur gratia, ſed potiùs ad humanos illos affectus corrigendos,& in ſtatũ nobiliorẽ euehendos, qui ſupernaturalis,ſpiritualis, cœleſtis,& diuinus dicitur, ſicut ipſa Gratia tota ſupernaturalis, tota cœleſtis eſt,& diuina. Sic ſanctus Petrus: *vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes Naturæ,fugientes eius quæ in mundo eſt,concupiſcentiæ corruptionem.* 2. Petri. 1.
Sic ſanctus Proſper: *Virtus Gratiæ non hoc in voluntatibus operatur vt non ſint,ſed vt ex malis bona,& ex infidelibus ſint fideles; vt qui ex ſemeptiſis erãt tenebræ,lux efficiantur in Domino.* Contra Collatorem. Sicut igitur ille finem & ordinem conditi ſolis peruerteret, qui ſolem peteret ad tenebras effundendas, vel ad excitandum frigus, aut quid aliud alienum ab eius natura,& proprietatibus; ſic planè qui diuinam aliquam Gratiam poſtulat vt ſuæ Gloriæ ſeruiat,vtilitati tantum temporali conſulat,aut naturale aliquod inde commodum hauriat: quia non eſt diuinæ Gratiæ hos humanos effectus producere, ſed potius contrarios, & oppoſitos; non eſt diuinæ Gratiæ vanitatem ſectari, ſed potius fugere; non temporalia quærere ſed contemnere, non ſubeſſe libidini, ſed præeſſe; Et ſicut ipſe author Gratiæ dicebat, *ſe non veniſſe miniſtrari, ſed miniſtrare,* ſic Matth.20.
omnino non venit gratia nec aduocanda eſt in hunc finem, vt naturales illos affectus foueat,ſed potius reprimat & extinguat. *Numquid colligunt de ſpinis vuas,aut de tribulis ficus?* quaſi diceret, Ibid. 7.
nonne ille rerum peruerteret ordinem qui à ſpinis vuas, aut à vite ſpinas quæreret, qui à tribulis ficus, aut à ficu tribulos expectaret? ſic qui à gratia quod alienum eſt ab eius virtute, poſtulat, gratiæ finem & ordinem prorſus inuertit. *Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto, cor enim tuum non eſt rectum coram Deo: In felle amaritudinis, & in obligatione iniquitatis, video te eſſe;* Sic Act. 8.
S. Petrus cuidam petenti gratiam, ex deprauato affectu.

III. PVNCTVM.

SI ad humanam igitur Gratiam diuina poſtulas, diuinam ipſam repellis gratiam,* Quia non propterea datur, nec propterea eſt petenda; imo cùm ad oppoſitum finem detur, non minor eſt iniuria Gratiæ, velle hunc finem & ordinem peruertere, quàm ſi cœlum terræ ſubjiceres, ſi tenebras luci præferres, ſi ſpiritum carni mancipares, aut Rationem libidini regendam traderes;

Hebr. 10. *Hoc eſt filium Dei conculcare & ſanguinem Teſtamenti pollutum ducere; hoc eſt Spiritui gratiæ contumeliam facere.*

Et tamen quoties id appetis! quoties velles maiori pollere gratia ad concionandum, ad gubernandum, ad docendum aut aliquid ſimile aliud, vt magis appareres, vt maiorem tui concitares famã, & Nominis celebritatẽ; vel vt commodiùs viueres, vel denique vt quod naturaliter deſideras, faciliùs obtineres? Itáne verò Cœleſtes & diuinæ Gratiæ terrenis his finibus & humanis
2. Cor. 6. affectibus ſeruiant, quibus dominari deberent! *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ Societas luci ad tenebras? Hi*
2. Petr. 2. *ſunt maledictionis filij*, de quibus grauiter S. Petrus & S. Iudas
Iud. Apoſtoli; *Hi ſunt qui derelinquentes rectam viam errauerunt, ſecuti viam Balaam ex Bozor, qui mercedem iniquitatis amauit, Correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ ſubiugale & mutum animal hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam. Hi ſunt fontes ſeu nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Et quæ plura ibi habentur, ex quibus intelligas quàm graue ſit detorquere diuinas gratias ad priuatum ſuum commodum, & quantùm in hoc deliqueris, vt ſeriò deinceps caueas. *Gratia Dei vita æterna*
Rom. 6. *in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Vide Verbo *Gratia*.

FERIA TERTIA.

DE ALTERA VOCATIONE APOSTOLORVM.

Venite poſt me, & faciam vos fieri Piſcatores hominum At illi continuò, relictis retibus, ſecuti ſunt Eum. Matth. 4.

VERITAS PRACTICA.

Magis tenemur omnes affectu noſtra relinquere, quàm effectu Apoſtoli.

RATIO

RATIO EST, Quia magis tenemur omnes ad præcepta, quàm ad conſilia.

Sed præceptum eſt vt affectu: Conſilium vero vt effectu, omnia noſtra relinquamus.

Ergo magis tenemur omnes affectu noſtra reliquere, quam affectu Apoſtoli: Quod ſanè eſt valdè expendendum.

I. PVNCTVM.

IAM pridem Petrus & Andreas cognorant Chriſtum Dominum, iamque illum multis diebus & horis ſecuti fuerant tanquam eius diſcipuli, ſed nondum ſuis ſe propterea bonis abdicarant; nondum ita illi adhæſerant, vt præter illum nihil haberent; nondum denique illi dicere poterant, ***Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te:*** Donec altera hac vocatione vocati, dum piſcarentur, audierunt, & intellexerunt has Chriſti Domini voces, ***Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.*** Tum enim ***continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.*** Quod item paulo poſt, audientes Iacobus & Ioannes filij Zebedæi; ***relictis ſtatim retibus, & patre, ſecuti ſunt eum,*** inquit Sacer Euangeliſta. *Matth. 4.*

Admirabile prorſus hoc conſilium Dei qui velit homines, & hos homines, ſui diuini operis Coadjutores! Admiranda planè diuinæ Virtus Gratiæ, quæ ſic ſuauiter & fortiter homines à ſuis, & à ſe retrahit! Conſiderandum eſt & illud quod Chriſtus loquitur, ***Venite poſt me,*** quaſi diceret, quocunque eſt eundum, vos præcedam, & non minùs tutùm eſt quàm glorioſum, me poſſe ſequi. Nec prætermittendum quod addit, ***Faciam vos fieri piſcatores hominum,*** quaſi homines in mundo velut in turbulentiſſimo mari naufragerentur, quorum quanta eſt miſeria, & periculoſa conditio, tanta eorum eſt dignitas & felicitas, qui primo inde ſunt eruti, tùm ad alios ſimul eruendos & ſaluandos adhibentur. O ſingulare beneficium quo Apoſtoli & Apoſtolici Viri donati ſunt! Quis non libenter ſuis ſe omnibus abdicaret bonis, vt Chriſtum Dominum ad tale munus vocantem ſic ſequeretur?

Verùm non omnes eò vocantur vt relictis effectu bonis, ſe &

alios ſaluent; vocantur autem omnes vt relictis affectu ſuis, ſuæ ſaluti vacent. Et quidem tàm ſtricta eſt hæc omnium vocatio ad ſua, corde & affectu relinquenda, Vt minùs cuiquam liceat ei vocationi reſiſtere, quam licuiſſet Apoſtolis aut Apoſtolicis illis viris, ſua effectu deſerere. Digniſſima certe Veritas, quæ attentiſſimè conſideretur.

Eſt autem ratio perfacilis, & euidentiſſima; Quis enim neſcit, 1. 2. q. 108. a. 4. nos ad præceptum magis obligari quam ad conſilia? Quis ignorat quod ait apertè S. Thomas, hanc eſſe differentiam inter conſilium & præceptum, quòd *præceptum Importet neceßitatem; Conſilium autem in optione ponitur eius, cui datur? VELLEM*, inquit Apoſtolus, *omnes vos eſſe ſicut me ipſum*, Id eſt virgines & 1. Cor. 7. continentes: Id tamen vnicuique liberum facio quia non eſt præceptum, ſed conſilium: At vero ſi qui matrimonio iuncti ſunt; *Vxor*, inquit, *à viro non diſcedat*; neque hoc ſibi liberum putet, ſed omnino neceſſarium, *quia Præceptum Domini eſt*, cui longè magis tenemur obedire quam Conſilio. Sic ille pluribus.

O bonitatem Domini noſtri in ſeruos ſuos, quibus cum poſſet, ſi vellet, omnia illa præcipere quæ conſulit: mauult tamen libertati relinquere, quam neceſſitate premere; mauult nos ſibi filios quàm ſeruos, aut ſeruos mauult voluntarios, & liberos, quam coactos & repugnantes.

II. PVNCTVM.

SED præceptum eſt vt affectu: Conſilium vero, vt effectu, omnia noſtra relinquamus.

De præcepto patet tribus modis. Primo quidem quatenus per affectum quo creatis bonis, nimis inhæremus, auocamur à fine noſtro, qui eſt Dei Cultus & æterna ſalus: ſicque fit vt quantùm iubemur aſpirare ad finem noſtrum, tantùm præcipiamur abſtinere iis quæ nos inde auertunt; *Si manus tua vel pes tuus ſcandalizat te*, inquit Dominus, *abſcide eum, & projice abs te. Bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum*, Vbi S. Hiero- Matth. 5. & 18. nymus, *omnis hic truncatur affectus.*

Deinde, affectus rerum prohibetur, quia vix eſt vllus ordinatus: inordinatus autem eſt peccatum, ac proinde quantum

Digitized by Google

præcipimur abſtinere omni peccato, tantum & affectu inordinato. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. NON ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.* Non quia res mala fuerit, quam concupierint, ſed mala & inordinata concupiſcentia. Vnde Sapiens Domino; *omne deſiderium auerte à me.* Denique quo præcepto iubemur, Deum diligere *ex tota anima, HOC eſt*, inquit S. Thomas, *vt appetitus ſeu affectus noſter reguletur ſecundum Deum*, quod idem eſt atque affectu omnia relinquere. Nam non aliter affectus regulatur ſecundum Deum, quàm vt *ſic vtamur hoc mundo, tamquam non vtamur.* Putaſne vere eſſe præceptum, vt diligas Deum, ex tota anima tua? Sic puta tibi præcipi vt deponas ex anima, inordinatum quemuis affectum, quia non aliter diligitur Deus ex tota anima.

1. Theſſ. 5. 1. Cor. 10. Eccleſ. 23. 2. 2. q. 44. a. 5. 1. Cor. 7.

IAM vero quod ſit tantum conſilium & non præceptum, ſua effectu relinquere, audi ſanctum Thomam: *Quod homo totaliter ea quæ ſunt mundi, abjiciat, non eſt neceſſarium ad perueniendum in finem prædictum, nempe beatitudinis æternæ, quia poteſt homo vtens rebus huius mundi, dum modo in eis finem non conſtituat, ab beatitudinem æternam peruenire: ſed expeditius perueniet totaliter bona huius mundi abdicando, & ideo de hoc dantur conſilia Euangelij. SI vis perfectus eſſe*, inquit Dominus Adoleſcenti; *vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis Theſaurum in Cælo*, quaſi diceret, non cogo, non præcipio, relinquo tuæ libertati, ſi vis, conſulo, & conſilij accipiendi motiuum propono, quòd in cœlo repones ea quæ in terra reliqueris. Sic expreſſis verbis S. Chryſoſtomus: *Hoc in tuo pono arbitrio, te electionis Dominum conſtituo, non in neceſſitatem traho.* O Magni Conſilij Angele, quàm pauci tua ſequuntur Concilia, qui nec præcepta ſeruant.

1. 2. q. 108. a. 4. Matth. 19. Hom. 2. ad Popul.

III. PVNCTVM.

MAGIS ergo tenemur omnes affectu noſtra relinquere, quam effectu Apoſtoli, aut quiuis alij qui ſua reliquerunt; Cum magis teneamur omnes ad Præcepta quam ad Conſilia, ſitque inter præcepta tam expreſſum illud, vt nihil in rebus creatis, ex inordinato appetitu diligamus, quàm eſt expreſſe mandatum, *vt diligamus Deum ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima*

Digitized by Google

In Pſ. 11. *noſtra:* Nam vt iam alibi dictum eſt, ex S. Baſilio, *quod dicit in toto, nullam in res alias diuiſionem admittit, quantùm enim dilectionis, in hac inferiora inſumpſeris, tantùm neceſſe eſt vt demas de toto.*

Et tamen, quis hominum ſe putat ita obligatum? Aut quis in ſæculo huic obligationi ſatisfacit, cum omnes ita rebus creatis afficiantur, vt inter vſum & affectum, nulla ſit differentia, niſi quod magis afficiantur rebus quàm vtantur, cùm plura vellent habere quam ſint ſuis vſibus neceſſaria, & iis non vtantur niſi vt affectui ſatisfaciant: quaſi affectus ſit finis vſurpandarum rerum, quaſi non manducent & induantur, vt viuant: ſed viuant vt manducent & induantur: ô peruerſitatem affectus! *Filij hominum, vſquequo graui corde!*

Sed quidquid ſit de aliis, Tu vide quàm parùm ſis ordinatus in affectibus tuis. Vide quantum inde damni & periculi, vel ex hoc vno capite, etſi alia taceantur, quòd magis teneris ad affectum mundi deponendum, quàm qui vocaretur à Deo, ad ipſum mundum effectu deſerendum.

Quid diceres manifeſtè reſiſtentibus diuinæ vocationi, manifeſtè contradicentibus Chriſto ſe vocanti in religioſum ſtatum? *Prou. 1.* Nonne illis proponeres tremendas iſtas voces; *Vocaui, & renuiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, aduenerit.* At nonne illi reſiſtis? Nonne Vocantem renuis, cum aperte voceris ad deſerenda corde & affectu omnia quæ nimio colis affectu? Si deſpicienti conſilium tanta imminent damna, quanta referuntur in ſcripturis: quanta putas imminere deſpicienti præceptum? Si nolenti ſua effectu relinquere, periculoſum eſt, cùm id tantum conſulit Chriſtus, & liberum facit: quantò magis non affectu relinquere, cum id abſolute præcipiat, & neceſſitatem obſeruandæ legis imponat? *Exodi. 5.* *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius,* dicebat impius ille rex Pharao: Velleſne ita loqui? velleſne tibi, & hoc objiceret Chriſtus quod de ſeruis ſuis Iob querebatur, *Seruum meum vocaui, & non reſpondit mihi: ore proprio deprecabar illum.* *Iob. 19.* Quot ſunt Veritates propoſitæ temperandis affectibus, tot ſunt eius voces, tot ſunt propoſitæ vocationes, tot declarata præcepta, quibus additæ minæ, preces, promiſſiones, & quidquid ad voluntatem eblandiendam, aptiſſimum iudicauit; Tu quid reſpondiſti? quid

Digitized by Google

effeciſti ? cùm tam acres, & violenti ſint omnes affectus tui, quaſi nihil te contra monuiſſet, quaſi non ille te toties inde reuocaſſet ? Confundere, *Et aufer malum de medio tui.* *Deut. 17.*

FERIA QVARTA.

DE DÆMONE IMMVNDO EIECTO AB HOMINE.

Et erat in Synagoga eorum, homo in ſpiritu immundo, cui Dominus, Exi de homine. Marc. 1.

VERITAS PRACTICA.

Non tàm à Dæmone quantumuis immundo, immunda fit anima, quàm à ſeipſa.

RATIO EST, Quia per ſolum peccatum anima fit immunda. Sed peccatum non tam à Dæmone quàm ab anima fit. Ergo non à Dæmone tam fit immunda anima, quàm à ſeipſa.

I. PVNCTVM.

VOCATIONEM Apoſtolorum ſequitur quod refert S. Marcus de Dæmone eiecto in Synagoga Capharnaitarum. *Et erat*, inquit, *in Synagoga eorum, homo in ſpiritu immundo, & exclamauit dicens; Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? Scio qui ſis, ſanctus Dei. Et comminatus eſt ei Ieſus dicens, obmuteſce, & exi de homine; Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo. Et mirati ſunt omnes, itavt conquirerent inter ſe, quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc noua, quia in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei.*

Hæc ſanctus Euangeliſta, in quibus quid mirabilius ſit Dæmonem ita prædicare Chriſtum, vel Chriſtum nolle prædicari à

Digitized by Google

dæmone, cogitari facilius poteſt quam dici. Eſt autem ſpiritus immundus ita dictus, vel quod in locis immundis libenter habitaret, vel potiùs quod in immunditiam, hominem quem poſſidebat impelleret; ſunt enim ad id vitium præcipuè deſtinati, à quibus quidem nobis eſt cauendum, cùm diuina Gratia, quam Chriſtus Dominus nobis offert: ſed magis à nobis cauendum, quia vt habet propoſita Veritas: ***Non tam à dæmone quantumuis immundo, immunda ſit anima, quam à ſeipſa.*** Quod vt pateſiat, primum illud proponitur, ſolo peccato immundam fieri animam, vbi duo ſunt conſideranda; alterum quod peccato, alterum quod ſolo peccato immunda fiat anima. Quod vtrumque planiſſum eſt ex Scripturis. *Ier. 2.* ***Maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.*** Et iterum. ***Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas***; Quod & de ipſo veniali peccato intelligendum eſt, & eo præcipue quod ex concupiſcentia ſeu affectu inordinato fit. Vnde S. Auguſtinus, ***Quibus peccatis***, inquit, ***licet occidi animam non credamus, ita tamen eam veluti quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie replentes deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius ſponſi Cæleſtis, aut vix aut cum grandi confuſione venire permittant***; *Serm. 41. de ſanctis: Et lib. 50. Hom. Hom. 50.* Nam ſicut manus ex contactu luti lutoſa fit, ſic anima in res creatas & terrenas inordinate affecta, cum ſe his ſuo modo immiſcet, indè maculam contrahit, vnde immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo, eſt affectum omnem cohibere, quæ pars eſt veræ religionis potiſſima, authore S. Iacobo. *Iac. 1.*

Quod autem ſolo peccato contrahatur macula ſeu immunditia, patet euidenter, quòd quæcumque eſt animæ pulchritudo, ſiue naturalis, id eſt naturæ non corruptæ; ſiue ſupernaturalis, id eſt diuinæ Gratiæ, ſolâ fœdetur peccati maculâ propter quam ſolam, animæ peccatrici dicitur: *Ezech. 16.* ***Abominabilem feciſti decorem tuum.*** Erant quidem apud Iudæos legales quædam immunditiæ, ſed præterquam quod illæ iam omnes ſublatæ ſunt, neque ipſo quo vigebant tẽpore, fœdabant animam: Vnde Dominus de his agens, & de peccatis: *Matth. 15.* ***Hæc ſunt***, inquit, ***quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.*** Tolle peccatum, ***& ſunt omnia ſanctis in bona***, dicebat Sapiens: *Eccleſ. 39.* Quo item ſenſu Apoſtolus, ***omnia munda mundis.*** *Titi 1.*

O peccatum, tam verè deplorandum malum, quam verè ſolum eſt animæ malum.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

A*TQVI peccatum noſtrum non tam à dæmone quam ab anima ſit. Latrare poteſt,* inquit S. Auguſtinus, *ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt niſi volentem,* Et apte S. Gregorius ad illa Verba Iob, *Conuulnerauit lumbos meos; QVIA,* inquit, *ad culpam ſine noſtra voluntate non poteſt rapere, ſed nos cum illo pariter nos vulneramus.* Itemque appoſitè S. Bernardus. *Sane diabolo nos noſtra mancipat voluntas, non ipſius poteſtas;* Et alibi: *ſerpens callidior vtique non fortior cæteris animantibus, ô Eua, decepit te: decepit profectò, non impulit aut coëgit: Mulieri tibi, ô Adam, de ligno dedit, ſed offerendo vtique, non violentiam inferendo, neque enim poteſtate illius, ſed tua factum eſt voluntate, vt eius voci plus obedieris, quàm diuinæ.* Serm. 17. de tempore. Iob. 16. S. Greg. 14. mor. 9. S. Bern. de Gratia & lib. Arbit. Idē Serm. de dup. Baptiſ.

Denique celebris illa S. Auguſtinus ſententia, de nullo peccato, niſi voluntario, rem omnem conficit. *Vſque adeo,* inquit, *peccatum voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Et hoc quidem tam manifeſtum eſt, vt nulla hîc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. EGO ſum qui peccaui! ego qui malum feci!* ſic perge te incuſare. De vera Rel. 14. 2. Reg. 2. 4. 1. Par. 21.

III. PVNCTVM.

I*GITVR à nullo dæmone quantumuis immundo tam immunda ſit anima, quam à ſeipſa;* cùm omnis immunditia ſit à peccato, & omne peccatum à propria voluntate. Hæc eſt immundiſſima lepra animi, de qua fuſe S. Bernardus, *& à qua nobis cauendum ait, tanquam à vipera peſſima & nequiſſima, & qua ſola deinceps damnare poſſit animas noſtras.* Cogita quantopere horreas dæmonem, & ſi ab eo ſcires aliquid tibi ſuggeri, quantùm refugeres: ſic te aduerſus te ipſum compara, quia tu tibi voluntarius es dæmon, & longe illo peior, quem Dominus ejicit: quia Chriſto magis reſiſtis. En vides, vt obedit ille ſpiritus immundus, Tu vero vt obſiſtis contrà! Ecce ille de quo dicitur; *Cor eius indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi Malleatoris incus:* Ille tamen emollitur ad vocē Chriſti, & tu permanes in tua duritia, nec affectum prauum, ſpiritum illum immundū tuum ſinis à te expelli! Serm. 3 de Reſ. Serm. de dupl. Baptiſm. Iob 41.

Hoc eſt quod Prophetæ gemunt, & quod tibi cum illis eſt
Oſee 5. deplorandum. *Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum, quoniam ſpiritus fornicationis, in medio eorum;*
Amos 4. *& Dominum non cognouerunt.* ASCENDERE *feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras, & non rediſtis ad me, dicit*
Num. 21. *Dominus.* Sciſne quid accidat illis, qui pertinaciùs reſiſtunt Deo? Sicut olim Iudæis, ſic illis immittit ignitos ſerpentes, & tantum abeſt, vt expellat ab eis immundum ſpiritum, vt potius
Pſ. 34. ſinat eum deſæuire crudeliùs, & tunc fiant, *Viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos:* Quæ ſunt viæ certiſſimæ ducentes in interitum & perditionem. Propone aliquid particulare circa affectum vehementiorem, quod caueas
Eccleſi. 23. diligentius cum Dei Gratia. Recte omnino ſapiens: *Anima calida quaſi ignis ardens, non extinguetur niſi aliquid glutiat.* Quamobrem ſic temperandus iſte calor, vt poſſis dicere quod eſt in To-
Tob. 3. bia: *mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia.*

FERIA QVINTA.

DE SOCRV PETRI FEBRICITANTE ET SANATA A CHRISTO DOMINO.

Imperauit febri, & dimiſit illam. Luc. 4.

VERITAS PRACTICA.

Febris animi, animo longè periculoſior, quam febris corporis, corpori.

RATIO *hæc eſt inter alias, quod illa ſit periculoſior febris quæ remedia refugit, & ſanitatem.*

Sed talis eſt febris animi, non corporis.

Ergo illa periculoſior; Quod tamen vix creditur; quia non ſentitur, nec attente conſideratur.

I. PVN-

I. PVNCTVM.

E Synagoga illa, vbi expulſus eſt dæmon, *Surgens Ieſus,* ait Euangeliſta, *introiuit in domum Simonis: ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea, & ſtans ſuper illam, imperauit febri, & dimiſit illam, & continuò ſurgens miniſtrabat illis.*

Non hîc deeſſet meditationis materia conſiderare volenti Bonitatem & Poteſtatem Imperantis, effectum imperij tam velocem in ſanitate conſequente, ac denique ſanatæ mulieris gratitudinem, in parando miniſterio. Verùm attentiùs expende quod hic ſcribit S. Ambroſius. *Forſaſſis in typo Mulieris illius, variis criminum febribus Caro noſtra languebat: & diuerſarum cupiditatum immodicis æſtuabat illecebris: nec minorem febrem amoris eſſe dixerim, quàm caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim noſtra, auaritia eſt: febris noſtra, libido eſt: febris noſtra, luxuria eſt: febris noſtra, ambitio eſt: febris noſtra, iracundia eſt*; In quibus porro conueniant illæ febres ſatis facile eſt obſeruare. Quàm longè etiam damnoſior ſit febris animi, febri corporis, ex damno animi longè magis formidando, non eſt difficile explorare. Sed quod minùs fortè attendas, illud eſt quod habet propoſita Veritas. *Febrem animi, animo longe eſſe periculoſiorem, ſeu magis pernicioſam, quàm febrem corporis, corpori.* *In Luc. 4.*

Ratio hæc affertur, quia tum pernicioſior eſt morbus cùm refugit remedia, ſeu quia æger non vult ea recipere, ſeu quia ægritudo non ea ſuſtinet: nonne tum periculi plena ſunt omnia? Quamobrem monemur à Sapiente, non abjiciendam in infirmitate, ſanitatis & modeſtiæ curam, neque remedia tam corporalia, quàm ſpiritualia negligenda. *In tempore infirmitatis*, inquit, *Eccleſ. 18.* *oſtende conuerſationem tuam.* Et rurſum: *Altiſſimus creauit medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa; Fili in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te; Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Da locum Medico; etenim illum Dominus creauit, & non diſcedet à te, quia opera eius ſunt neceſſaria. Eſt enim tempus, quando in manus illorum incurras; ipſi vero Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem*

Digitized by Google

illorum & ſanitatem.

Sap. 12. *O QVAM bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus*, qui nobis ita remedium prouidiſti, vt tamen ad te-tùm ægri tũ medici recurrerent: Et ſic nos omnes ad te venire voluiſti, vt tamen remediis ordinatis vteremur. Si quis ergo eſſet, qui tum neque ad Deum, neque ad homines confugeret, neque vllo remedio vti vellet, nonne is & ægrotaret periculoſe; & in ſuo ſe negligens periculo, nonne peccaret grauiter? *Quare negligitis?* *NOLITE negligere, nolite ceſſare. QVI negligit viam ſuam, mortificabitur.*

Gen. 42. Iud. 18. Prou. 19.

II. PVNCTVM.

SED talis eſt maximè qui laborat febri animi.

Is. 50. Primò, vix morbum ſentit, vnde Propheta, *in doloribus dormietis.* Deinde, adeo non ſentit morbum, vt numquam melius ſibi putet eſſe, quàm cum vehementiori cupiditate ardet; cùm amat, cùm deſiderat, cùm ſperat, aut cùm gaudet. *Tranſierunt in affectum cordis, concupierunt concupiſcentiam.* Denique propone ægroto concupiſcentiæ remedia: ſi adoleſcens eſt, nondũ eſt tempus: ſi ſenex, tempus præteriit. *Vulnus, & liuor & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo;* Hæc de morbis animi Propheta, non de corporeis. Sic & alius: *Tranſiit meſſis, finita eſt æſtas: & nos ſaluati non ſumus; ſuper contritione filiæ populi mei, contritus ſum & triſtatus, ſtupor obtinuit me! Numquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei.* Quia ſcilicet nolunt curari: Hoc fatebatur de ſe S. Auguſtinus cùm nondum reſipuiſſet. *Timebam*, inquit, *ne me citò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quam malebam expleri quàm extingui.* Nonne hoc ipſum fateberis? Vis ſanus fieri? Reſponde Chriſto. Vis remedia? en parata! cur ergo non ſanaris? fingis te velle quod reuera non vis. *Et non vultis venire ad me, vt vitam habeatis!*

Pſ. 91. Is. 1. Ier. 8. 8. Conf. 7. Ioan. 5. Ibid.

III. PVNCTVM.

FEBRIS igitur animi, animo longè eſt periculoſior, quàm febris corporis, corpori; Cum vix vllus æger corpore, non ſe cu-

Digitized by Google

rari velit & ſinat; qui vero cupiditate corripitur, de augendo potiùs morbo cogitat, quàm ſanando. *Cùm ſanare vellem Iſrael reuelata eſt iniquitas Ephraim*, Id eſt tunc maximè apparuit morbus Iſraelitarum periculoſus, inſanabilis, & deſperatus, quando ſanare eum voluit Dominus, quia recuſauit ſanitatem; & hoc eſt morbi deſperati ſignum apertius. Quid enim tandem fiat illi ægro, qui parata remedia recuſauit? Audi & treme: *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam. O derelinquamus eam!* Quis ita loquitur? Cui loquitur? & quid illud quod loquitur, *derelinquamus eam*! Expende ſingula, & ſerio de remediis cum ſuperſunt, cogita. *Erudire Ieruſalem, ne forte recedat anima mea à te.*

Oſee 7. *Ier. 51.* *Ibid. 6.*

Vide conformem huic Veritatem, Feria 5. infra Hebdomadam ſextam poſt Epiphaniam. Et Verbo, *Morbus. Sanitas. Concupiſcentia.*

FERIA SEXTA.

DE PRÆDICATIONIBVS CHRISTI DOMINI, VNIVERSIM CONSIDERATIS.

Aliis ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ. Luc. 4.

VERITAS PRACTICA.

Si quid nos reuocat à doctrina Chriſti, vel ob id maximè recipienda eſt.

RATIO EST, *Quia quidquid nos reuocare poteſt, id nonniſi à proprio iudicio, vel ab inordinato appetitu prouenire poteſt. Sed propterea maximè recipienda eſt doctrina Chriſti, vt ordinentur praui illi motus.*

Ergo, ſi quid nos ab ea reuocat, vel ob id maximè recipienda eſt: In quo ſane multi deficiunt.

I. PVNCTVM.

CVM pro more ſuo Dominus ſeceſſiſſet in quendam deſertum locum, oraturus Patrem, apparuit plebis Galilææ mirum in Illum ſtudium. Primò enim, vt narrat Euangeliſta, *requirebant eum*; deinde non ceſſarunt à quærendo, donec eum inuenerint: ac denique inuentum ſic apud ſe retinere certatim contendebant, vt inde volentem diſcedere non paterentur. Quibus ille ait; *Quia & aliis ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ*; Quod alius Euangeliſta ſic refert, *Et ait illis, Eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni. Et erat prædicans in Synagogis eorum, & in omni Galilæa.*

Luc. 4. *Marc. 1.*

Hîc igitur apte inſtitui poteſt Meditatio de prædicationibus Chriſti Domini vniuerſim conſiderandis, qua in conſideratione Circumſtantiæ illæ quæ actionem quamlibet comitari, & inſignire ſolent, expendi poſſunt, *Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*; Quæ dum pro deuotionis affectu tantiſper reuolueris, perſuaſum hoc habe, illud ipſum Euangelium, illam ipſam doctrinam Chriſti Domini, tibi proponi in vſum & praxim quotidianam. O beneficium! Sed quomodo vteris? Quid eſt, quod te ab illa reuocet? Quidquid ſit, *Vel ob id maximè recipienda eſt.*

Nã quidquid illud ſit, nonniſi inordinatũ eſt aliquid, vel à prauo iudicio, vel à deprauata voluntate, & appetitu naturali proueniens; Quid enim aliud Veritati, quid aliud Chriſto & diuinæ Gratiæ ſeſe opponat, quod non ſit falſum, deprauatum & inordinatum? Vnde porro illa falſitas & deprauatio, niſi à nobis, niſi à natura corrupta, & corrumpente iudicium, atque voluntatem? O quàm verè Sapiens, *Quid nequius quàm quod excogitauit caro & ſanguis?* Nam cùm id contra doctrinam Chriſti ſit excogitatum: quid nequius cogitari poteſt?

Eccleſ. 17.

Habetur integra Veritas in hanc ſententiam, Feria 2. infra hebdomadam Septuageſimæ.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED ob id maximè recipienda eſt doctrina Chriſti Domini, vt ordinentur illi motus.

Primo enim vniuerſim docet cohibendos omnes illos motus, qui aduerſus rationem, & fidem inſurgunt. *Quid cogitatis inter vos, modicæ fidei?* Deinde ſpeciatim, ſi quis ſit ſuperbiæ, libidinis, auaritiæ, aut cuiuſuis concupiſcentiæ ſenſus, particularia documenta ſubminiſtrat, quibus hi corrigantur. *Nolite in ſublime tolli.* Denique confert gratiam quâ refrænatur concupiſcentia; intellectum illuſtrat, voluntatem mouet, memoriam excitat, & omni modo adiuuat, vt dum recipitur illa Doctrina, fiat in animis noſtris, quod in corporibus fieri ſolitum narrant Euangeliſtæ, cum prædicaret Dominus; quotquot ſcilicet ægroti aderant, ſanabantur: quotquot dæmoniaci, liberabantur: quotquot malè affecti, recreabantur. Matth. 16. Luc. 12.

O verè *lex Domini immaculata conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis! LEX per Moyſem data eſt*, lex antiqua quæ malum quidem demonſtrabat, ſed non ſanabat: *At gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, vt quod ſcimus faciendum, faciamus. *Hæc eſt lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, quæ liberat nos à lege peccati & mortis*, vt ait Apoſtolus; *Nam quod impoſſibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum: qui enim ſecundũ carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt.* Senſus eſt, in hoc vel maximè legẽ & doctrinam Chriſti Domini præcellere aliis, quod ipſe docendo communicet ſuis ſpiritum ſuum quo ita euadant ſpirituales, vt iam non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum viuant. Quò referri poteſt & illud quod dicebat Dominus: *Spiritus eſt qui viuificat, Caro non prodeſt quidquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Id eſt, vitam communicant ſpiritualem, non tantum per Sacramenta, ſed per attentas conſiderationes, lectiones, collationes, & alios quibus illa Verba diuina vſurpantur, modos. Quod cùm Dominus Iudæis diceret: *Ex hoc*, Pſ. 18. Ioan. 1. Rom. 8. Ioan. 6.

inquit Euangeliſta, *Multi diſcipulorum abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Ieſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Quaſi diceret, vt interpretatur S. Auguſtinus: da nobis alterum Te ad quem ibimus, ſi te relinquimus: cùm verò nullus alter ſic tui ſimilis, quantumcumque recedant alij, nos à te numquam diſcedemus. O vere Apoſtolicam vocem! O verè dignum Chriſto pectus!

III. PVNCTVM.

SI quid eſt igitur quod nos reuocet à doctrina Chriſti, vel ob id maximè recipienda eſt: Cum nihil aliud nos inde reuocet, quam aliquid inordinatum, cui remedium affert illa doctrina, proindeque tanto ardentius eſt amplectenda, quantò vehemen-
Matth. 11. tius ab ea te repelli ſentis; *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Quid times anime, ſi ſecundum Euangelium viuas? Ne ſuperbire, ne iraſci, ne aliquo demum affectu inordinatè rapi non liceat? Hoc eſt ſcilicet quod maximè times; Sed hoc eſt maximè quod te excitare debet ad Chriſtum, ne tibi aliter, quàm ex Euangelio liceat viuere: alioquin quid tibi prodeſſet audire, ſi non credis? aut quid credere, ſi
Rom. 1. non conformiter viuis? An tu erubeſcis Euangelium? An negas illud eſſe, *Virtutem Dei in ſalutem omni credenti?* An igno-
Iac. 1. ras non auditores, ſed factores ſolos commendari?

Nonne audiuiſti quid Geraſeni cum Chriſto egerint, quando
Luc. 8. Chriſtus permiſit porcos eorum in mare demergi: *Rogauerunt illum*, inquit ſacer textus, *vt diſcederet ab ipſis.* Maluerunt ſcilicet carere Chriſto quam porcis ſuis. O rem, inquis, execrandam! ſed rem quæ tamen à te quotidie perficitur, cùm ne ſenſuali appetitu priueris, te Chriſti doctrina priuas. Nũquid pro-
Matth. 7. pterea dicebat Dominus: *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis.* Sanctum dicitur quidquid docuit Chriſtus ne corrumpatur aut profanetur: Margaritæ ſunt, quæcumque ſunt eius voces, vt in pretio habeantur. Canes vero ſunt Impugnatores: & porci, Contemptores, ait S. Auguſtinus. Nonne te pudet vel horum nominum? Oppone autem eis excellentia hæc quibus Chriſtus
Luc. 8. honorat audientes, & facientes verbum Dei. *Mater mea, & fratres*

Digitized by Google

mei hi ſunt qui verbum Dei audiunt & faciunt. Potuitne dignius rem commendare? poteriſne verò tam dignæ commendationi ſemper obſiſtere?

Vide Verbo *Verbum Dei, & Dominicam Sexageſimæ in 2. parte, vbi & alia indicantur.*

SABBATO.

DE HIS PETRI VERBIS AD DOMINVM.

Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cæpimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Niſi diligenter aduertas, ſtulto labore conſumeris.

RATIO EST, Quia ille ſtulto labore conſumitur qui relicto labore facili & fructuoſo, totam aut maiorem vitæ partem tranſigit in labore difficili, & infructuoſo.

Sed niſi diligenter aduertas, talis eſt vitæ tuæ labor, labor difficilis & infructoſus, quem vltrò ſuſcipis, neglecto facili & fructuoſo.

Ergo ſtulto labore conſumeris; Quod ſanè eſt diligenter perpendendum ad cautionem adhibendam.

I. PVNCTVM.

LEGI poteſt narratio fuſior, quam habet S. Lucas, & de qua occurret in tertia parte iterum dicere. Hîc modo ſiſte in conſideratione duplicis operæ & laboris, quem *Dominica 4. poſt Pentecoſten.*

poſuit Petrus cum ſociis, in piſcando. Ecce enim tota nocte laborant, & nihil capiunt: Mane autem facto, iactis tantum, ad Domini iuſſionem, in mare retibus, concludunt piſcium multitudinem copioſam. Nonne magna eſt diuerſitas vtriuſque laboris: cum ex vna parte multum laborârint, & nihil cæperint: ex alia verò, parum laborârint, & multum profecerint?

Hæc eſt diuerſitas Laborantium in hoc mundo: hic eſt duplex hominum labor tam diuerſus & directè ſibi oppoſitus, vt alter ſapiens, alter ſtultus dicatur, ſicut patebit in declaratione Veritatis propoſitæ, quæ tibi vni ad vberiorem fructum eſt applicanda; Niſi enim diligenter aduertas, totus in hac ſtultitia viuis, & laboras, totus *hoc ſtulto labore conſumeris*; Quod iam pridem dictum fuit Moyſi, à ſocero Iethro, vt eſt in libro Exodi. *Exodi. 18.*

Ratio quæ affertur non tam indiget probatione quàm attenta rei propoſitæ conſideratione, ſubjiciendo ſibi diſtinctè duplicem illum laborem valde diuerſum & oppoſitum, ex illis duabus circumſtantiis ſimul inuolutis, quæ faciunt totam diuerſitatem, *Nempe difficultas, ſine vllo fructu: Et facilitas cum multo fructu.* Sit itaque ex his duobus alteruter propoſitus labor, vel iſte facilis & multum fructuoſus; vel ille difficilis & plane infructuoſus, quis ſapiens non eligeret facilem & fructuoſum, ſi maximè ſciret æquè, aut etiam magis iſto labore facili, ſe Domino ſuo gratum futurum? Quis niſi ſtultus vellet ſe adſtringere ad id quod eſt difficilius, & infructuoſius? Nam ſi ſaltem difficillimi laboris eſſet aliquis fructus! aut ſi nullus eſt fructus, ſi ſaltem labor eſſet facilis: ſed multum laborare ſine fructu, cum præcipuè poſſis, ſi velis, aliunde fructum percipere ſine magno labore; certe hoc eſt ſtulteſcere, hoc eſt ſtulto labore cõſumi; hoc eſt quod arguunt ſacræ Scripturæ, quando ſic culpâ noſtrâ fit vt vltro vitam tranſigamus in tali labore, & voluntaria miſeria. *Hæc dicit Dominus; ponite Corda veſtra ſuper vias veſtras: ſeminaſtis multùm & intuliſtis parùm. Qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* *Aggæi. 1.*

Eccleſi. 51. Contrà laudi datur, quod ait de ſe Sapiens; *Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.* Et Dominus vniuerſim de ſuis; *Electi mei non laborabunt fruſtra*; Vnde conſequens eſt illos non eſſe electos, ſed reprobos, qui laborant fruſtra, & qui dicunt. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis: & ambulauimus vias difficiles.* Ex vtris eſſe velles? *Iſ. 65.* *Sap. 5.*

II. PVN-

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED niſi diligenter aduertas, talis eſt vita tua labor, labor difficilis & infructuoſus, neglecto facili & fructuoſo.

Quatuor hic ſunt diſtinctè declaranda; Primum eſt, laborem vitæ tuæ eſſe difficilem: Cum enim penè in omnibus, velis concupiſcentiæ ſeu naturæ deprauatæ ſatisfacere, quid imperioſius? quid durius? Et quid difficilius? Illa eſt ancilla quæ cum hæres fuerit Dominæ ſuæ, *Suſtineri non poteſt*, vt ait ſapiens. Illa *eſt occupatio magna*, vt ait alius, *creata omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam: cogitationes eorum, & timores cordis*; Et quæ plura pergit Eccleſiaſticus; Hæc eſt tinea de veſte naſcens & eandem veſtem corrumpens, de qua fusè & præclarè S. Gregorius ad illa verba Iob; *Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea.* Prou. 3. Eccleſi. 40. Iob. 13. 11. Mor. 29.

Denique nihil laboroſius, quàm quod fit cum inquietudine animi; nam labor & quies opponuntur, & maiorì quieti maior eſt labor oppoſitus; Non eſt autem maior quies, quàm quies animi, nec proinde maior aut difficilior labor quam inquietudo animi. Iam verò quidquid fit ex concupiſcentia, fit ex inquietudine animi; nihil enim magis inquietum quàm affectus deprauatus, *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis & non habetis!* ô triſtitiam! ô angorem! *Omnis plaga, triſtitia hac cordis eſt*, ait Sapiens. Iacobi. 4. Eccleſi. 28.

QVIS vero fructus huius laboris? Secundum eſt declarandum, Quidquid fit, in morte terminabitur, & quidquid mortale eſt, parum eſt fructuoſum. *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* inquit Apoſtolus, *Nam finis illorum mors eſt. QVID nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa, tanquam vmbra.* Vide ſapientiæ quinto, quantùm illi deplorent ſe nullum ſui laboris fructum ex hac vita retuliſſe. Sed ante mortem dùm adhuc viuis, quid præmij, quid emolumenti ex inquieta vita? Præclare omnino Iſaias: *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem, oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt; telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: opera eorum, opera inutilia.* Et alibi; *Sicut ſomniat eſuriens & ſitiens, comedit* Rom. 6. Iſ. 59. Ib. 29.

Digitized by Google

& bibit, & poſtquàm fuerit expergefactus, laſſus adhuc bibit, &
Oſee 8. *anima eius vacua eſt.* Sic plane ſomnia ſunt, humana hæc omnia, quæ vt apparent, euaneſcunt; Quod & Propheta Oſeas ſic egregiè; *Quia ventum ſeminabunt, & turbinem metent: culmus ſtans non eſt in eo: germen non faciet farinam, quod etſi fecerit, alieni*
Eccl. 5. *comedent eam. QVID ergo prodeſt ei, quod laborauit in ventum?* ait ille Sapiens, qui cùm ſe conuertiſſet ad vniuerſa opera, quæ
Ibid. 2. fecerant manus eius, & ad labores in quibus fruſtra ſudauerat, vidit in omnibus vanitatem & afflictionem animi, ac tandem addit; *Quid enim proderit homini de vniuerſo labore ſuo, & afflictione ſpiritus, qua ſub ſole cruciatus eſt?* Quaſi diceret, nihil plane, nihil omnino fructus & pretij refert ex illo labore difficili.

AT verò, quæ duo reſtant explananda, vide contrà, quàm facilis ſit & fructuoſus ille labor quem negligis. Facilis quidem, quia totus conſiſtit in firma voluntate placendi Deo, Cui ſi velis
Pſ. 149. placere, places. *Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo.* Id eſt, ſtatim atque ſe aliquis eſſe Domini profitetur, Dominus illum acceptat vt ſuum: & tam ſibi Dominus in ſeruo placet, quàm
L. 8. c. 6. ſeruus Domino vult placere. Quod egregie admodum Nobilis ille, de quo ſanctus Auguſtinus in Confeſſionibus, Contubernali ſuo repræſentabat: *Dic quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei cauſa militamus? maiorne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm vt amici imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu iſtud erit?* AMICVS AVTEM DEI, SI VOLVERO, ECCE NVNC FIO. Eſt ne autem operoſum, id velle, cum diuina Gratia quæ vt velimus & poſſimus vltro ſe offert, quæ nos idcirco præuenit, comitatur & ſequitur?

Quid eſt quod voluntas appetit, niſi bonum? Et quale bonum melius, & magis appetendum, quàm placere Deo, qui eſt
Exod. 23. ſummum bonum? Ego, inquit, *oſtendam omne bonum tibi?* omne ſcilicet vtile, omne honeſtum, & omne bonum iucundum. Nonne vnicuique rei innatum eſt velle attingere finem ſuum: & velle ſibi vitam, quam quidem poteſt longiſſimam prorogare? Atque
Epiſt. ad Valer. illud eſt quod agitur labore in te ſalutari. *Amantes vitam hortamur ad vitam,* inquit Eucherius; *vera ratio eſt perſuadendi,*

Digitized by Google

cum id poſcitur vt impetremus à vobis quod concupiſcitis; pro vita quam diligitis, legatione apud vos fungimur : & ſanè quàm omnes exiguam amatis, inſinuamus vt ametis æternam : Quaſi diceret, quidquid à vobis petitur pro ſalute æterna comparanda, non poteſt non eſſe facile; cum nihil ſit facilius, quàm velle ſemper viuere. Denique quis neget, amanti nihil eſſe difficile, ipſum enim difficultatis nomen amor erubeſcit, inquit ſanctus Auguſtinus: At quis in amando Ieſu labor, qui totus eſt ad amorem noſtrum excitandum effectus, & qui hoc maximè motiuo facilitatis nos ad ſe vocat, *iugum enim meum ſuaue eſt*, inquit, *& onus meum leue.* *In Man.* *Mat. 11.*

De fructu autem inde conſequente non eſt dubitandi nec diſſerendi locus, cùm illud Sapientis ſit apertiſſimum : *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* Itemque illud : *In opere ipſius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.* Quidquid egeris in hunc finem, vt illi placeas, ſiue manducando, ſiue bibendo, ſiue aliud quidpiam operando, quod eſt tibi obuium & quotidianum, ingentes præſentis gratiæ, & futuræ theſauros gloriæ promereris. *Et folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur. Non ſic impij, non ſic, ſed tamquam puluis, quem projicit ventus à facie terræ.* *Sap. 3.* *Eccleſi. 6.* *Cor. 10.* *Coloſſ. 3.* *Pſ. 1.*

III. PVNCTVM.

NISI ergo *diligenter aduertas, ſtulto labore conſumeris.* Nam hunc facilem & fructuoſum laborem tam facile deſeris, quàm difficilem & infructuoſum illum, facillimè ſuſcipis. Neque hoc tibi fuſiùs probandum fuit, cum id affectus tui ſatis apertè clament, qui penè toti ſunt in concupiſcentiis, licet fortè non peſſimis, non tamen bonis & probatis. *Abiuimus vnuſquiſque in ſenſum cordis noſtri maligni.* Quod de ſe Propheta fatetur, non potes de te negare : Cùm autem nihil aliud ſit ſtulto labore conſumi, quàm ſic relicto labore facili, & fructuoſo, ſe labori duro applicare, vnde nullus extet fructus & operæ poſitæ pretium; quid reſtat niſi diligenter tibi eſſe aduertendum, aut niſi diligenter aduertas, te hoc ſtulto labore conſumendum? *Sic ſtulti eſtis, vt cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini. Tanta paſſi eſtis ſine cauſa; ſi tamen ſine cauſa :* Quaſi dicat Apoſtolus, hoc *Baruch. 1.* *Gal. 3.*

certè eſt eſſe ſtultum, multa pati ſine fructu, ſine vllo merito: ſic autem fruſtra patiuntur, qui carne viuunt non ſpiritu. Quod quidem eo deterius & inſanius eſt, cum illi aliquando bene cœperunt, nunc vero propter modicum laborem à cœptis deſiſtunt, & in grauiorem incidunt, in quo conſummantur & pereunt;
Iob. 6. *Qui timent pruinam*, ait Iob, *irruet ſuper eos nix.* At nonne ſtultum eſſet ſe niui objicere, vt pruinam euitares? Neque enim fugitur labor, ſed augetur, cùm ab vno leui tranſitur ad grauiorem. Eſto ſit labor reſiſtere concupiſcentiis, ſed longe maior eſt non reſiſtere; Nonne ergo qui ſapiunt, minorem illum laborem potiùs ferant, cùm præſertim ſit ſalutaris: aut qui non fe-
1. Tim. 6. runt, planè decipiant, cum ſe inſerant *doloribus illis multis*, de
Prou. 9. quibus ſanctus Apoſtolus. Seriò id apprehende. *Si ſapiens fueris, tibi metipſi eris: Si autem illuſor, ſolus portabis malum.*

Digitized by Google

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM,

NISI SIT SEPTVAGESIMA.

DE LEPROSO MVNDATO.

Et confeſtim mundata eſt lepra eius. Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Non dixeris, per Deum abeſt. *Eccleſi.* 15.

SENSVS EST, præſertim de iis quæ ſpectant ad ſalutem noſtram.

RATIO EST, Quia ſi quid per Deum abeſſet; id defectu poteſtatis, vel voluntatis eius abeſſet.

At neutro ex his capite, dici poteſt.

Ergo omnino ne dicas, per Deum abeſt, ſed potiùs per teipſum, quod eſt valde probroſum.

I. PVNCTVM.

INCEDENTI per vrbem Capharnaum Dominō occurrit leproſus, qui auditâ famâ miraculorum eius non dubitauit de illius poteſtate, ſed de voluntate incertus, poſt humilem adorationem, ſic exclamauit; *Domine, ſi vis potes me mundare: Et Ieſus*

extendens manum, tetigit eum, dicens, Volo, mundare, Et confeſtim mundata eſt lepra eius.

Ex quibus attentè lectis, vel aliquamdiu conſideratis, facile eſt ad Veritatis propoſitæ ſenſum & declarationem pertingere. Cùm enim Chriſtus Dominus apertè leproſo, & nobis indicet ſe æquè velle quod rogatur, ac poteſt: ſi quid non obtinemus quod maximè ad ſalutem noſtram pertineat, planè non poteſt in eum rejici; Quod tamen fit à pleriſque ſeſe excuſantibus, & defectum gratiæ cauſantibus; Tu illud caue, *Et ne dicas, per* *Eccleſi. 15.* *Deum abeſt.* Sic Sapiens expreſſis verbis.

Et ratio eſt euidens, quia ſi ex parte Dei deeſſet aliquid, vel defectu poteſtatis, vel voluntatis eius, deeſſet. Nonne ita? Nam ſi vellet & poſſet, quid deeſſet? hæc duo ſunt præcipua Dei attributa, quæ ad omnium rerum effectionem Scriptura comme- *Eſth. 15.* morat, *Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita: Et non eſt qui poßit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſrael.* Si quid aliud cogitari poteſt, vt ſcientia ſiue ſapientia ad inueniendum modum executionis, ſub nomine poteſtatis continetur, vnde aliud nihil reſtat quò defectus reiici poſſit. Nonne tu ſi quid non facis, ſi qua re præſtanti non excellis, inde ſolum prouenit, aut quia non vis, aut non potes. Nam ſi velles quod poſſes, aut ſi poſſes quod velles, quid non præſtares? Verè id fateor, Domine Deus, & iam me accuſo vel negligentiæ, quòd ea nolim quæ poſſem cum tua gratia; vel arrogātiæ & nimiæ cupiditatis, quòd ea velim quæ non poſſum.

II. PVNCTVM.

AT neutro ex his duobus capitibus dici poteſt: per Deum abeſt. *Sap. 12.* Non quidem defectu poteſtatis, tu enim facile cum Sapiente dices, *ſubeſt enim cùm volueris, poſſe:* aut cum Leproſo, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Sed cum eodem etiam fortè dubitabis de eius voluntate: Verùm audi Dominum Ieſum: *Volo, mundare*; quaſi dicat, perinde volo ac poſſum: non minùs eſto certus de mea voluntate, atque de mea poteſtate.

Non vult quidem modò miraculum, ſi fortè peteres; non vult humana quædam & temporalia, quæ dare poſſet ſi vellet. Neque etiam ita ſimpliciter & abſolutè vult illa quæ ſpectant

ad animæ tuæ ſalutem, vt non iterponat conditionem tuæ cooperationis. Nam vt ait S. Hieronymus, in illa verba Apoſtoli, *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ: VVLT Deus* Ephcſ. 1. *ea quæcunque ſunt plena rationis atque conſilij; vult ſaluari omnes, ſed quia nullus abſque propria voluntate ſaluatur, liberi enim abitrij ſumus, vult nos bonum velle, vt cùm voluerimus, velit in nobis & ipſe ſuum implere conſilium.* At verò hac poſitâ conditione, & 1. Tim. 2. quo ſenſu dixerunt Apoſtoli: *Deum velle omnes homines ſaluos* 2. Petr. 3. *fieri, & nolle aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*; tàm vera eſt eius Voluntas quam vera eſt eius Poteſtas: Et quàm verè poteſt omnes ſaluare, tam verè vult te ſaluum fieri, per media ordinata.

Licèt enim ſit voluntas conditionata, non deſinit tamen eſſe voluntas, quæ, ſi poſita conditione effectum ſortiatur, de conditionata tranſibit in abſolutam: ſi fortè autem non perueniat ad effectum, defectus erit non voluntatis, ſed conditionis quam exigebat talis voluntas, & ſine qua nolebat effectum producere. Ille porrò defectus conditionis, non tam in Deum quàm in cauſam deficientem eſt rejiciendus, ſicut expreſsè & diſertè docet Lib. 2. de S. Ioannes Damaſcenus: *Neque latendum eſt*, inquit, *Deum præ-* Fide c. 29. *cedenter velle omnes ſaluari: non enim ad puniendum nos plaſmauit, ſed vt efficiat nos bonitatis ſuæ participes, vt bonus: peccantes autem puniri vult vt iuſtus: Dicitur igitur prima præcedens voluntas & Acceptatio, ex ipſo exiſtens; ſecunda vero voluntas ſequens, & permiſſio ex noſtra cauſa exiſtens.*

Atque hoc ipſum eſt quod tam clarè, & toties ipſe Deus per Prophetas: *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus* Ezech. 18. *Deus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat; Et quare moriemini domus Iſrael, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite.* Rurſúmque poſtea, *Dic ad eos; viuo* Ibid. 33. *ego dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat; Conuertimini, Conuertimini à viis veſtris peſſimis: & quare moriemini domus Iſrael?* Sic Chriſtus Dominus non iam per Prophetas, ſed per ſe ac ore proprio; *Ieruſalem, Ieruſalem!* Matth. 23. *quoties volui, & noluiſti?* Putaſne eum verè loqui? Quod ſi verè loquitur, poteſne dubitare eum verè velle, qui ſe dicit velle, & qui verè dicit?

III. PVNCTVM.

NON *dicas igitur, per Deum abeſt.* Nam cùm nihil deſit niſi defectu voluntatis, & poteſtatis; hic autem, neque voluntatis, neq; poteſtatis diuinæ vllus defectus notari poſſit, quid eſt quod
Iſ. 5. per illum deſit? *Quid eſt,* inquit, *quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Quaſi diceret, hoc vnum dici poteſt, quod expectaui vt de ſuo mecum conferret ad ſalutem, ſed nihil inde detrahitur de mea poteſtate, aut voluntate, cum non aliter debuerim velle: Ac proinde nemo auſit dicere; *per Deum abeſt,* niſi blaſphemus in eius potentiam, aut bonitatem: & niſi dicat aut illum nolle aut non poſſe. Vtrum dices? vtrum cogitabis? Certe de neutro reſtat dubium; ſed ſi quod minus eſt dubitandum, profectò minus vellet Deus de bonitate ſua, quàm de poteſtate à nobis dubitari. Intuere Crucifixum, vide vt ſe ſua poteſtate quodammodo priuat; quorsùm vero? Vt ſuam nempe Bonitatem magis indicet; vt propenſam in te voluntatem ſuam aperiat manifeſtiùs, vt denique minus dubites de eius voluntate, quàm de poteſtate.

O verè bonum! vere beneuolum, verè volentem, æque ac potentem Chriſtum meum! abſit vt aliquid dicam, vel cogitem per illum abeſſe ſi quid in me deſit! Mea eſt omnis culpa, meus defectus, ego ipſe ſum qui nolo, nolo mundari etiam ſi ipſe velit, quia volo affici rebus creatis. O prauitatem affectus mei, qui non modo repugnat voluntati diuinæ, ſed etiam blaſphemare me facit, quaſi non velit Deus! Quam verè dixiſti Domi-
Oſe 13. ne, *perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum!* Hoc ergo modò auxilium inuoco, ne cùm me vis ſaluum, ego ipſe me perdam! Et cum me vis mundatum, ipſe me inficiam.

AD HÆC CHRISTI D. VERBA.

Vide, nemini dixeris. Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Interrogatus quid primum in præceptis Chriſtianæ religionis

Digitized by Google

gionis obſeruandum : quid ſecundum, quid tertium: Reſponde, Humilitatem.

RATIO *declaratur in* 4. *parte, Feria ſexta infra Hebdomadam decimam ſextam poſt Octauam Pentecoſtes, ex ſancto Auguſtino, cuius eſt tota hæc Veritas.*

Aliæ Veritates de Humilitate hûc referri poſſent : vide Verbo Humilitas.

AD HÆC ITEM DOMINI VERBA.

Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. Matth. 8.

Sex veritates proponuntur in ſequenti Hebdomada, quas vnicuique licet ad hanc reuocare diem.

DE FIDE CENTVRIONIS A CHRISTO D. COMMENDATA.

Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Maioris eſt animi, te Diuinæ Fidei ſupponere, quàm te illi opponere.

RATIO *habetur declarata in* 3. *parte, Feria ſecunda infra Hebdomadam ſeptimam poſt Octauam Pentecoſtes. Et quæ de fide ſparſim proponuntur : vide Verbo* Fides.

Digitized by Google

HAC HEBDOMADE, Materia Conſiderationum elicitur ex his Chriſti Domini verbis quæ Leproſo mundato dixit: *Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.* Matth. 8.

Quæ vt melius intelligantur, aduerte morbum lepræ apud Iudæos fuiſſe frequentem, diuerſum, & cognitu ac curatu difficilem: proindeque multas circa illum morbum conditas eſſe leges, quarum omnium præcipua fuit, vt Leproſi adirent Sacerdotem, qui iudicaret de lepræ genere, de periculo, de remediis, de ſanitate, ac multis ceremoniis quæ habentur in libro Leuitici, capite 13. & 14.

Poterat quidem Dominus diſpenſare leprôſum quem mundauerat ab his legibus; ſed maluit eas ſeruare & commendare, donec planè abrogarentur, ſiue vt Sacerdotio veteris Synagogæ honorem deferret, ſiue vt Sacerdotes nouæ legis ſic colendos & adeundos de noſtris morbis ſpiritualibus oſtenderet. Sic expreſſè habet Gloſſa interlinearis: *Diſciplina noſtri eſt, vt nos oſtendamus Sacerdoti noſtro.* Non enim Sacerdotibus noſtris minorem poteſtatem Chriſtus tribuit, quàm antiquis; nec minus Chriſtiano, quàm Iudæo, præceptum eſt, vt adeat Sacerdotem, oſtendat illi lepram animæ, expectet ab eo remedium, ſanitatem, & alia quæ ad ſex precipua Capita referuntur, de quibus ſingulæ conſiderationes & Veritates in ſingulos Hebdomadæ dies, proponuntur.

SACERDOTIS autem nomine Superior, Confeſſarius, Inſtructor, ſeu Director Conſcientiæ, hîc intelliguntur; Et hîc Illi intelligent, quid reſpondere debeant ſe conſulentibus.

FERIA SECVNDA.

DE ADEVNDO SACERDOTE SEV DIRECTORE, PRO SANA ET RECTA CONSCIENTIA, IN DVBIIS, SIBI FORMANDA.

Digitized by Google

Vade, & oſtende te Sacerdoti. Matth. 8.

Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter lepram & lepram: Surge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotem Leuitici generis, &c. Deuter. 17.

VERITAS PRACTICA.

Multorum eſt Conſcientia cauteriata & peruerſa, niſi ſe ſinant dirigi.

RATIO EST, Quia illa Conſcientia cauteriata & peruerſa tunc eſſe intelligitur, quando quis non ſentit lepram ſeu vulnus peccati.

Sed multi, niſi ſe ſinant dirigi, ſic ſe inſenſibiles reddunt ad certa quædam peccata.

Igitur illis eſt Conſcientia cauteriata, niſi recurrant ad Directorem & ſe dirigi velint. Quod quam ſit neceſſarium, iam facile eſt iudicare.

I. PVNCTVM.

CVM, vt dixi, dubius eſſet lepræ morbus, vel inter plurima Leprarum genera, cùm dubium eſſet qualinam afficeretur Leproſus; tum precipuè mandatum erat, vt is adiret Sacerdotem qui de morbo cognoſceret, & Sacerdotis reſponſo Leproſus ſtaret.

Hæc in figuram eorum, quæ iam à nobis gerenda ſunt, circa Conſcientiæ, ſeu peccatorum dubia. Certum eſt apud omnes, quod ſi quæ occurrant quæ nos meritò dubios, & incertos faciant, tùm Confeſſario vel Directori eſſe aperienda; neque licere in dubio peccati, quidquam facere. Sed quàm pauci hoc curant; quàm multi vel præſumunt ſe ſcire omnia, vel ſe doceri

Digitized by Google

& dirigi negligunt! Quid porro his inde accidit? Audiant Veritatem propoſitam; Audiant ſibi inde fieri Conſcientiam cauteriatam & peruerſam, quâ fit vt quò minus ſibi putent Directore opus eſſe, eò magis indigeant, & eorum vnicuique idcircò dictum, *Vade & oſtende te Sacerdoti.*

Hic finis Meditationis, & propoſitæ Veritatis, vt agnoſcamus & perſuadeamus nobis tam neceſſario adeundum eſſe Sacerdotem, quàm periculoſum eſt alioquin nos habere Conſcientiam cauteriatam, & quàm infeſtum eſt ſaluti, in ea Conſcientia vitam traducere & finire.

Ratio eſt ex vtraque parte, ſeu ex vtraque propoſitione ſua, valde conſideranda, multumque illud quod primò dicitur, expendendum eſt, illam ſcilicet eſſe Conſcientiam cauteriatam & peruerſam, quæ non ſentit vulnus peccati, non dubitat, non angitur, nihil timet, nullo ſcrupulo, ſeu nulla religione tangitur, quæ, vt eſt in libro Iob: *Bibit quaſi aquam, iniquitatem.* Sic
Iob. 15.
1. Tim. 4. Apoſtolus quorundam licentiam carpens, *Cauteriatam*, inquit, *habentium ſuam conſcientiam*, id eſt prope ſimilem cauterio, ſeu cauteriatæ carni: Sic enim explicant Patres, quod ſicut cauterio exuſta caro, vulnus habet quod non ſentit; ita illorum Conſcientia vulnus peccati habet, & non ſentit, non agnoſcit, non eos pœnitet: inſenſibiles ſunt, non mouentur.

Sic expreſsè Theodoretus; *Locus,* inquit, *cauterio inuſtus priorem ſenſum amittit*; Et S. Thomas dilucidè: *Sicut cauterium corruptio eſt in carne per ignem ſiue ferrum ignitum, ex qua egreditur continua putredo, ita ex igne peruerſæ voluntatis, quaſi cauteriata vlceratur Conſcientia.*
In Epiſt. Pauli.

Epheſ. 4. Quod confirmatur ex his quæ Apoſtolus ait, de quibuſdam, *Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, &c.* In Græca verſione dicuntur, ἀπηλγηκότες, id eſt indolentes, quod explicans S. Hieronymus, ait indolentiam eſſe *quâ animus ita obſurduit & obduruit in malis vt peccata non ſentiat: vt cùm peccat, omnem Conſcientiæ remorſum amittat, & quaſi Conſcientia amputata non pæniteat, nihil doleat.* Sicut enim, vt ait S. Ambroſius: *hoc*
In Pſ. 118. *bonæ mentis eſt vulnus ſentire peccati*; ſic eſt peruerſæ indicium, non ſentire, non dolere.

O indolentiam, omni dolore accerbiorem! Fieri ne poſſet Anime, vt ſic aculeum remordentis Conſcientiæ retunderes? aut

Digitized by Google

ſi fieri poſſet, itane velles retundere, & callum facere vitiis tuis?

II. PVNCTVM.

S*ED multi, niſi ſe ſinant dirigi, ſic ſe inſenſibiles reddunt ad certa quadam peccata.*

Nonne vides quàm multi peruersè & inordinatè afficiantur ad res creatas, ad honorem, ad pecuniam, ad ſenſibiles amicitias, & ad reliqua concupiſcentiæ nutrimenta? Videſne verò quid hinc eueniat, quando videlicet ſuis affectibus indulgere volunt? Reſiſtit primo Conſcientia, & vbi peccatum agnoſcit, angitur illico animus, dolet, æſtuat: fugiatne culpam, an admittat? Hinc affectu impellitur, hinc religione retrahitur: *Inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*, vt ait Apoſtolus; vult & non vult animus obiectum praui affectus; placet idem & diſplicet: vult delectationem, ſed illi adiunctam culpam refugit. Quid faciat tandem? quid concludat? Ergòne priuabitur re amata? Etiam, quamdiu culpa ſimul apparebit, & quamdiu Conſcientia culpam refugiet: quamdiu ſcrupulum injiciet, aut remorſum, ſeu animi reluctantis excitabit commotionem. Vnde alterutrum neceſſario ſequetur, aut renuntiandum affectui inordinato, aut Conſcientia contrà obſiſtens conculcanda: Nam nimis durum eſt contra ſtimulum calcitare, & nonniſi perturbatá conſcientiá, atque animo anxio, & in certam ſuam perniciem conſentienti viuere: concilianda ſibi pax eſt, & requies animi, vndecumque proueniat: Quid hic ergo ſtatuent? Quam ſe in partem dabunt?

Rom. 2.

Act. 9.

Certè ſi ſaperent, Directorem adirent, difficultates animi proponerent, à quo quid noxium, quid innoxium in ſuo ſit affectu, diſcerent; qua ratione affectus ordinandi, quo rès vſu & quo fine poſſideri poſſint, aliaque conſcientiæ bene formandæ conſilia ſimul diſcuterent; Hoc eſt enim Directoris munus, hæc gratia directionis, vt ſi quid eſt ambiguum explicet; ſi quid obſcurum, illuſtret: ſi difficile & aſperum, complanet, & expediat; vnde apud Ezechielem Deus conqueritur dè Paſtoribus, *Qui quod infirmum fuit non conſolidarunt, & quod ægrotum non ſanarunt: quod confractum non alligarunt, & quod abiectum non reduxerunt.*

Ezech. 34.

Nunc vero quam pauci ſunt, qui ſe ita ſinant regi, quàm mul-

Digitized by Google

ti ſunt contrà, qui vt affectui libentiùs indulgeant, Conſcientiam premunt, opprimunt, & ita conculcant, vt iam reluctari non auſit, non culpam indicare, non ſcrupulum ſeu religionem mouere, nullo denique modo reclamare.

2. Par. 26. *Quieſce, ne interficiam te:* Dicebat Rex Amazias Cuidam Prophetæ, ſe admonenti. Sic plane illi, ſuæ Conſcientiæ, ſuo illi Admonitori Domeſtico imperant, vt quieſcat à monitis & ſtimulis: Tùm vero ſi acquieſcit, ſe pacatos, & tranquillos ſentiunt in ſuis affectibus inordinatis, quia iam peccatum ibi non agnoſcunt; nihil contrà audet Synderesis, nihil Conſcientia, nihil ratio, nihil denique ſeſe opponit affectui: Indolentes, & inſenſibiles redditi, iam ibi non agnoſcunt culpam vbi eſt, cum antè ibi agnoſcerent, vbi non eſſet; *Qui*, vt ait Sapiens, *relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas: qui lætantur cùm maleſecerint, & exultant in rebus peſſimis*; Id eſt, nullo Religionis, & Conſcientiæ punguntur ſtimulo, imo numquam ſe beatiores & tranquilliores putant, quàm cùm liberiores ſunt in ſuis concupiſcentiis; Quod idem Sapiens ſic apte exprimit: *In magno viuentes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.*

Pro. 2.

Sap. 14.

Hæc eſt videlicet falſa pax mundi quam Chriſtus Dominus reprobat, & cui ſuam opponit, dicens, *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* In quæ Domini verba, S. Auguſtinus, *Propterea,* inquit, *mundus dat ſibi pacem, vt ſine moleſtia, mundo fruatur.* Id eſt, vt ſine remorſu conſcientiæ, ſuis indulgeat affectibus.

Ioan. 14.

O damnoſiſſimam cupiditatem, quæ ſic animarum ſalutem prodis & perdis! Etiam peritiſſimos quoſque Doctores ſic illudis, vt cum aliis ſatis periti ſint, ſibi tamen ſunt imperiti.

III. PVNCTVM.

M*VLTORVM eſt igitur Conſcientia cauteriata & peruerſa, qui ſuis ſe affectibus ſinant potiùs abripi quàm à Sacerdote, ſeu Inſtructore dirigi patiantur.* Cùm enim inſenſibilitate ſua velut cauterio ſibi facto non ſentiant vulnus peccati, quænam illis reſtare poteſt Conſcientia, niſi cauteriata & peruerſa? Quænam pax animi niſi fatalis illa de qua Dominus, *Non veni pacem mittere ſed gladium?*

Matth. 10.

At nonne tu ex illis es? Nonne tu inordinatè afficeris erga aliquid?. Nonne affectum ſequeris? Nonne ex animi libidine potiùs, quàm ex ratione viuis? An ibi culpam agnoſcis? An ſaltem dubitas? An in dubio Directorem adis? An eius conſiliis libentiùs quàm naturæ motibus acquieſcis? Fatere quod eſt, coram Deo? Nonne ſi vel Conſcientia vel Superior, aut quiuis alius te admoneat, non magni pendis monita, quaſi non magni Reus peccati, quaſi nullum aut leuiculum ſit quod moneris! ſic te excuſas, ſic tibi palpas & blandiris in ementita pace, vt non dubites dicere, te nullo hinc ſcrupulo angi, te nulla religione moueri. *Benedicit ſibi in corde ſuo, dicens: pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei.* *Deut. 29.*

O nimis blandam perniciem! ô nimis ſuaues dolos! *Vident viſionem pacis, & non eſt pax.* *Ezech. 13.* *VADE & oſtende te Sacerdoti*: Communica cum illo de interiori tuo ſtatu, expone illi nudè omnia; Tuam in manus eius animam conjice. Accipe illum vadem & ſponſorem tuæ ſalutis; Animam ſuam pro tua ſpondeat, nec ab illo vnquam diſcede, niſi in eo ſtatu, in quo velles mori: vt cum Chriſtus Dominus rationem petet, quamobrem hoc aut illud egeris, reſpondere poſſis, quod Rechabitæ apud Prophetam: *Obediuimus voci patris noſtri, in omnibus quæ præcepit nobis*; *Ier. 35.* Adiui Sacerdotem quò tu me miſiſti; oſtendi lepram meam, ſic me inſtruxit, ſic erudiuit; ô ſecuram vocem! Si vero huic deſis officio, ſi adire refugis, ſi audire detrectas, ſi te ſecurum putas; ô te Cauteriatum hominem! ô perditiſſimam ſecuritatem! *Cùm dixerint pax & ſecuritas*, inquit Apoſtolus, *tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habenti, & non effugient.* *1. Theſſ. 5.*

FERIA TERTIA.

DE RECVRSV AD SACERDOTEM

PRO RITE OBEVNDA CONFESSIONE.

Vade, & oſtende te Sacerdoti. Matth. 8.

Digitized by Google

Plaga lepræ ſi fuerit in homine, adducetur ad Sacerdotem, & videbit eum. Leuit. 13.

VERITAS PRACTICA.

Quod magis confert ad faciendam Confeſſionem, minùs efficitur, niſi cum Sacerdote priùs conferatur.

RATIO EST, Quia quod magis confert ad perfectam Confeſſionem, eſt auerſio animi ab obiecto quod eſt cauſa peccati.
Atqui hoc minus perficitur, minuſque omnino fit, niſi prius cum Sacerdote conferatur.
Ergo & minus perficitur quod magis confert ad perfectam Confeſſionem, niſi ante Sacerdos adeatur. Vnde imperfecta & nulla ſæpe fit Confeſſio; Quod ne damnum accidat, certe adeundus Sacerdos ſeu Director.

I. PVNCTVM.

QVOD Leproſi adirent Sacerdotem pro lepra ſua curanda, non tantùm figurabat noſtros Sacerdotes eſſe conueniendos, pro peccatorum remiſſione ab eis obtinenda, in Sacramento Confeſſionis: ſed etiam pro ipſa Confeſſione ritè & debitè à nobis obeunda. Neque verò putes id rudibus tantùm & pueris eſſe neceſſarium, vt inſtruantur: ſed grandæui & eruditi quique imò & religioſi & Sacerdotes ipſi, niſi aduertant, & niſi de ſua ſalute ac perfectione ſint valde ſolliciti, ignorabunt in praxi, & omittent quod maximè ſciri & obſeruari debet in Confeſſione ſacramentali, ac proinde his etiam conuenit, & his valde conſideranda eſt Veritas propoſita, cuius hæc eſt Ratio, quæ eſt fundamentum veræ Conuerſionis.

Quod eſt præcipuum & maximè neceſſarium in Confeſſione rite peragenda, ſeu quod maximè obſeruari debet, eſt auerſio ab obiecto, ſeu à re creata, circa quam vel cuius gratia, peccatum, quod confiteris commiſſum eſt. Sicut enim nulla eſſet Confeſſio nec vlla remiſſio peccatorum, niſi eſſet dolor de peccato,

Digitized by Google

cato, ſiue per contritionem, ſiue per attritionem: ſic nulla planè Contritio vel Attritio, niſi auertatur animus à peccato & ab affectu inordinato rei, quæ cauſa fuit peccati. Nam in illo inordinato rei creatæ affectu conſiſtit tota deformitas & malitia peccati, quæ nullâ vmquam confeſſione, nullâ ſatisfactione, nullâ pœnitentia, nullis lachrymis, nullis muneribus, nullo alio denique modo expiari poteſt, quàm auerſione animi à creatura, & conuerſione ad Deum.

Hoc enim propriè eſt reuerti & conuerti, ſicut paſſim Scripturæ docent, & iam ſupra dictum eſt. *Cum auerterit ſe impius ab impietate ſua, ipſe animam ſuam viuificabit. Conſiderans enim & auertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, vita viuet. PROIICITE à vobis omnes præuaricationes veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum.* Quid clarius? quid expreſſius, vt videas non eſſe ſatis, deteſtari peccata, ſicut fieri ſolet à pleriſque, qui peccatum quidem nollent in vſu rei quâ inordinatè afficiuntur, ſed tamen inordinatum illum affectum, cui annexum eſt peccatum, non deponunt, non ſe auertunt, vt ſcriptura loquitur, nec faciunt ſibi cor nouum, ac proinde non reuertuntur, niſi fictè & ſimulatè. *Non eſt reuerſa ad me præuaricatrix Iuda in toto corde ſuo, ſed in mendacio*, ait Dominus apud Ieremiam; tum verò pòſt: *Si reuerteris Iſraël ad me conuertere, ſi abſtuleris offendicula tua à facie mea*, Id eſt, res illas omnes quibus in offenſam cadis; hoc eſt nempe conuerti, dummodo auferantur non tantum exteriùs, ſed ex animo per veram animi auerſionem & conuerſionem ab illarum affectu inordinato; Quod expreſsè dixit Apoſtolus: *Anuntiamus vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum.* Et hæc quidem, tàm de veniali, quàm de mortali intelligenda ſunt, cum nullum omnino peccatum remittatur ſine dolore, & nullus propriè ſit dolor ſine illa animi auerſione & reuerſione expreſſa vel tacita. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum.* Sic de quacunque re dicere debuiſti, vt periret ex animo. Itáne vero verè dixiſti?

Ezech. 18. *Ier. 3.* *Ib. 4.* *Act. 14.* *Oſee 14.*

II. PVNCTVM.

ATQVI hoc eſt quod minùs obſeruari ſolet, & quod vix facies, niſi cum Sacerdote priùs conferas.

Nam cum illi affectus qui deponendi ſunt, ſint valde naturales, ſeu naturæ corruptæ multùm conformes, natura ſui amans, ſui tenax, & in ſuis conſeruandis ſolers, & callida, tam facilè eos ſemper affectus retinere ſatagit, quàm difficilè ſe ſinit *Oſee 5.* illis exui. *Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum* *Ibid. 10.* *ſuum*, inquit Propheta; Et rurſum: *Ephraim vitula docta diligere trituram:* id eſt, ita aſſueti ſunt adhærere iis quæ diligunt, vt vix deſueſcant & auertantur.

Atque hinc fit, vt aliqui ſibi perſuadeant, id omnino impoſſibile: alij poſſibile quidem, ſed tam difficile & violentum, vt vix pares ſe credant violentiæ ſibi faciendæ. Alij ignorantiam affectantes non magis in confeſſione cogitabunt de affectibus moderandis, quàm ſi ad remiſſionem peccati, moderatio illa nihil ſpectaret. Alij dum non ſentiant affectum inordinatum, quo tempore confitentur, ſibi ſatis eſſe putant, licet de futuro nihil ſtatuant. Alij quidquid de affectu reprimendo dicitur, non vt præceptum ſed vt conſilium religioſis relinquunt. Religioſi verò non vt affectum priuatum retinere ſe dicunt ſui gratia, ſed vel in bonum aliquod proximi, vel ſui ordinis zelo, aut aliqua ſimili prætexta cauſa. Alij peccatum quidem in re amata deteſtantur, ſed ipſum tamen amorem inordinatum qui facit peccatum, non dimittunt. Alij ſic toti ſunt in enumerandis & enarrandis ad calculum culpis, vt nihil illis otij & animi videatur ſupereſſe ad culparum radices agnoſcendas & euellendas. Alij denique pro ſuo quique ingenio, & naturæ impulſu, quo id cumque modo particulari fiat, ſic deficiunt hac in parte Confeſſionis, vt à Sacerdote ijdem prorſus diſcedant, vt acceſſerant; quia vt dictum eſt, natura ſui nimiùm amans & tenax, mirum quantum in hoc affectuum naturalium negotio reſiſtat rationi & Gratiæ, niſi à perito & ſolerti Directore ita iuuetur, inſtruatur, & quodammodo cicuretur ac manuducatur, vt de eo dici poſſit quod eſt in libro *Iob. 26.* Iob; *Obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus.*

Sicut enim à Sacerdote diſcitur quid rei alienæ ſit reſtituendum, quid ablatæ famæ reparandum, quid proximæ in malum occaſionis auferendum; ſic planè ab eodem audiendum eſſet, tanquam à Deo, quid ex animo euelli debeat, quid in meliorem *Ez. 3.* vſum conuerti, quid ex parte tolerari, quid funditùs abijci; *Audies de ore meo verbum*, ait Dominus, *& annuntiabis eis ex me*. Sed

Digitized by Google

quàm pauci hoc docent, aut doceri volunt! Atque hinc fit, vt licet tam multi confiteantur, verè etiam modò Dominus dicat quod olim: ***Attendi, & auſcultaui, nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato, ſuo dicens, quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, Velut equus, impetu vadens ad prælium.*** *Ier. 8.*

O deplorandum malum! & eò magis deplorandum, quò eſt magis commune & vniuerſale: Et verò anima mea, ſic deplora malum illud commune, vt tuum in particulari præcipuè defleas.

III. PVNCTVM.

HINC ***ergo manifeſtè patet, vt quod eſt præcipuum in Confeſſione, non fiat, niſi adſit Sacerdotis directio***; Cùm illa animorum conuerſio & auerſio à rebus creatis, quæ eſt præcipua Confeſſionis pars, vix aliter bene fiat: Ac proinde patet etiam neceſſitas adeundi Sacerdotis, vbi agitur de re talis momenti, qualis eſt Confeſſio. Quid enim anime ſentis? quanti illud ad ſalutem referre putas benè aut malè confiteri? ***Si ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis?*** *Marci 9.* dicebat Dominus, hoc eſt, ſi Confeſſio, quæ reparandis aliis malis eſt deſtinata, mala & peruerſa ipſa ſit, quo tandem alio modo reparabitur? At quo modo non erit mala, ſi nullus eſt dolor? Qualis autem erit dolor, ſi nulla eſt auerſio animi à peccato, ſeu à re cui peccatum eſt adiunctum? Aut quis tandem modus illius ſanctæ auerſionis procurandæ, ſi tibi & naturæ deprauatæ relinqueris, quæ non obſtante qualibet gratiâ, vix patietur ſe priuari, & auerti ab eo quod nimis amat, niſi à perito Sacerdote difficultas mitigetur, & via quodammodo complanetur? Adeòne graue eſt communicare cùm Illo, de modo ritè confitendi, cui non eſt graue confiteri!

Hoc ſit itaque fixum ratumque, vt quàm ſtudiosè vis debitè conteri, & reconciliari Deo, tam verè deſideres erudiri & dirigi à Sacerdote, vt quod præcipuum eſt in hoc negotio, præcipuè impleas. ***Si videris ſenſatum, euigila ad eum: & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.*** *Eccleſi. 6.*

Vide Dominicam 4. in Aduentu.

FERIA QVARTA.

DE NECESSITATE RECVRRENDI AD SACERDOTES, PRO REMEDIIS SPIRITVALIBVS.

Si fuerit plaga lepræ in Ædibus, ibit cuius eſt domus, nuntians Sacerdoti, & dicet, quaſi plaga lepræ videtur mihi eſſe in domo mea; at ille præcipiet vt efferant vniuerſa de domo. Leuit. 14.

VERITAS PRACTICA.

Ne dicas, ſufficiens mihi ſum. *Eccleſi.* 11.

RATIO EST, Quia vel id omnino credis, vel non credis. Sed ſi non credis te ſufficientem tibi eſſe, non eſt id dicendum, & recurrere debes ad Sacerdotem; Quod ſi id credis, hoc ipſo magis ad eum tibi eſt recurrendum, vt te vana illa & damnoſiſſima præſumptione liberet.

Ergo ſiue te credas ſufficientem tibi eſſe, ſiue non credas, debes ſemper recurrere ad Sacerdotem, nec dicere ſufficiens mihi ſum.

I. PVNCTVM.

TANTVM erat lepræ malum vt parietibus domeſticis ſæpè adhæreret, atque inde periculum eſſet, ne in perſonas tranſiret, & perniciem illis afferret, vnde illico iubebantur Iudæi adire Sacerdotem, vt remedium futuro malo, ne graſſaretur, ordinaret.

Sic planè nobis idem contingit, in noſtris affectibus: Adhæ-

Digitized by Google

reſcunt rebus domeſticis, etiam ſi à nobis pulſi ſint & excuſſi: redibunt, & inuadent hominem, niſi remedium adhibeatur, & niſi propterea Sacerdos adeatur. *Coinquinationes illæ ſunt mundi,* 2.Pet.2.
de quibus S. Petrus, *quas qui fugerunt, his rurſus implicati ſuperantur, & fiunt eis poſteriora deteriora prioribus.* In hunc finem aptiſſimè Sapiens, à quo deſumpta eſt Veritas nobis hodiè propoſita; *Ne dicas, quid eſt mihi opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona? Ne dicas, ſufficiens mihi ſum, & quid ex hoc peſſimabor?* Quod Eccleſi. 11.
enim in hac materia maximè cauendum, illud eſt, ne quis ſe ſatis ſufficientem dicat, nec proinde aliò ſibi recurrendum putet. Sed planè id vetitum dicere & ſentire; *Ne dicas.*

Nam vel id gratis dices, licèt non ſentias ita eſſe; vel feriò & ex animo ita putabis, ita credes; ita dices vt credis, & ita credes vt dicis. Vtrum è duobus? Ne diſſimula; Deo teſte lo- Reg. 16.
queris, *Dominus intuetur cor, SI dixeris, vires non ſuppetunt, aut etiam ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis,* inquit Sapiens, *ipſe in-* Pr. 24.
telligit, & Seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera ſua. Eſt autem alterutrum neceſſariò tibi dicendum. O neceſſitatem aperiendi pectoris! quid enim profit Eum celare, quem latere nihil poſſit?

II. PVNCTVM.

SED ſi non ita ſentis, & te inſufficientem putas, qui prauis tuis affectibus remedium efficax afferre poſſis: certè obligaris pro ea quam de ſalute & perfectione tua habere debes, curâ & ſolicitudine, illum adire Sacerdotem qui prouideat & medeatur. Cùm enim tot ſint à Chriſto Domino inſtituta remedia, nimis probroſum eſſet, non iis vti, & eorum defectu ſalutem in diſcrimen vocare. *Numquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare* Ier. 8.
igitur non eſt obducta Cicatrix? quid reſponderes, niſi quod neglexeris & Medicum & medicamenta, contrà ac præcipitur: *Da locum medico, etenim Dominus creauit illum, & non diſcedat à* Eccleſi. 38.
te, quia opera eius ſunt neceſſaria; eſt enim tempus quando in manus illorum incurras.

Quod ſi te ſufficientem tibi putas, & idcirco non alium eſſe adeundum credis; Vide quid dicas, etiam ſi tu ipſe medicus ſpiritualis & Sacerdos eſſes; falleris, nimis de te præſumis, &

illa præſumptio tantum eſt malum, vt hoc ipſo magis alius tibi ſit adeundus, quo magis te tibi ſufficientem putas. An ignoras medicum quantumuis peritum non poſſe ſibi mederi: ſed alium eſſe adhibendum? Quia videlicet amore proprio ſic impeditur vt quod aliis remedium apte ordinaret, non poſſit ſibi præſcribere aut vſurpare. At nonne id verius in morbis, & remediis ſpiritualibus? Nonne ibi natura magis corrupta eſt & deprauata, vt quod aliis diceres faciendum, tibi ipſi non dicas, vel dicenti non obedias? *Illud firmiſſimum tenendum*, inquit ſanctus Baſilius, *omnium difficillimum eſſe ſe ipſum cognoſcere & curare; propterea quod naturaliter quiſque ſe ipſum amet.* Quod ſi ſpectas ordinationem diuinam, quæ ad medicum corporalem pro ſanitate corporis, vnumquemque mittit; quantò magis eam ſpectare debes in hoc negotio, cum ita de ſanitate animæ procuranda ſtatuerit Deus, vt gratiam quæ dicitur Diſcretionis ſpirituum & ſine qua nemo aptus eſt ad dirigendas animas, dederit tantùm Eccleſiæ ad alios curandos, non ad ſeipſum. Eſt enim gratia ex iis quæ dicuntur gratis datæ, quæ non niſi ad alios dantur. Denique audi S. Auguſtinum: *Niſi quiſque adiuuetur à ſuperiore, nullomodo ſibi eſt idoneus, vt ſeſe tantis miſeriarum implicamentis expediat.* Tu contrà non vereberis dicere: *ſufficiens mihi ſum.* O præſumptionem animi, ſi ſic de te ſentis! O cæcitatem, ſi non vides hanc ſenſus tui præſumptionem! *Quia dicis quod diues ſum, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Hæc verba ſæpius tibi ſunt ingerenda.

In conſtitut.

1. Cor. 12.

De Serm. Dom. in monte c. 3.

Apoc. 3.

III. PVNCTVM.

N*E dicas igitur, ſufficiens mihi ſum: Et ſiue id reuera ſentias, ſeu non: ſemper tibi recurrendum ad alium, ſi verè ſapis.* Attende ad hæc duo verba, *vere ſapere*, nam qui ſibi ſapientes videntur, vt nihil aliis egere putent, ſapientes quidem ſunt, ſed non verâ ſapientia, ſi Sapientem & Apoſtolum audis. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri*, inquit ille, *magis illo ſpem habet inſipiens*; Hic autem: *Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos, prudentia carnis mors eſt*; vnde S. Bernardus. *Qui ſe*, inquit, *magiſtrum ſui facit, ſe ſtulti diſcipulum conſtituit, & omnia illi deſunt, qui ſibi nihil deeſſe putat*; Nec pudeat adire alium, cùm apud

Pr. 26.
Rom. 8. & 12.

In epiſtolis.

Digitized by Google

omnes hæc ſit recepta conſuetudo, vt in noſtris negotiis peritos quoſque conſulamus, & his magis credamus quam nobis. Alioquin peruerſus eſt ille pudor, de quo ſapiens, *Pro anima tua ne confundaris dicere verum: eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & Gratiam.* Denique illa etiam atq; etiam diuina reuolue Monita: *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Ne ſis ſapiens apud temetipſum.*

Eccleſ. 4.

Prou. 3.

FERIA QVINTA.

DE CONSVLENDO SACERDOTE,

PRO BONIS OPERIBVS FACIENDIS.

Cum (Sacerdos) *inuenerit lepram eſſe mundatam præcipiet ei qui purificatur, vt offerat duos paſſeres viuos pro ſe, &c.*

Quod ſi pauper eſt, & non poſſit manus eius inuenire quæ dicta ſunt, pro delicto aſſumet Agnum ad oblationem, &c. Leuit. 14.

VERITAS PRACTICA.

Grande malum propria voluntas, quæ ſe in bono bene faciendo, non ſinit dirigi.

RATIO EST, *Quia illud eſt grande malum, cum bona noſtra nobis bona non ſunt.*

Sed propriâ illâ voluntate, quæ ſe non ſinit dirigi ſic fit, vt bona noſtra, nobis bona non ſint.

Ergo eſt illud grande malum: quod vt caueatur, amanda eſt Directio.

I. PVNCTVM.

LEPROSO mundato præſcribebat Sacerdos ſacrificia & oblationes quaſdam, pro diuerſa hominum conditione, adeo vt Diuitibus aliud, & aliud Pauperibus ordinaretur. Sic Peccatori reconciliato mox in ſatisfactionem, aut etiam ad maius meritum Gratiæ & Gloriæ comparandum, præcipiuntur aut conſuluntur à Sacerdotibus noſtris, orationes eleemoſynæ, ieiunia, & alia bona opera pro facultate Pœnitentis, quæ longè maiorem vim habent ad remiſſionem pœnæ peccatis debitæ, quando ſic ex Sacramento pœnitentiæ, ſeu ex pœnitentis obedientia peraguntur, quàm ſi ex propria deuotione ſuſciperentur. *Quamobrem, Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis*
Dan. 4. *pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis*; Sic Daniel Nabucodonozor Regi.

Et quia non tantum pœnitenti in ſatisfactionem pro peccatis, ſed nobis omnibus in diuinum cultum, in proximorum
2. Petr. 1. ſubſidium, & noſtram ſalutem ſtabiliendam, vt in ſcripturis tantopere commendatur, bona ſunt opera facienda: tam neceſſaria eſt in his operibus bene faciendis Directio, & conſilium Sacerdotis, quàm damnoſa eſt propria voluntas, quæ ſine directione & conſilio præſumit ſe poſſe aliquid benè operari. Tantùm enim abeſt vt illâ propriâ voluntate, fiat aliquod bonum, quin
Serm. 7. c. in Cantic. potius cenſeri debeat, *Grande malum propria voluntas, quæ non vult dirigi, & quâ fit vt bona tua tibi bona non ſint.*

Sic expreſsè S. Bernardus à quo eſt deſumpta Veritas, modò expendenda. Atque imprimis illud conſiderandum, quàm ſit grande malum, cùm bona noſtra, nobis bona non ſunt. Hæc
Deut. 28. eſt enim maledictio Iudæis denunciata: *Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis, quia locuſtæ deuorabunt om-*
Mich. 6. *nia. TV ſeminabis & non metes, tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo: & muſtum, & non bibes vinum.* Vbi duplex agnoſci debet malum: vnum quidem in labore & expenſis, aliud autem in priuatione fructus, & emolumenti quod ſperabatur ex impenſo labore. Quæ ſi priuatio fructus dolenda eſt in bonis temporalibus, quantò magis deploranda in iis bonis quæ ſic æterni-

tati

Digitized by Google

tati deſeruiunt, vt niſi adſint vnicuique, quanta eſſe debent ex ſuæ vocationis gradu, nulla ſit illi ſperanda æternitas. *Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in Ignem mittetur.* Matth. 7.

Quid verò iuuat facere fructum, ſi non ſit bonus? aut quid confert bonus fructus, ſi nobis non ſit bonus? Nonnè eſt igitur grande malum, cùm bona noſtra nobis bona non ſunt: quandoquidem perinde eſt ad æternam vitam, ac ſi nulla eſſent bona; peius autem & damnoſius ad hanc præſentem vitam, quòd multum fuerit laboris, impenſæ plurimæ, tempus perditum, ſpes illuſæ; *Quoniam deuaſtatum eſt triticuum*, inquit Propheta, Ioel. 1. *confuſum eſt vinum elanguit oleum, periit meſſis agri, demolita ſunt horrea, diſſipata ſunt apotheca.* Plange hoc malum.

II. PVNCTVM.

S*ED propriâ illâ voluntate quæ ſe non ſinit dirigi, ſic fit vt bona noſtra, nobis bona non ſint.*

Hæc eſt ſcilicet propria voluntas de qua S. Bernardus in illud Canticorum, *qui paſcitur inter lilia*; quæ idcirco propria dicitur, quia non erat communis cum Superiore, in iis Religioſis qui plura bona faciebant, ſuo proprio motu, ſecus quàm ille vellet à quo regebantur, & cui non communicabant quod facerent. Vt autem oſtendat eis ſua bona non ipſis eſſe bona, adducit locum Iſaiæ, vbi Iudæi apud Dominum ſic conqueruntur, *quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?* Is. 58. Quibus tum Dominus, *ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis*; Atque hunc locum prophetæ, S. Pater cum illo componens quem explanabat ex Canticis; *Vereor*, inquit, *ne inter nos aliqui ſint, quorum non acceptet munera ſponſus, eò quod non redoleant lilia*; *Etenim ſi in die ieiunij mei inuenitur voluntas mea, non tale ieiunium elegit ſponſus*; *non ſapit illi ieiunium meum, quod non lilium obedientiæ, ſed vitium propriæ voluntatis ſapit. Ego autem non ſolum de ieiunio, ſed & de ſilentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, poſtremò de omni obſeruatione Monachi, vbi inuenitur voluntas ſua in ea, & non obedientia Magiſtri ſui, id ipſum ſentio, minimè prorſus obſeruantias illas, etſi bonas in ſe, tamen inter lilia, id.*

Digitized by Google

eſt inter virtutes cenſuerim deputandas : ſed audiet à Propheta, qui eiuſmodi eſt, numquid tale eſt obſequium quod elegi, dicit Dominus? Et addit, *in die bonorum tuorum inueniuntur voluntates tuæ: Grande malum propria voluntas, quâ ſit vt bona tua tibi bona non ſint : oportet proinde extra lilia ſiant, qui huiuſmodi ſunt, quia nihil omnino, quod propria inquinatum ſit voluntate, guſtabit Is qui paſcitur inter lilia : ſapientia eſt vbique contingens propter munditiam ſuam, & nihil inquinatum in eam incurrit.*

Serm. 19. in Cant. Quæ ſancti Patris dicta ex eodem ſic confirmantur & declarantur, vbi ait : *Sapientia eſt Deus, vult ſe amari non ſolum dulci-* *Rom. 12.* *ter, ſed & ſapienter, vnde Apoſtolus, rationabile, inquit, obſequium noſtrum : facillimè Zelo tuo ſpiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas; nec habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm ſi efficere poſſit, vt in ea incautè, & non cum ratione ambuletur.* Sic eſt autem omnis propria voluntas, indiſcreta, irrationalis, inſipiens, ac proinde Deo minime placens, vnde fit tandem vt quæ per eam fiunt bona, bona non *Reg. 138.* ſint : quod pridem dixerat S. Baſilius in ſuis regulis breuioribus, prorſus edicens, *quidquid fit ex propria voluntatis arbitrio* *Pſ. 74.* θεοσεβείας ἀλλότριον, *alienum id eſſe à cultu pietatis.* Numquid propterea dictum : *Cum accepero tempus, ego inſtitias iudicabo?* *1. Cor. 5.* at nonne hoc tremendum? *Neſcitis, quia modicum fermentum, totam maſſam corrumpit?* Et tota maſsa corruptâ, quid reſtat ſanum? quid reſtat ſanctum? quid reſtat compenſandum? quid reſtat non plectendum?

III. PVNCTVM.

GRANDE *eſt igitur malum propria voluntas, quæ ſe in bono bene faciendo non ſinit dirigi*; Cùm ſic bona noſtra, non magis ſint noſtra, quàm ſi nulla eſſent; ſicque bonis omnibus deſtituti, eò miſeriores ſcimus, quò minus cognoſcimus miſeriam noſtram. Nam ſi nihil omnino boni egiſſemus, ſaltem agnoſceremus inopiam, & cum Publicano clamaremus, *Deus, propitius eſto mihi peccatori.* Sed dum multa nos putamus rectè operatos, quæ nec tamen recta, nec bona ſunt, Pharizæi ſortem incurrimus, cuius bona, diuino iudicio, tam parum probata *Luc. 18.* ſunt, quàm multùm ipſa ſuo probabat.

Digitized by Google

Hoc eſt videlicet, quod regius canebat Pſaltes: ***Dominus de Cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.*** Non deerant forte qui ieiunarent, qui orarent, aut qui etiam eleemoſynas elargirentur: ſed quia nullus erat intelligens aut requirens Deum in illis ſuis operibus faciendis, id eſt, non ex ordinatione diuina, non ex Sacerdotis directione, non ex prudenti dictamine illa obibat: ſed ex voluntate quadam propria, quâ fiebat, vt qui ieiunabant, orare potius aut eleemoſynas facere debuiſſent; & contrà iis eſſet ieiunandum qui orabant, aut ſua pauperibus erogabant: ſic eueniebat vt omnes ſimul inutiles fierent, & nullus eſſet qui faceret bonum, bonum ſcilicet quod ab vnoquoque vellet Deus, licèt aliquod fieret bonum quod quiſque vellet. Vnde ex Hebræo vertit Bellarminus, ***putrefacti ſunt:*** Hac videlicet ſua propria voluntate, quæ quod facit bonum, corrumpit. *Pſ. 13. & 52.*

Hinc aptè Sapiens, ***Multi homines miſericordes vocantur, virum autem fidelem quis inueniet?*** Quaſi diceret, ſat multi ſunt, qui aliqua miſericordiæ opera exercent, & hi vulgò vocantur miſericordes: ſed non ſunt coram Deo, niſi ſint fideles: id eſt niſi ſua illa miſericordiæ opera faciant ex fidelitate quâ debent reſpondere gratiis, & donis acceptis in ſua vacatione, adeò vt tot tantaque faciant, quanta ab eis exigit Deus: hoc eſt enim eſſe fidelem, tam fideliter ſibi data expendere, quantùm ille velit qui expendenda dedit. Sed talem virum quis inueniet? Rarus eſt & penè nullus, quia nullus ſe vult dirigi, & dum ſuo quis potiùs, quàm Directoris conſilio regitur, magis ſpectat quid velit, quàm quod Deus: ſicque fidelitatem illam non aſſequitur, quæ in vna Dei voluntate peragenda conſiſtit. *Prou. 20.*

Vide quantùm in his deficias, & proſpice. ***Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Pro eo ergo quod abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus,*** id eſt, abiecit & recuſauit opera tua. Durum certe, ſic abiecta opera tua! Sed quanto durius ſic abiectum ſermonem Domini. *1. Reg. 15.*

Digitized by Google

FERIA SEXTA.

DE SINCERITATE, QVA REQVIRI DEBET SACERDOS, AD PARTICIPANDA EIVS SACRIFICIA. SIVE AD QVIDVIS ALIVD CVM IPSO COMMVNICANDVM.

Rogabitque pro eo, coram Domino, & faciet ſacrificium pro peccato. Leuit. 14.

VERITAS PRACTICA.

Væ duplici corde. *Ecclesi.* 2.

SENSVS & RATIO eſt, quia væ homini illi qui fictè & diſſimulatè cum Deo agit.

Sed qui duplex eſt corde cum Directore, ſic fictè & diſsimulatè agit cum Deo.

Ergo væ duplici corde; Ac proindè hic maximè procurandum eſt quod ait Apoſtolus; In ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali. *2. Cor. 1.*

I. PVNCTVM.

LICET Leproſi pro ſe orarent, & munera ſacrificanda offerrent, non id tamen ſufficiebat illis mundandis: ſed præterea Sacerdos pro ipſis rogabat Dominum, & faciebat Sacrificium quod fusè deſcribitur Leuitici decimo quarto. Sic planè nobis parum eſt, aut certè minus eſſe putandum eſt, quidquid egerimus, niſi Sacerdos potentiſſimo ille ſacrificio

quod quotidiè in Eccleſia immolatur, nos adiuuet, & niſi propterea illum adeamus & requiramus, ad peculiarem eius ſacrificiorum participationem nobis conciliandam: ſicut quondam amicis Iob dictum eſt ab ipſo Domino: *Ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis. Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, & non imputabitur vobis ſtultitia.* Sic nobis dictum putemus, ſi perfectè ſatisfactum Deo volumus. *Iob. 40.*

Hoc videlicet eſt quod ſatis liberè & frequenter facimus, cùm nos eorum precibus, & ſanctiſſimis Sacrificiis commendamus: nihil frequentius, nihil vulgarius; ſed vtrum id in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei dicatur, tu de te videris. Certè periculum eſt, ne id potius aſſentatoriè, vel ſolitæ vrbanitatis gratiâ vſurpetur, quàm ex ea ſinceritate animi, quâ procedendum eſſet. Itâne reuera ſentis te illius Sacrificiis indigere, cui te vis commendatum, vt qui te ipſo parum poſſis, parum tibi proſis: & niſi eius ſalutari præſidio adiuueris, te minus idoneum & ſufficientem eſſe, qui diuinum tibi Numen propities? Hæc eſt illa ſimplicitas cordis, & ſinceritas Dei, quâ non modo roganda eſſent ſacerdotis merita, & Sacrificia, ſed quidquid vniuerſim cum eo agitur de negotio ſalutis & animæ, ſic ſincerè communicandum eſſet.

Verùm, vt dixi, multum in hac parte deficimus, & tam longè abſumus ab illa ſimplicitate & ſinceritate mentis, quàm longè abeſt à ſimplicitate, duplicitas cordis. *Sed væ duplici corde,* ait ſapiens, *& labiis ſceleſtis & peccatori terram ingredienti duabus viis.* *Eccleſi. 2.*

Hoc modò eſt expendendum diligentiùs, ſic diſcurrendo. Dubitari non poteſt, quin ſit væ homini illi, qui fictè & ſimulatè cum Deo agit. Nam vel exiſtimat id Deum noſſe, vel ignorare: ſi putat Deum noſſe, vt certè nouit omnium corda, nonne eſt apertè illum irridere, ſic velle diſſimulatè cum eo agere? Nonne eſt illud *cor prauum*, quod dicitur, *abominabile Domino?* Quod ſi putat Deum ignorare, & ſeſe ab eo quodammodo poſſe abſcondere, quid iniurioſius Deo? quid diuinæ Scientiæ & Sapientiæ magis oppoſitum? *Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium!* Id eſt, vt putetis poſſe abſcondi. Atque hanc ipſe Deus inter alias rationem reddit, cur illos præcipuè puniat, qui ſe putant Deum celare ſua conſilia; *Prou. 11.* *Iſ. 29.*

Digitized by Google

Apoc. 2. *Vt ſciant*, inquit, *omnes eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes, & corda, & dabo vnicuique veſtrum ſecundùm opera ſua.* Fœlices qui ſapere poſſunt, alienis damnis: Infœlix ille cuius pœna proponitur ad exemplum & terrorem. 1. Par. 29. *Scio Deus meus quod probes corda, & ſimplicitatem diligas*; Vide an poſſis hoc Deo ſincere cum Dauide dicere.

II. PVNCTVM.

SED *duplex corde cũ Directore, ſic fictè & diſsimulatè cũ Deo agit.* Nam duplicem eſſe corde, perinde eſt ac fictè, & diſſimulatè cum Deo agere. Iac. 4. *Purificate corda, duplices animo*, licèt verò immediatè cum Deo non is agat, qui fictè & dupliciter cum aliquo agit, ſic tamen cum Deo agere dicendus eſt, quatenus non ignorat à Deo vetitam, & puniendam quamlibet duplicitatem: non ignorat ſibi propterea rationem Deo reddendam, non ignorat quod dicit ſapiens, Prou. 3. *Abominatio Domini eſt omnis illuſor*, ſiue ſit illuſor Dei, ſiue hominum, *abominatio Domini eſt.* Quod certè hic eò verius cenſeri debet, quò illa duplicitas agitur in negotio ſalutis, quod eſt negotium Dei, & cum Sacerdote agitur, qui Deum magis repræſentat quàm quis alius. Vndè id certiùs dici poſſit quod eſt in actis Apoſtolorum, Act. 5. *non es mentitus hominibus, ſed Deo.*

Hoc autem potiſſimum accidit, cùm vel excuſantur peccata, vel prætenduntur excuſationes, cur aliquid non fiat: vel cùm ita proponitur aliquod dubium, vt cogas quodammodo Directorem reſpondere ad tuam mentem, diſſimulando aliqua quæ ſi ſincerè diceres, aliter reſponderet; Ibid. 13. *O plene omni dolo & omni fallacia!* Ier. 9. *DOCVERVNT linquam ſuam loqui mendacium*, inquit Propheta, *vt iniquè agerent, laborauerunt.* Quod ſic declarat S. Gregorius. 3. p. Paſt. Adm. 12. *Qui amici eſſe veritatis potuerũt ſine labore, vt peccent, laborant: cumque viuere ſimpliciter renuunt, laboribus exigunt, vt moriantur. Nam plerumque in culpa deprehenſi, dum quales ſint cognoſci refugiunt, ſeſe ſub fallaciæ velamine abſcondunt, & hoc quod peccant, quodque iam apertè cernitur, excuſare moliuntur: ita vt, ſæpè is qui eorum culpas corripere ſtudet, aſperſa falſitatis nebulis ſeductus, penè amiſiſſe ſe videat quod de eis iam certum tenebat; vnde rectè ſub Iudææ ſpecie per prophetam, contra peccantem* Iſ. 34.

animam excuſantemque ſe, dicitur : ibi habuit foueam hericius. Hericij quippe nomine, impuræ mentis ſeſeque callidè defendentis duplicitas deſignatur, quia videlicet hericius dum apprehenditur, & caput eius cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conſpicitur : ſed mox vt apprehenſus fuerit, ſemetipſum in ſphæram colligit, & pedes introrſus ſubtrahit, caput abſcondit, & intra tenentis manus totus ſimul amittitur, qui totus ſimul antè videbatur. Sic nimirum ſic impuræ mentes ſunt, cum in ſuis exceſſibus comprehenduntur.

Videri poſſunt, quæ plura hîc habet S. Doctor, & iis non modò conueniunt, qui ſe excuſant in peccatis iam perpetratis, ſed iis etiam qui ne peccare deinceps videantur, excuſant falsò aliqua, vel, vt dixi, diſſimulatè proponunt dubia, & ſupponunt incerta vel falſa; *Filij ſunt illi mendaces* de quibus Propheta, *filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre : & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt. Loquimini* Iſ. 30.
nobis placentia, videte nobis errores; Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael.

Tu ſic fortè non loqueris, nec propterea tibi hæc conuenire credes : ſed putaſne eſſe aliquos, qui ſic apertè loquantur? Vix eſt vllus tam vecors & impius. At vero cùm multi ſint, qui id corde ſentiant, & de quibus alibi dicitur, *labia doloſa in corde, & corde loquuti ſunt :* Tibi magis timendum eſt, ne ex his Pſ. 11.
forte ſis, quàm præſumendum audacius, te ex illis vnum non eſſe. *Sapiens quodcumque audierit, ad ſe adjiciet.* Eccleſi. 21.

III. PVNCTVM.

VAE igitur duplici corde, ſicut væ homini illi qui ſic fictè & diſſimulatè cum Deo agit. Nam vt habet Sapiens, *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Hoc eſt, *ſeminare mala in ſulcis* Sap. 1.
iniuſtitiæ, quod vetat Eccleſiaſticus, *ne metas ea in ſeptuplum.* Eccleſi. 7.
Nam vel additur hæc duplicitas peccato vt excuſetur, vel iſti duplicitati adiungitur quædam gloriatio & palpatio mentis, quaſi cautè & prudenter egeris, ſic animum obtegendo : vel denique ſe aliis etiam prudentiores & cautiores credunt; vnde eſt illud S. Gregorij. *Speciale eſt duplicium malum, quia dum peruerſa &* 3. p. Paſt.
duplici actione cæteros fallunt, quaſi præſtantius cæteris prudentes Adm. 12.
ſe eſſe gloriantur; & quia diſtrictionem retributionis non conſiderant,

Digitized by Google

de damnis ſuis miſeri exultant: audiant autem quomodo ſuper illos propheta Sophonias, vim diuinæ animaduerſionis intendat, dicens:
Soph. 1. *ecce dies Domini venit magnus, & horribilis dies illa, dies iræ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ & clangoris, ſuper omnes ciuitates munitas, & ſuper omnes angulos excelſos. Quid enim per ciuitates munitas exprimitur, niſi ſuſpectæ mentes, & fallaci ſemper defenſione circumdatæ, quæ quoties earum culpa corripitur, veritatis ad ſe iacula non admittunt? Et quid per excelſos angulos, niſi duplicitas impuræ mentis intelligitur? duplex quippe ſemper eſt in angulis paries. Quid per angulos parietis niſi impura corda ſignantur? quæ dum veritatis ſimplicitatem fugiunt, ad ſemetipſa quodammodo duplicitatis peruerſitate replicantur. Et quod eſt deterius, apud cogitationes ſuas in faſtu prudentiæ, ex ipſa ſe*
Iob. 19. *culpa impuritatis extollunt. Dies igitur Domini.* Et quæ plura il-
13 Mor. 4. lic habet, necnon in moralibus ad hæc verba Iob, *Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me. QVID per rugas niſi duplicitas? Rugæ ſunt omnes Eccleſiæ, qui in ea dupliciter viuunt, has rugas in electis ſuis Eccleſia non habet, quia neſcit aliud de ſe foris oſtendere,*
Epheſ. 5. *& aliud intus habere, vnde Apoſtolus vocat Eccleſiam non habentem maculam aut rugam.*

Ne putes hæc temerè ſeu gratis dici, res enim grauior & verior eſt, quàm fortè ſentias. Cogita quantùm abhorreres ab eo quem ſcires tecum fictè & ſimulatè agere, à quo ſcires te decipi; Quàm iniquus ille eſſet Sacerdos, quàm impius qui tecum doloſè procederet! Tu vero ſi teipſum perdis, ſimulatè cum illo agens, an putas leuius eſſe crimen? an putas te minus perditum? Itane cum Medico de corporis valetudine ageres? Itane de re ciuili & temporali cum homine confers, à quo res pendet, à quo conſilium expectas vel iudicium? Nonnè ſeriò, nonne ex animo, nonne omni prorſus modo rem tractas, quo fœlicius ſucceſſuram putas? Iam verò in animi tui negotio, in æternitatis cauſa, in re omnium negotioſiſſima, tu quaſi ioco ludes, aut quaſi
Gal. 3. ludus eſſet, ſic Sacerdotem illudere, ſic te à teipſo illudi? *O inſenſate quis te faſcinauit?*

Eccleſi. 1. Audi hoc poſtremum Sapientis monitum; *Ne ſis incredibilis timori Domini: & ne acceſſeris ad illum duplici corde: ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labiis tuis: attende in illis ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem,*

& reuelet

& reuelet Deus abſconſa tua, & in medio Synagogæ elidat te, quoniam acceſſiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo, & fallacia.

SABBATO

DE CONVENIENDO SACERDOTE PRO DEBITO VSV SACRAE COMMVNIONIS.

Immolabit agnum, vbi ſolet immolari hoſtia pro peccato, aſſuménſque Sacerdos de ſanguine hoſtiæ, quæ immolata eſt pro delicto, ponet ſuper extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & ſuper pollices manus dextræ & pedis. Leuit. 14.

VERITAS PRACTICA.

Suam ille veſtem nuptialem recuſat induere, qui recuſat inſtrui de debito Sacramenti vſu.

RATIO EST, *Quia ſuam ille veſtem nuptialem recuſat induere, qui recuſat afferre debitam, & conuenientem ſibi diſpoſitionem ad perfectè communicandum.*

Sed qui recuſat inſtrui de debito ſacramenti vſu, recuſat afferre iam debitam & conuenientem diſpoſitionem.

Ergo & veſtem ſuam nuptialem recuſat induere: Quod eſt valde cauendum.

I. PVNCTVM.

QVOD fiebat exteriùs in leproſi corpore, quandò agni pro eo immolati ſanguine certis in partibus tingebatur à Sacerdote, hoc longè modò nobiliùs & excellentiùs

de damnis ſuis miſeri exultant: audiant autem quomodo ſuper illos propheta Sophonias, vim diuinæ animaduerſionis intendat, dicens:
Soph. 1. *ecce dies Domini venit magnus, & horribilis dies illa, dies iræ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ & clangoris, ſuper omnes ciuitates munitas, & ſuper omnes angulos excelſos. Quid enim per ciuitates munitas exprimitur, niſi ſuſpectæ mentes, & fallaci ſemper defenſione circumdatæ, quæ quoties earum culpa corripitur, veritatis ad ſe iacula non admittunt? Et quid per excelſos angulos, niſi duplicitas impura mentis intelligitur? duplex quippe ſemper eſt in angulis paries. Quid per angulos parietis niſi impura corda ſignantur? quæ dum veritatis ſimplicitatem fugiunt, ad ſemetipſa quodammodo duplicitatis peruerſitate replicantur. Et quod eſt deterius, apud cogitationes ſuas in faſtu prudentiæ, ex ipſa ſe*
Iob. 19. *culpa impuritatis extollunt. Dies igitur Domini.* Et quæ plura il-
13 Mor. 4. lic habet, necnon in moralibus ad hæc verba Iob, *Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me. QVID per rugas niſi duplicitas? Rugæ ſunt omnes Eccleſiæ, qui in ea dupliciter viuunt, has rugas in electis ſuis Eccleſia non habet, quia neſcit aliud de ſe foris oſtendere,*
Epheſ. 5. *& aliud intus habere, vnde Apoſtolus vocat Eccleſiam non habentem maculam aut rugam.*

Ne putes hæc temerè ſeu gratis dici, res enim grauior & verior eſt, quàm fortè ſentias. Cogita quantùm abhorreres ab eo quem ſcires tecum fictè & ſimulatè agere, à quo ſcires te decipi; Quàm iniquus ille eſſet Sacerdos, quàm impius qui tecum doloſè procederet! Tu vero ſi teipſum perdis, ſimulatè cum illo agens, an putas leuius eſſe crimen? an putas te minus perditum? Itane cum Medico de corporis valetudine ageres? Itane de re ciuili & temporali cum homine confers, à quo res pendet, à quo conſilium expectas vel iudicium? Nonnè ſeriò, nonne ex animo, nonne omni prorſus modo rem tractas, quo fœlicius ſucceſſuram putas? Iam verò in animi tui negotio, in æternitatis cauſa, in re omnium negotioſiſſima, tu quaſi ioco ludes, aut quaſi
Gal. 3. ludus eſſet, ſic Sacerdotem illudere, ſic te à teipſo illudi? *O inſenſate quis te faſcinauit?*

Eccleſi. 1. Audi hoc poſtremum Sapientis monitum; *Ne ſis incredibilis timori Domini: & ne acceſſeris ad illum duplici corde: ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labiis tuis: attende in illis ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem,*

& reuelet

Digitized by Google

& reuelet Deus abſconſa tua, & in medio Synagogæ elidat te, quoniam acceſsiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo, & fallacia.

SABBATO.

DE CONVENIENDO SACERDOTE PRO DEBITO VSV SACRAE COMMVNIONIS.

Immolabit agnum, vbi ſolet immolari hoſtia pro peccato, aſſuménſque Sacerdos de ſanguine hoſtiæ, quæ immolata eſt pro delicto, ponet ſuper extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & ſuper pollices manus dextræ & pedis. Leuit. 14.

VERITAS PRACTICA.

Suam ille veſtem nuptialem recuſat induere, qui recuſat inſtrui de debito Sacramenti vſu.

RATIO EST, *Quia ſuam ille veſtem nuptialem recuſat induere, qui recuſat afferre debitam, & conuenientem ſibi diſpoſitionem ad perfectè communicandum.*

Sed qui recuſat inſtrui de debito ſacramenti vſu, recuſat afferre lam debitam & conuenientem diſpoſitionem.

Ergo & veſtem ſuam nuptialem recuſat induere: Quod eſt valde cauendum.

I. PVNCTVM.

QVOD fiebat exteriùs in leproſi corpore, quandò agni pro eo immolati ſanguine certis in partibus tingebatur à Sacerdote, hoc longè modò nobiliùs & excellentiùs

Tt

in animis noſtris peragitur, quando ipſo immaculato paſcimur Agno, qui pro nobis in altari offertur. Hæc itaque manifeſta fuit ſacræ Communionis figura, quæ vt perfectè à nobis compleatur, non modò à Sacerdote recipimus Sacramentum, ſed debitum etiam recipiendi Sacramenti vſum ac conuenientem vnicuique modum ab eodem exquirimus. Quod quidem ita expedit à nobis fieri, vt quanti refert ſuam afferre veſtem nuptialem ad regiam illam cœnam, tanti videatur noſtra intereſſe, plenè inſtrui de conuenienti modo perfectè communicandi: *Suam ille alioquin veſtem nuptialem recuſat induere, qui recuſat inſtrui de debito ſacramenti vſu.*

Ratio quæ affertur eſt facilis, ſi ſemel intelligatur quod præſupponit, nempè per veſtem illam nuptialem de qua eſt mentio *Matth. 22.* in Euangelica parabola, deſignari conuenientem vnicuique diſpoſitionem ad perfectè communicandum. Sicut enim apud Iudæos non modo erat certum quoddam veſtimenti genus exquiſitum, quod omnes Conuiuæ tenebantur induere, ſed illius veſtimenti tanta erat varietas, quanta neceſſe erat, vt pro diuerſa ætate & ſtatura, ſuam vnuſquiſque poſſet veſtem induere. Sic planè, ad ſacrum Conuiuium non modò eſt quædam diſpoſitio generalis, ſeu generatim neceſſaria omnibus, quæ in Caritate illa conſiſtit quæ excludit omne peccatum mortale: Sed eſt præterea quædam particularis vnicuique, non ita fortè ſemper & abſolutè neceſſaria, ſed tamen valde conueniens, & non tantum ad decentiam, ſed ad participandum vberiorem fructum ita quoque neceſſaria, vt ſine hac, priueris illâ gratiarum ſpecie ſeu abundantia, quam recepiſſes. Atque hæc eſt particularis diſpoſitio quam propriè deſignabat veſtis nuptialis: quia vt dicebam, ſicut hæc veſtis commenſurari debebat ætati & ſtaturæ perſonarum, ſic illa diſpoſitio vocationi, ſtatui & aliis circunſtantiis debet reſpondere, de quibus puncto ſequenti.

Hinc itaque facilis eſt intelligentia primæ propoſitionis, quâ dicitur ſuam ille veſtem nuptialem recuſare, qui recuſat afferre conuenientem ſibi diſpoſitionem ad perfectè communicandum: nam cùm illa certa veſtis nihil aliud adumbret quam particularem hanc diſpoſitionem, nonne vnum infertur ex alio tam perſpicuè, quàm perſpicuum eſt vnum in alio contineri, ſeu vnum & idem eſſe? O quanta iam inde apparet neceſſitas

diſpoſitionis huius afferendæ! Quis ſine veſte nuptiali auderet accedere? Quis non timeret hæc audire; *Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Quis non ſaltem erubeſceret ſine ſua propria & conuenienti veſte? *Non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Apoc. 3.

II. PVNCTVM.

SED *qui recuſat inſtrui de debito Sacramenti vſu, recuſat afferre illam particularem & conuenientem diſpoſitionem.*

Non eſt hìc aliud debitus Sacramenti vſus, quàm particularis vniuſcuiuſque diſpoſitio, nam in hac particulari diſpoſitione afferenda conſiſtit debitus ſacramenti vſus; ſupereſt itaque declarandum, ita opus eſſe Inſtructione, & Inſtructore ad hanc perdiſcendam diſpoſitionem, vt qui recuſet inſtrui, recuſet ſe diſponere. Sic autem declaratur: Opus eſt inſtrui ab alio ſi per te tutò, non poſſis id intelligere & ſatis capere: Nonne id planum? Atqui per te non potes id tuto & commode capere. Hoc enim ſitum eſt in intima tui cognitione, ad quam perſcrutandam non es ſatis idoneus, vt ſupra ex Sapiente viſum eſt, *Ne dicas, ſufficiens mihi ſum,* nam cùm inordinatis non modò Eccleſ. 11. agitemur affectibus, quæ claram noſtri cognitionem obnubilant, ſed variis etiam moueamur ſpiritibus, qui nos à vero dignoſcendo, & recto tenendo tramite non parum turbent: opus eſt planè homine qui Dono Diſcretionis ſpirituum internoſcat bonum à malo, falſum à vero, ſpirituale & diuinum ab humano & diabolico; *Nolite omni ſpiritui credere,* inquit S. Ioannes, 1. Ioan. 4. *ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.*

Sicut enim pro frequentia Communionis nemo ſibi tutò credat, ſed ſtandum eſt iudicio Sacerdotis, qui pro diuerſitate Perſonarum: ſeu Conditionum & ſtatuum iudicet de vnoquoque in particulari, ſic omnino de modo & vſu Communicandi. Nam alius debet eſſe Incipientium modus, alius Proficientium, & alius Perfectorum. Alius eſt Puerorum, alius Iuuenum, & alius ætate prouectorum. Aliter accedendum tempore tribulationis, & aliter tempore conſolationis. Tam varij denique poſſunt eſſe modi, quàm variæ ſunt perſonæ; Imo, & quàm diuerſi ſunt eiuſdem perſonæ ſtatus, in quibus omnibus modis,

& ſtatibus dignoſcendis, quia poteſt errari, ſicut in frequenti vſu, niſi diſcretione ſpirituum, & directione caueatur: idcirco nō minus quis inſtrui debet de illo modo, quàm de frequentia: & qui recuſat inſtrui, recuſat afferre conuenientem ſibi diſpoſitionem, quæ in illo certo conſiſtit modo. *Hæc tibi ſcribo*, inquit
1. Tim. 3. Apoſtolus, *vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui.*

Quot enim ſunt qui ſe ſemper incipere putant, & in via purgatiua jacentes, nihil niſi de peccatis ſoliciti, hoc vnum communicando, cogitant; cùm in Charitatis, aliarumque Virtutum actibus ſe exercere deberent? Quàm multi contrà citius euolant, & altiùs quàm oporteret; cúmque ſuis nondum ſint exuti affectibus, Deo adhærere geſtiunt, & vnitiuam perfectorum viam incedere: vnde tam multi lapſus & caſus, de quibus paſſim ſancti Patres. Tu illud ex libello de Imitatione Chriſti reuol-
L. 3. c. 7. ue: *Quidam incauti propter deuotionis gratiam ſeipſos deſtruxerunt, quia plus agere voluerunt, quàm potuerunt, non penſantes ſuæ paruitatis menſuram, ſed magis cordis affectum ſequentes, quam rationis iudicium.* Et poſt pauca, *qui adhuc noui ſunt, & imperiti in via Domini, niſi conſilio diſcretorum ſe regant, faciliter decipi poſſunt & elidi: Quod ſi ſuum ſentire magis ſequi, quàm aliis exercitatis credere volunt, erit eis periculoſus exitus, ſi tamen retrahi à proprio conceptu non valuerint; Raro ſibi ipſis ſapientes ab aliis regi humiliter patiuntur.*

Hæc diuinus ille Author ad verbum, ex quibus planè intelligas, quàm vera ſit Propoſitio de recuſante ſe inſtrui, & cùm non aliter multi recuſent, quam quia ſibi ipſis ſapientes videntur, vide quàm ſit timenda talis præſumptio; & quam vere Pro-
Iſ. 5. pheta, *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes!*

III. PVNCTVM.

SVAM igitur ille veſtem nuptialem recuſat induere, qui recuſat inſtrui de debito ſacramenti vſu; Nam cùm illa veſtis nuptialis non in genere ſumpta, ſed in ſua ſpecie, & certâ quâdam menſurâ, nihil ſit aliud quam proportionata vnicuique diſpoſitio, quæ requiritur ad perfectiorem ſacramenti vſum, &

quæ à Sacerdote, non à nobis eſt addiſcenda, niſi errare velimus in re tanti momenti; quid ſequitur niſi quod propoſitâ Veritate continetur? Cuius rara quidem eſt praxis, quia rari ſunt, vt dictum eſt, qui ſibi nimis non ſapiant, & qui ſe putent egere alieno conſilio: ſed non propterea deſinit eſſe Veritas, cuius conſideratio multum certè valere poteſt ad hanc præſumptionem comprimendam, & ad coueniendum Sacerdotem de re tam vtili & neceſſaria.

Hi ſunt paruuli & inſipientes, quos ex omnibus inuitat ad ſe Sapientia; *Si quis eſt paruulus veniat ad me: & inſipientibus locuta eſt; venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Hi ſunt inter amicos chariſſimi qui inebriantur; *Comedite,* inquit, *amici, & bibite: & inebriamini chariſſimi,* id eſt replemini tantâ gratiarum abundantiâ, vt non iam homines, non ratione humana moueamini: ſed toti cœleſtes, & diuini euadatis. Hoc eſt enim ſingulare beneficium ſacræ Communionis, ad quam acceditur cum veſte nuptiali, id eſt cum ſibi conueniente diſpoſitione: ita replet animum diuinis infuſionibus, vt totus abſorptus & inebriatus ſentiatur. Amici quidem ſunt qui in caritate communicant, & hi quidem comedunt & bibunt; ſed qui ad caritatem addunt puriorem illum & perfectiorem modum, qui ſuo ſtatui, & præſenti gratiæ conuenit, hi ſunt chariſſimi, & præter communem Communionis fructum, tam multos alios referunt, vt vnâ communione plus aliquando proficiant, quam alij pluribus.

Prou. 9. *Cant. 5.*

O dulciſſimè Domine Ieſu quanta eſt dulcedo deuotæ animæ tecum epulantis in conuiuio tuo. Vide libri quarti de Imitatione Christi caput vndecimum; & ſic deplora tot gratiarum jacturas quas feciſti, vt ad eas reparandas nouo accendaris deſiderio non aliter deinceps communicandi, quàm cum debita, & conuenienti diſpoſitione animi, quantum cùm diuina gratia, & Directoris operâ procurare poſſis. *Dilata os tuum & implebit illud.* *Pſ. 80.*

Vide Verbo *Communio, Euchariſtia* præſertim in 3. parte.

Digitized by Google

DOMINICA IV.
POST EPIPHANIAM,
NISI SIT SEPTVAGESIMA.

DE SEDATA MARIS TEMPESTATE IMPERIO CHRISTI.

Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Non quia mala ſunt, perturbamur, in aduerſis: ſed quia perturbamur, aduerſa mala ſunt.

RATIO EST, Quia totum aduerſitatis malum, in malo eſt eius vſu.

Sed malus aduerſitatis vſus ex perturbatione potius prouenit, quàm ex malo vſu, perturbatio.

Ergo non quia mala ſunt, perturbamur, in aduerſis: ſed quia perturbamur, aduerſa mala ſunt: ac proinde magis cauendum eſt perturbari in aduerſis, quàm ipſa quæuis ſubire aduerſa.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

ASCENDENTE Ieſu in nauiculam ſecuti ſunt diſcipuli eius : & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat. Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes ; Domine, ſalua nos, perimus. Et dicit eis Ieſus , Quid timidi eſtis , modica fidei ? Tunc ſurgens imperauit ventis & mari ; & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines mirati ſunt dicentes , qualis eſt hic , quia venti , & mare obediunt ei?

Hæc hodierni Euangelij verba quæ alibi rurſum conſiderantur ſic reuolue ; vt animaduertas primo , quantæ moleſtiarum, moles ; quanti calamitatum fluctus , & procellæ nos agitent in hac vita. Deinde quàm parum conſtantes in his ſimus , licèt non ignoremus nihil niſi Deo volente nobis accidere , nihilque eo præſente & adiuuante poſſe obeſſe , ſi velimus , *boni emulatores eſſe ,* ſicut ait S. Petrus, id eſt bene vti occaſione. Denique noſtram animi perturbationem & impatientiam in aduerſis, maius eſſe malum , quàm ipſa quæuis aduerſa ; Nam niſi perturbaremur , mala non eſſent ; quidquid enim dicamus ad excuſandas perturbationes noſtras , quidquid contrà ſentiamus, certa eſt Veritas, & digna quæ ſæpe recolatur, ***Non quia mala ſunt perturbamur in aduerſis : ſed quia perturbamur , aduerſa mala ſunt.***

In 3. parte. *1. Petr. 3.*

Ratio quæ proponitur, continet vniuerſale illud principium, de quo fuſiùs in aliis Veritatibus explanandis ; Quod ſcilicet in creatis rebus nihil boni vel mali propriè dicendum ſit , niſi bonus vel malus earum vſus : Non proſperitas , non diuitiæ , non deliciæ , non humana gloria , non quæuis alia huius vitæ commoda , verè bona ſunt , niſi benè iis vtaris : ſic neque paupertas, nec calumnæ , neque morbi , iacturæ aut alia quæcunque aduerſa incidant , cenſenda mala ſunt , niſi tu , malè vtendo, mala facias. ***Hæc omia ſanctis in bona,*** inquit Sapiens, ***ſic & impiis & peccatoribus in mala cõuertentur.***

Eccleſi. 39.

Vnum eſt verè bonum , Deus , & æterna Beatitudo, cui poſſidendæ creati ſumus ; cætera ſuper terram ſita , tam verè bona vel mala ſunt , quàm nos verè ad illum noſtram finem ducunt,

Digitized by Google

vel inde abducunt.

Gen. 2. Hinc illa fatalis arbor dicta eſt *ſcientiæ boni & mali*, quod per eius vſum primus homo didiciſſet, quid boni vel mali eſſet in rebus, prout videlicet bene vel malè homines vterentur ad finem ſuum. Quid ſacratius illo ſacro Pane quem Iudas proditor accepit à Chriſto Domino? Et tamen cum illum accepiſſet, tum

Ioan. 13. inimicus in eum intrauit, *Non quia malum accepit*, inquit ſan-

Tract 26. in Ioan. ctus Auguſtinus, *ſed quia bonum malè, malus accepit. NON res calumniemur*, aiebat crebrò S. Chryſoſtomus, *ſed nos, & noſtrum*

Hom. 15. *torporem; Neque dicamus, non ſint mulieres, non ſit vinum, pecunia: ſed ne ſit crapula, ne ſit fornicatio; Non venter crapulam facit, ſed negligentia: non comedit & bibit Diabolus, & cecidit; comedit & bibit Paulus, & in cælum aſcendit omnia ſunt ad virtutem arma: vide Iob in diuitiis & paupertate*; Et quæ fuſiùs pergit; Breuius autem Apoſtolus, *omnia munda mundis, coinquinatis autem nihil eſt mun-*

Tit. 1. *dum, ſed inquinatæ ſunt eorum mens, & conſcientia.*

Atque vt vno ictu oculi videas, quod longiori diſcurſu ex-

Apoc. 7. plicari non poteſt; intuere cœlum, & cum Ioanne Apoſtolo, cerne Beatos omnes vt palmas in manibus habent; quamobrem putas? niſi quia dum viuerent pugnarunt cum aduerſis rebus, vicerunt & triumphant. At vero in infernum retorque oculos,

Sap. 5. & infœlices illos vide, qui gemunt ſe *laſſatos in via iniquitatis & perditionis, nec non ambulaſſe vias difficiles*, Id eſt, non minùs eſſe paſſos, quàm illos qui palmas habent; cur ergo hi non triumphant ſicut illi? quia videlicet non ſic vicerunt, non ſic pugnarunt, non eodem modo aduerſis vſi ſunt, ac proinde quæ res aduerſa vni homini gradus fuit in cœlum, fuit alteri præcipitium & caſus in exitium ſempiternum. Adeo id verum eſt totum aduerſitatis malum in malo eius eſſe vſu.

O quantam iniuriam rebus infers, & rerum Creatori, cùm de illis conquereris, quaſi malæ eſſent & peruerſæ! Quam verè potiùs de te quererentur, quod cùm bonæ eſſent, tu male aut

Ibid. perperàm eas vſurpando, malas feciſti; *Armabit idcirco Deus creaturam ad vltionem inimicorum.*

II. PVNCTVM.

SED *malus aduerſitatis, vſus ex perturbatione potiùs prouenit, quàm ex malo vſu, perturbatio.*

Poſſes

Poſſes quidem dolere & angi quòd malè rebus vtaris, atque in illo dolore nonnihil perturbari: ſed de hac perturbatione non agitur, quæ rara eſt, & quæ facile componi poteſt. Alia eſt frequentiſſima, quâ ſtatim atque ſentitur aut apparet aduerſitas, ita cômouemur & perturbamur, vt ex illa perturbatione animus in impatientiam, in murmura, in clamores, & alios inordinatos motus efferatur, vnde eſt ille malus aduerſitatis vſus, de quo hic loquimur. *Quid perdis animam tuam in furore tuo?* Reſpondebis fortè quod idcirco perturberis, quia mala illa ſunt quæ occurrunt, quæque aduerſantur: neque aliter perturbationem concitari, quàm ex apprehenſione mali, quod naturali motu timemus, odimus, fugimus & auerſamur. Sed contrà, non propterea, res mala eſt, quòd eam ita mente apprehendas, ſæpiſſime enim fallitur talis apprehenſio, & illudit nobis: vnde & timor nocturnus dicitur, *Non timebis à timore nocturno.* Id eſt, vt interpretatur Cardinalis Bellarminus ex ſancto Ioanne Chryſoſtomo, *In nocte aduerſitatis non timebis ab his rebus quæ non lædunt ſi non timeantur: talia ſunt detractiones, conuitia, contumeliæ quæ nocent illi à quo dicuntur, non illi in quem dicuntur, niſi ipſe timendo, & eas magni faciendo, ſeipſum lædat.*

Iob. 18.

Pſ. 90.

Deinde, eſto ſint mala ſenſibus, ſit res mala naturæ corruptæ & præſenti quam agimus vitæ; ſi tamen proſit Deo colendo, ſi ad æternam iuuat beatitudinem, ſi fini noſtro aſſequendo confert; an vocabis illud malum? An dicenda eſt mala medicina, quæ licèt amara ſit, ſanitatem affert? An ille labor malus, quo diuitiæ comparantur? An omnia denique mala quæ ſunt dura & aſpera, ſine quibus tamen bona alia non proueniunt? *Sic omnis diſciplina*, inquit Apoſtolus, *in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mæroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet Iuſtitiæ: propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.* Quaſi diceret, non eſt iudicium de re ferendum ex ſenſu, ſed ex fructu quem confert ad finem noſtrum; ac proinde licèt res illa videatur mala ſenſui, proptereáque conturbemur, non eſt tamen reuera mala, antequam conturberis, quia niſi conturbatus eſſes, poterat valde tibi prodeſſe: cùm verò te ſinis perturbari, & perturbatus murmuras, ac murmurando peccas, tum verè mala res illa fit; quia

Heb. 12.

Digitized by Google

hoc eſt verè malum, murmurare & peccare. *Scito & vide quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non*
Ier. 2. *eſſe timorem mei, apud te, dicit Dominus.*

III. PVNCTVM.

NON *ergo quia mala ſunt, perturbamur in aduerſis: ſed quia perturbamur, aduerſa mala ſunt.* Non enim verè mala ſunt, niſi quando his malè vtimur, non malè vtimur niſi perturbati. Nam tum amaræ voces, iræ, murmura, rixæ, blaſphemiæ, & ſimilia, quæ longè nos à vero bono, & noſtro fine reuocant; ac proinde tam verè mala ſunt, quàm bona eſſe poterant, ſi benè vſi eſſemus: quod facilè fieri poterat, ſi animo quieto & ſedato, calicem à Domini manu accepiſſes. Quid
Iob. 5. enim ab illâ manu poteſt non eſſe bonum? *Percutit & manus eius ſanabunt*, quaſi diceretur, ſi Deus vnam habet manum vt percutiat, duas habet vt ſanet, id eſt duplicat bonum ex aduerſis. Nam ſic præterita eluuntur peccata; & futura præcauentur.
Ier. 31. *Caſtigaſti me, & eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus*, ait Propheta.

Sic erudire caſtigatus, caue perturberis. *Ne fomides à facie*
Ioan. 14. *eorum, Non turbetur cor tuum neque formidet.* Diſce ex cunctis occurrentibus ſemper proficere, & benè omnibus vti. Audi
Ep. 86. Philoſophum de ſuo Sapiente ſic diſſerentem. *Sapienti non nocetur à paupertate, non à dolore, non ab aliis tempeſtatibus vitæ. Ipſe ſemper in actu eſt, in effectu tunc maximus, cùm illi ſe fortuna oppoſuit; Ad vtroſque caſus aptus eſt; Bonorum Rector eſt, malorum Victor. Sic ſe exercuit, vt virtutem tam in ſecundis quàm in aduerſis exhiberet: nec materiam eius, ſed ipſam intueretur. Itaque nec paupertas illum, nec dolor, nec quidquid aliud imperitos auertit, & præcipites agit, prohibet. Tu illum premi putas malis, vtitur. Non ex ebore, tantùm Phidias ſciebat facere ſimulachra, faciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet quale ex illa fieri optimum, poſſit; Sic Sapiens virtutem, ſi licebit, in diuitiis explicabit, ſi minùs in paupertate. Si poterit, in patria: ſi minùs, in exilio: ſi poterit, imperator: ſi minùs, miles: ſi poterit, integer: ſi minùs, debilis: quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet. Certi ſunt domitores ferarum, qui ſæuiſ-*

Digitized by Google

ſima animalia, & ad occurſum exterrentia hominem, cogant pati ſub iugum, nec aſperitatem excuſsiſſe contenti, vſque in contubernium mitigant : Leonibus Magiſter manum inſertat, oſculatur Tigrim ſuus Cuſtos, & Elephantem Aethiops iubet ſubſidere in genua, ambulare per funem. Sic Sapiens eſt artifex domandi mali : dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exilium, vbique horrenda, cùm ad hunc peruenere, manſueta ſunt.

Quid hic dices Chriſtiane, quid Religioſè perterrite in aduerſis? Eſto hæc fortè faciliùs ſcribātur de Stoico, quàm ab eo fiant; vides tamen quid ratio ſuadeat faciendum. At vero ſi rationi adiungas fidem & religionem, ſi diuinæ auxilia gratiæ, ſi ſacrarum Monita ſcripturarum, ſi probata ſanctorum exempla, ſi ſexcenta quæ habemus à Chriſto motiua ſic agendi, quid excuſabis? Quid prætendes? Quid contrà oppones? *Quæcumque lex loquitur*, inquit Apoſtolus, *iis qui in legè ſunt loquitur, vt omne os obſtruatur.* Quantò ſunt ſcilicet ad agendum & patiendum plura motiua, tantò minus eſt excuſandi ſui ſuffugium. Rom. 3.

Vide in ſecunda parte totam Hebdomadam, intra Sexageſimam, & præcipue Feria 3. vbi hæc habetur veritas: *Quod Chriſtus ſemel ſuis, hoc in omni ſemper caſu tibi dicit, Non turbetur cor tuum.* Et in 3. parte Feria quarta: *Res aduerſæ non poſſent quemquam dejicere, niſi ſe his prius vellet ſubjicere.*

IN EADEM DOMINICA.

Domine, ſalua nos, perimus. Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Peregrinantis in corpore animæ maius eſt periculum, quàm periclitantis in naui corporis.

RATIO EST, Quia ex duobus æquè periclitantibus, maius eſt illius periculum, cui minus attenditur, minus cauetur, minuſque proſpicitur.

Sed tale eſt animæ peregrinantis in corpore periculum : non minus

eſt periculum quàm corporis in naui periclitantis : & minus ei tamen attenditur & cauetur.

Ergo peregrinantis in corpore animæ maius eſt periculum, quàm periclitantis in naui corporis. Quod certe eſt diligenter attendendum, vt intelligamus quam ſit nobis continuo inclamandum, DOMINE, SALVA NOS, PERIMVS.

I. PVNCTVM.

PRIMA propoſitio per ſe patet, aut ſi quid fuſius pertractandum videretur, attingi poſſet quanta in mari occurrant pericula & incommoda, nempe ab ipſo elemento quod per ſe ita æſtuoſum eſt, vt ſe vix vmquam contineat. Deinde à ventis vndequaque flantibus & reflantibus : à tempeſtate, à malatia, à piratis, ab hoſtibus, à diuturnitate itineris, à moleſtia manſionis, victus, conuictus & ſexcentarum huiuſmodi difficultatum, vnde Sapiens, *qui nauigant mare, enarrant pericula eius.* Antequam verò ſe illis exponant periculis, ſic ſibi ab omnibus neceſſariis proſpiciunt, vt qui ſibi non ita proſpicerent, vel dum inſtant pericula non cauerent, vel non contenderent, nec contrà obniterentur, certiſſimæ ſe ruinæ darent: ac proinde nulla videtur reſtare difficultas intelligendi quod ex duobus qui mare nauigant & in nauigio ſimul ex æquo periclitentur, maius & certius ſit illis periculum cui minus attenditur, minus proſpicitur, & cauetur. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* O quantis eſt cor diuiſum ſuo in ſpirituali negotio! quantis ô quantis imminet talis interitus!

Eccleſ. 44. *Oſee 8.*

II. PVNCTVM.

SED tale eſt animæ peregrinantis in corpore periculum : non minus periclitatur quam corpus in naui, minus tamen ei attenditur & cauetur.

Primo quidem quanta ſit humanæ vitæ & nauigationis ſimilitudo, per ſe patet, & frequenter repetitur in Scripturis & Patribus. *Tamquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam, QVASI naues poma portantes*, id eſt velociſſime decurrentes propter

Sap. 5. *Iob. 9.*

Digitized by Google

leuitatem & corruptibilitatem oneris, ſic dies noſtri auolant. Deinde vero quæ & quantæ ſint tempeſtates, vel vno pſalmi diſce verſiculo: *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Pſ. 68.

Quia porro dum referuntur maris tempeſtates, dicuntur eſſe decem fluctus quibus impetuntur & iactantur nauigia, & quorum decimo ſeu decumano proxime periclitantur: non abs re fuerit, ſi tot diſtinctè connumerentur articuli, vnde tamquam à fluctibus, anima impetatur & agitetur in ſuo corpore, quamdiu hic peregrinatur à Domino. Quinque ſunt à rebus proſperis, totidemque ab aduerſis.

A PROSPERIS, primus fluctus ſunt diuitiæ de quibus ſic aperte Apoſtolus, *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Secundus, deliciæ de quibus illud Moſis, *Inundationem maris quaſi lac ſugent.* Tertius, honores ſeu fauores mundi, de quibus aptè Rex Dauid: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Quartus, Amici, domeſtici, Conciues & mos ipſe humanus de quo egregium eſt illud ſancti Auguſtini: *Væ tibi flumen moris humani! quis reſiſtet tibi? quamdiu non ſiccaberis? quouſque volues Euæ Filios, in mare magnum & formidoloſum, quod vix tranſeunt qui lignum conſcenderint.* Cui & iungi poteſt illud Iſaiæ: *Vt altitudo maris ſonantis rapietur, vt turbo in tempeſtate.* Quintus, Temperamentum, ſeu naturalis complexio, quæ quo eſt gratior eo eſt perniciosior & procliuior ad peccandum, vnde illud Pſaltis: *torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* 1. Tim. 6. Deut. 33. Pſ. 68. L. 1. Conf. 16. & in Pſal. 36. Iſ. 17. Pſ. 17.

AB aduerſis autem primus fluctus eſt, inopia de qua ſic in libro Iob aptiſſimè, *Apprehendet eum quaſi aqua inopia: opprimet eum tempeſtas.* Secundus, miſeriæ ſeu dolores corporis & animi, de quibus Rex Antiochus, *In quantam,* inquit, *tribulationem deueni, in quos fluctus triſtitiæ.* Tertius, miſeriæ ſeu calamitates temporum, de quibus fusè ſapiens: *occupatio magna & iugum graue ſuper filios Adam: tumultus, fluctuatio, timor mortis, iracundia perſeuerans, & contentio.* Quartus, iniuriæ, calumniæ, lites, & quidquid ab æmulis & aduerſariis fingitur, de quibus in hoc ſenſu Dauid: *libera me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum.* Quintus & vltimus, affectus inordinati, qui nullam Iob. 27. 1. Mach. 6. Eccleſ. 40. Pſ. 68.

in animo ſinunt pacem, vnde eſt geminatum illud in Propheta: Iſ. 48. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus. Impij quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum: Non eſt pax impiis, dicit Dominus.*

Adde his quàm infirmum corpus, quàm rimoſa nauis, & quàm facile ex ſenſibus tum externis tum internis, vndequaque Iob. 37. *ſubſannationem quaſi aquam bibat*, vt eſt in Scriptura; Poteſtne dici ſingiue aliquid præſentius ad periculum, & periculoſius ad naufragium?

Quam parum denique tam præſenti certoue animæ periculo caueatur, quis non videt? Quis ſe putet in tempeſtate & in certo Prou. 23. naufragij periculo, cum ſe videt in diuitiis & delitiis? O quàm vere dictum à Sapiente de quauis anima ſuum neſciente nec cogitante Pſ. 118. periculum: *ſicut dormiens in medo mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo, & dicens, traxerunt me, & ego non ſenſi!* Numquid talis eſt anima tua? Numquid dormitauit præ tædio 2. Petr. 2. rerum ſpiritualium? *At perditio non dormitat*, inquit S. Petrus.

III. PVNCTVM.

PEREGRINANTIS igitur in corpore animæ, maius eſt periculum, quam periclitantis in naui corporis, licet æquale vtriſque foret periculum, cum tamen animæ minus prouideatur quam corpori, longe magis periclitari dicenda eſt anima, de qua proinde Iob. 37. in ſcriptura expreſsè dicitur: *morietur anima eorum in tempeſtate.* Ib. 31. Ac proptèrea Iob ſapienter dicebat: *ſemper quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum.* O ſi id ſaperes, ſi ſic Deum timeres! Diſce vel ab ipſo mari & ventis qui à Chriſto ceſſare iuſſi, ſtatim quieſcunt. Qua de re in tertia parte fuſius, quæ huc commodè referri poſſint, feria tertia infra Hebdomadã nonam poſt Pentecoſten, ad hæc Chriſti Domini Verba, dum imperaret ventis, & mari: *Tace, obmuteſce. VOX illa, vox Chriſti eſt, dum commoueris, nec tamẽ taces aut obmuteſcis; Quod ſane eſt erubeſcendũ.* Concludat denique ſanctus Auguſtinus his ad rem verbis aptiſ-Serm. 181. de temp. ſimis. *Si quid in nauicula animæ noſtræ multis tempeſtatibus, peccatorum fluctibus, aut per ſuperbiam fractum, aut per auaritiam ruptum, aut per luxuriam reſolutum eſſe cognoſcimus, componere vel reparare bonis operibus feſtinemus. Studeamus iugiter vitiorum exhaurire ſen-*

Digitized by Google

tinam. Non enim nocent peccata præterita, ſi non placent præſentia.

Opportunum & illud eſſet quod ſupra, die 10. & 11. Ianuarij refertur: *Non contriſtabit Iuſtum quidquid ei acciderit. Et meliore rerum ſtatu non magis gaudet Iuſtus quàm deteriore doluit.*

Vide & infra in hac parte Feriam 6. infra Hebdomadam quintam: *Niſi probè paratus ſis ad aduerſa, nec ad ipſa proſpera benè paratus es.* Et Feria 2. intra Hebdomadam ſextam. *Quanto minus murmuramus, aut omnino tacemus flagellati à Domino, tanto altius altiſſimum eius Dominium prædicamus.* Quæ Veritas poſſet accommodari verbis Euangelij, *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei.*

HAC HEBDOMADE, in hiſtoria Paralitici ſanati apud Capharnaum, conſideratur progreſſus vitæ ſpiritualis quædam forma, per tres perfectionis acquirendæ vias. Primò in pugatiua, Incipientes impedimenta quæque perfringunt, quibus ab incepto retardari poſſent. Deinde in particulari peccata, eorúmque radices ac habitus deponunt.

Tum pro via illuminatiua Proficientes primum quemque motum animi, & corporis vitioſum, ſtatim vt oritur reprimunt; & ex conſequenti ſic aſſueſcunt Virtuti, vt vix vllo iam naturæ impetu aut inordinato motu agitentur, ſed ad virtutis & Gratiæ ductum toti ſunt facti.

Denique pro vnitiua Perfecti, vnam Dei Voluntatem in ſuis omnibus ſpectant, vbique Deum præſentem ac diuinas eius perfectiones contemplantur, nihil niſi de eo cogitant & loquuntur, ſimúlque alios ad eius cultum, & prædicandam gloriam prouocant & hortantur. Quæ omnia eodem ordine, ex illa deducentur hiſtoria, binis pro vnaquaque Perfectionis via, propopoſitis Veritatibus.

FERIA SECVNDA

DE PARALYTICO SVMMISSO PER TEGVLAS, IN CONSPECTVM DOMINI IESV.

Digitized by Google

Et de primo viae pvrgativae gradv, qvo impedimenta perfectionis qvantocivs perfringvntvr.

Ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium ante Ieſum. Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Quò longius differs, difficultatem difficilius tolles.

RATIO EST, Quia quo maior eſt repugnantia voluntatis & minor Gratia, eò difficilius difficultas tollitur.

Sed quò longius differs, maior eſt repugnantia voluntatis, & minor Gratia.

Ergo & difficultatem difficilius tolles, ac proinde perfringendum quantocius quidquid obſtat.

I. PVNCTVM.

TANTA erat miraculorum Chriſti Domini fama, tantus diuinæ illius conuerſationis ſplendor, tale animorum erga ipſum ſtudium, tàm multus denique populi vndique confluentis concurſus, vt vix pateret ad eum liber acceſſus. O qualis tùm fœlicitas ſæculi! Sed quid faciet Paralyticus, qui ſe lecto mouere non poteſt? Rogare quidem poterit, qui ſe portent & inferant ante eum: ſed illi ipſi Viri, qui hoc pietatis officium ſuſcipient, quâ tandem parte illum offerent, cum omnes ſint interclusi aditus? At vide quàm ingenioſa

nioſa ſit Charitas; *Aſcenderunt*, inquit Euangeliſta, *ſupra tectum, & per tegulas ſummiſerunt cum cum lecto in medium, ante Ieſum.* Quale ſpectaculum! quam pium! quam ſalubrè! quam ipſi Domino gratum & iucundum! ſic opporteret vel aliis eſſe auxilio, vel aliorum implorare opem ad faciliorem acceſſum erga Dominum promerendum. *Primum omnium quod ante diximus*, ait hîc S. Ambroſius, *vnuſquiſque æger petendæ Precatores ſalutis debet adhibere, per quos vita noſtra compago reſoluta actuumque noſtrorum clauda veſtigia, verbi cæleſtis remedio reformentur. Sint igitur aliqui Monitores mentis, qui animum hominis, quamuis exteriori corporis debilitate torpentem ad ſuperiora erigant, quorum rurſus adminiculis & attollere, & humiliare ſe poſſit, vt faciliùs ante Ieſum locetur, dominico videri dignus aſpectu.* *L. 5. in c. 5. S. Lucæ.*

Hæc ille totidem verbis quæ valde confirmant Veritates proximè ſuperioris hebdomadæ. Verùm ad propoſitam modò materiam vt affigamus animum, Vide quàm admiranda Chriſti Domini ſapientia, qui nobis progreſſum quendam totius perfectionis acquirendæ, in hoc vno ſanati paralytici opere ſubjicit. Admirare quàm aptè illud quod primò narratur de reſerato aditu per ſublatas tegulas, repræſentet ſtudioſis ſuæ ſalutis & perfectionis, difficultates omnes, quæ initio multæ occurrunt, & ab inchoando retardant, ſtatim vt occurrunt, eſſe abrumpendas; Quia ſcilicet *quò longius differes, eò difficultatem difficiliùs tolles.* Augebitur enim repugnantia voluntatis, & imminuetur Gratia, quæ duæ ſunt difficultatum omnium tàm apertæ cauſæ, vt quò maior erit repugnantia voluntatis, & minor Gratia, eò difficilius difficultas tollatur.

Hoc primò vniuerſim eſſet probandum, niſi ſatis ipſo pateret ſenſu; vndènam etenim maior ſentitur difficultas ab vno, quàm ab alio, in quibuſdam aſperis aut abiectis operibus ſuſcipiendis, niſi quia magis repugnat illius indoles, aut concupiſcentia, quæ voluntatem ad ſe alliciens, eam etiam reluctantem & repugnantem facit? Ament illi ex æquo quod proponitur, quantumcumque ſit in ſe aſperum: Nihil tum erit difficile volentibus & amantibus: *Anima ſaturata*, inquit Sapiens, *calcabit fauum; & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.* *Prou. 27.*

Quod ſi tamen illius animus, qui maiorem in re aliqua difficultatem & repugnantiam ſentit, abundantiori gratia reple-

Digitized by Google

retur, quàm iſte alius cui res minus apparet difficilis, fortè ille tum fortiùs & conſtantius difficultatem omnem abſorberet, &
Pſ. 17. cum Dauide diceret, *In Deo meo tranſgrediar murum:* &, *viam*
Pſ. 118. *mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum.*

At verò ſi è contra, debilitato magis difficultatibus animo diuinum etiam imminueretur auxilium, nonnè tùm difficultates viderentur auctæ? Nonne tùm pondus ponderi additum?
Pſ. 41. nonne tum ille inclamaret; *quare oblitus es mei, dum affligit me inimicus, dum confringuntur oſſa mea?* O verè deplorandam illo-
Pſ. 106. rum miſeriam, de quibus etiam dicitur, *Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum: infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret.*

II. PVNCTVM.

S*ED quò longiùs differes, maior erit repugnantia voluntatis, & minor gratia.*

Eccleſi 9. Creſcit enim ſemper concupiſcentia, vnde eſt repugnantia
Prou. 30. voluntatis, *quaſi ignis exardeſcit*, inquit Eccleſiaſticus: *Et ille*
Iob. 31. *eſt ignis qui numquam dicit, ſufficit. Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Illa eſt olla ſuccenſa quæ
Ier. 1. ſemper magis ac magis ſuccenditur: & cui virga vigilans immi-
2. Tim. 2. net propius. Cancer eſt qui numquam ſiſtit, ſed ſerpendo de-
Ibid. paſcitur ſæuius quamcumque animi partem inuaſerit. O quantâ, quàm robuſta, quàm efficaci tum opus eſſet Gratia!

Et vero, adeo non datur tam robuſta & potens, quin potiùs dilatione repudiata, & offenſa Gratia decreſcit in dies creſcente concupiſcentiâ, & tantò minus datur auxilij, quantò magis
Iſ. 33. eſſet optandum. *Væ qui ſpernis, nonne & ipſe ſpernêris?* Morata
Cant. 5. ſponſa pulſanti aperire Sponſo, *ſurrexit poſtea vt aperiret, at ille declinauerat atque tranſierat: quæſiuit & non inuenit illum. Vocauit & non reſpondit ei: quin etiam denudata eſt à cuſtodibus, per-*
Luc. 19. *cuſſa eſt & vulnerata.* O damnoſam dilationem, *Auferte ab illo mnam*, inquit Dominus gratiæ, *quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab*
Ioan. 12. *eo. ADHVC modicum lumen in vobis eſt, ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat.* Nonne hoc eſt ipſo lumine clarius ad rem exprimendam?

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

Q*VO longiùs ergo differes, difficultatem difficiliùs tolles,* & ne quidem fortè vnquam tolles, atque in eodem imperfectionis ſtatu permanebis. Quin etiam deterius rues, propter allatas cauſas creſcentis concupiſcentiæ, & decreſcentis gratiæ. *Anguſtiâ ſuperueniente requirent pacem, & non erit,* inquit Propheta, *conturbatio ſuper conturbationem veniet, & auditus ſuper auditum,* Id eſt, denunciatio mali ſuper malum. Vnde apertè patet meram eſſe illuſionem & fallaciam mentis pernicioſiſſimam, in incæptis deterreri difficultate, ac propterea differre quod velles aggredi. Quod enim expectas differendo, hoc vnum eſt, vt tollatur difficultas: at non tollitur differendo, imò augetur. Quid ergo differs propter præſentem difficultatem, quæ futura eſt grauior, quo magis differs? Nonne potiùs propter illam ipſam cauſam quæ te modò retardat, maturandum eſſet? Nam ſi modo iuſta remorandi cauſa videtur propter aliquid quod apparet difficile: nonne iuſtior ſemper apparebit illa cauſa cùm illud ipſum difficile, difficilius in dies erit? *Si non interceſſiſſet dilatio, iam vice altera veniſſemus,* id eſt, non eam difficultatem pateremur, quam modò patimur, longè res faciliùs peracta eſſet. Sic Iudas filius Iacob ad excitandum Patrem, qui nolebat concedere Beniaminum. Sic teipſum exacue cum diuina Gratia; iam enim diutiùs differs quò vocaris ire, ad perfectum tui contemptum *Feſtina, quæſo tè, & hærenti in ſalo nauiculæ funem magis præcide, quàm ſolue.* Tu Domine noſtras rebelles ad te propitius compelle voluntates.

Ezech. 7. *S. Aug. 8. Confeſſ. 3.* *Gen. 43.* *S. Hier. ep. 103. ad Paul.*

FERIA TERTIA.

DE REMISSIS PARALYTICO PECCATIS.

ET DE RATIONABILI SOLICITVDINE CIRCA NOSTRORVM REMISSIONEM.

Homo, remittuntur tibi peccata tua. Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Sicut non eſt habenda ſolicitudo anxia, & ſcrupuloſa de peccatis remiſſis; ita rationabilis non eſt deponenda.

RATIO EST, *Quia procuranda ſemper eſt, cum diuina Gratia, Moderatio quædam animi inter nimiam timiditatem ſeu abiectionem, quæ vergit in deſperationem, & nimiam ſecuritatem, quæ nos ducit in elationem.*

Sed non poteſt melius procurari aut formari talis Moderatio, quàm ſi abiecta ſolicitudine anxia, de peccatis remiſſis, retineatur rationabilis.

Ergo ſicut illa eſt abjicienda, ita hæc retinenda: In quo tamen vtrimque multi peccant.

I. PVNCTVM.

ADMIRANDVM ſanè eſt, quòd cùm Paralyticus oblatus Domino, nec illi ipſi viri qui eum offerebant aliud viderentur petere, quàm ſanitatem corporis, neque vllo modo loquerentur, aut fortè etiam nec cogitarent de ſalute animæ, vel remittendis peccatis: è contra Chriſtus Dominus nihil de morbo, nihil de ſanitate locutus, hoc vnum paralytico dixit: *Homo*, vel vt habet alius Euangeliſta, *fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quia ſcilicet hoc primum & maximum malum eſt hominis, vel ſemel peccaſſe in Deum: ex quo malo culpæ, cætera omnia quæ dicuntur pœnæ, proficiſcuntur: quo remanente, nihil iuuant bona quæ feceris: quo ſublato, nihil nocent mala quæcumque patiaris. Sic S. Hieronymus. *Fortè*, inquit, *prius dimittit peccata vt ablatis cauſis morbi, ſanitas reſtituatur.* Et vt ait S. Auguſtinus, *ſatis eſt paralytico eſſe hominem vt ſit peccator: ſic ſatis eſt eſſe peccatorem, vt de peccatis remittendis cum illo Dominus agat*; Non eſt autem dubium quin eo tempore quo remittebat peccata, dederit ei animum pœnitentem

ſine quo nulla ſit peccatorum remiſſio : iam enim credebat ille paralyticus, vt notauit S. Ioannes Chryſoſtomus, alioquin non ſe permiſiſſet ſubmitti per tectum.

Nunc verò, vt ad nos, atque ad inſtitutum noſtrum iſta referamus, Conſidera hoc imprimis ſpectare ad eos, qui viam perfectionis ingrediuntur, & per eam incedunt, quæ purgatiua dicitur, vt de peccatis purgandis & remittendis maximè ſoliciti ſint, vt ait Sapiens, de viro iuſto ſeu iuſtitiæ & perfectionis ſtudioſo, *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur.* Quin & pro ipſis iam confeſſione purgatis & remiſſis, vt idem expreſſe Sapiens : *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu,* id eſt ſine aliqua cura, & ſolicitudine. Eccleſi.39. Ibid. 5.

Verùm ne ſit anxia & moleſta ſcrupulis ſolicitudo, ſed religioſa & rationabilis, Veritate hodiernâ commonemur, atq; vnâ eadémque ratione, ***nec nimis anxiam eſſe habendam, nec rationabilem eſſe deponendam, demonſtratur.***

Eſt autem Ratio euidens, nec tam multâ eget declaratione quàm conſideratione, vt dignè expendatur. Cùm ſint videlicet duo quædam extrema, in quæ nobis procliue eſt & valde periculoſum labi; nempe ex vna parte, nimia timiditas ſeu abiectio animi : ex alia verò, nimia ſecuritas & elatio; nihil aptius quàm vt talis moderatio procuretur inter illa duo extrema vtrimque periculoſiſſima, vt ne quis nimis ſe abjiciat, aut ſe nimis efferat & præſumat.

Quis enim non videt quanta dimanēt à puſillanimitate damna? Sic paucis ea dinumerat S. Bernardus : *Sicut ſanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit : ſic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario puſillanimitatem, puſillanimitas perturbationem, perturbatio deſperationem, & illa interimit.* Ep. 32. Rom. 5.

Ab elatione vero & præſumptione quàm ſit timendum ſic idem fuſius. *Via Dæmonum præſumptio & obſtinatio. Propter præſumptionem ſtare non potuerunt, propter oſtinationem, qui cecidit non adjiciet vt reſurgat. Quàm peruerſo & euerſo ſunt corde filij hominum, quicunque ſectantur veſtigia Dæmonum, ingrediuntur dæmonum vias. Hæc enim tota aduerſum nos ſpiritualium colluctatio nequitiarum eſt, vt nos ſeducant, vt nos inducant in vias ſuas, vt* Serm. 11 in Pſal. qui habitat.

Digitized by Google

deducant in eis, & perducant ad deſtinatum finem qui paratus eſt eis. Fuge homo præſumptionem, ne gaudeat de te inimicus tuus; Nempè in his maximè vitiis gaudet, in ſeipſo expertus quàm difficile poſſis ab hac tanta voragine reſpirare.

Deut. 5. Nonne hæc tremenda? nonne hæc cauenda & fugienda ſicut Ioſue 1. toties admonemur, *neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram ire*? Prou. 4. Ac proinde, nonne nobis conquirenda & formanda eſt Moderatio quædam animi, quæ nos in medio ſtatuat, ne in alterutram partem declinemus? Tu Domine Deus iter meum dirige; *Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam* Pſ. 142. *meam. Eripe me de inimicis meis Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam.*

II. PVNCTVM.

SED quantum eſt ex noſtra parte, non poteſt iſta Moderatio formari aptiùs, quàm ſi abiecta ſolicitudine anxiâ de peccatis noſtris, retineatur rationabilis.

Sic enim ab vtroque ſimul liberamur extremo. A primo quidem quod eſt timiditas vel deſperatio, dùm nimia & anxia ſolicitudo de peccatis rejicitur. Deinde verò ab alio quod eſt præſumptio, tuti ſumus, dum rationalis ſolicitudo retinetur: ſicque Prou. 3. fit vt in media illa via fiducialiter ambulemus, vbi pes noſter non impingat, vt ait Sapiens.

Quod vt meliùs intelligatur & in praxim reuocetur, Aduertendum eſt, quòd ſicut nimia ſolicitudo, & damnoſa ſecuritas inde proueniunt, quod vel ſola Dei Iuſtitia peccatum ſeuerè punientis, vel ſola Dei miſericordia peccatores benigniſſimè recipientis, conſideretur: ſic rationabilis ſolicitudo formatur ex eo, quod iudicium ſeu iuſtitiam, & ſimul miſericordiam Dei nobis proponamus. Hi ſunt duo pedes cum pœnitente Magdalena ſimul oſculandi, & vngendi; vt præclarè & fusè S. Bernardus. In Feſto S. Mariæ Magdal. *Pedes*, inquit, *iſti ſunt Miſericordia & Iudicium, quorum alterum ſine altero oſculari, vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda. Quis enim Dei Miſericordiam indeſinenter attendens, non ſtatim tepidioris vitæ quietem exoptet? cùm enim recogitat vniuerſitatis Dominum formam ſerui pro ſeruis ſuſcipere, triginta & tribus annis operari ſalutem noſtram in medio terræ huius, capi, ligari,*

lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filiis hominum, ſtatim deceptoriâ ſpe ſibi blanditur & alludit, gaudet obſeruari in miſericordia & miſerationibus, iudicium neſcit, ignorat iuſtitiam, & punienda æſtimat non puniri. Fallitur qui ſic oſculatur miſericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat, qui totum de miſericordiæ pede præſumit, hoc ſolum ad ſalutem ſufficere credens, quod credit.

Rurſus, cùm abducit os, & iudicij pedem crebrioribus oſculis intertangit, ſuccutitur carnis animæque ſubſtantia, & vtriuſque hominis ſtatum vehementior aura percellit: Horrendum enim eſt incidere in manus Dei viuentis, offendere, neſcire Dominum, recalcitrare dominantis imperio, qui habet poteſtatem corpus & animam ponere in gehennam. Terribilis certè, ſicut ait Apoſtolus, quædam expectatio iudicij. Et quæ plura habet de hoc terribili iudicio; vnde concludit, *Quis hæc diu cogitans non ſtatim contremiſcat, & in deſperationis rotetur abyſſum. Non eſt igitur huic pedi moroſius incumbendum, ne pietatis intuitum ferocia iudicantis excludat. Vtrumque igitur inungat pedem animæ pœnitentis affectus, & nunc miſericordiam amplectens, nunc iudicium deoſculans, contribulati ſpiritus offerat holocauſtum. Vide Mariam iudicij pedem fortiter attendentem, dum nobilis & laſciua mulier conniuantium faciem non attendit, ſed extenſo corpore prouoluitur pedibus Maieſtatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis iaculo vulnerata. Sed & miſericordiæ pedem labiis impreſsioribus oſculatur; in cuius ſpe, firmiter inhæret veſtigiis Chriſti Redemptoris, donec audiat, Remittuntur tibi peccata tua.* Tum oſtendit quomodo idem eius exemplo præſtare poſſimus; ex quibus ſancti Patris verbis, ſicut apertè patet quid ſit abjicere anxiam ſolicitudinem, & retinere rationabilem, nempè non ſpectare ſolum iudicium, nec ſolam ſeorſim miſericordiam, ſed vtrumque ſimul ſibi proponere; ſic etiam euidens eſt, quod ſi à nobis id præſtetur, tunc Moderatio & temperamentum formabitur, quod erat exoptandum inter illa duo extrema vitioſa, de quibus cauendis dictum eſt. Neque enim tum eris puſillanimis & abiectus, quia ſperabis in miſericordia: neque elatus & arrogans, quia timebis iudicium. O verè rationabilem ſolicitudinem! ô timorem omni ſecuritate ſecuriorem!

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

SICVT ergo non eſt habenda ſolicitudo nimia ſeu anxia & ſcrupuloſa de peccatis remiſsis, & de futura ſalute: ſic rationabilis non eſt deponenda; quia non minùs timenda eſt elatio & præſumptio, quàm deſperatio: ac proinde ſicut ne deſperes, fugienda eſt nimia illa ſolicitudo de peccatis: ita ne nimis efferaris, & præſumas, retinenda eſt rationabilis, quæ ſic ſperat, vt timorem non deponat; ſic timet, vt ſpem non abiiciat, ſed vtrumque ſimul tam firmo & inuiolabili nexu coniungit, vt neutrum alteri prorſus præiudicet. *Qui timetis Dominum, ſperate in illum.* Hoc clamant paſſim Scripturæ; ſed eædem etiam nihil aliud reſonant, quàm quod, *miſericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum. Nolite timere*, aiebat Moyſes ad Populum; *vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.* Quid vero ait? Nonne ſibi contradicit? nonne ſecum ipſe pugnat! quæ ſunt illa verba niſi pugnantia, & ſibi contradictoria, *Nolite timere; & vt terror illius eſſet in vobis.* Si vetat eos tinere, cur addit, vt terror eſſet in illis? Nempe diſtinguendus duplex timor quorum vnum vetet, & alterum iubeat. Vetat quippe timorem illum anxium quo Iudæi timebant mori: Iubet vero terrorem ſalutiferum, quo illi & nos concuſſi numquam peccemus, neque de ſalute comparata ita certi & ſecuri ſimus, vt deſides facti, bona deſeramus opera, vel in ipſis elati operibus non reuereamur diuina iudicia. *Non ſit ergo irrationabilis timor*, inquit, S. Ambroſius: *Etenim vera Sapientia à timore Dei incipit, nec eſt Sapientia ſpiritalis ſine timore Dei: ita timor ſine Sapientia eſſe non debet.*

Eccleſi. 2. *Luc 1.* *Exodi. 20.* *In Pſ. 118.*

Sic præclare S. Gregorius, Gregoriæ cuidam nobili fœminæ quæ optabat ſuorum peccatorum remiſſionem ipſi ſancto Pontifici reuelari. *Rem*, inquit, *& difficilem, etiam & inutilem poſtulaſti: difficilem quidem, quia indignus ſum cui reuelatio fieri debeat: inutilem verò, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi cum iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minime valebis: quæ dies quouſque veniat, ſemper ſuſpecta, ſemper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare. Certe Paulus Apoſtolus iam ad tertium cælum aſcenderat, in paradyſum quoque*

Epiſtolarũ l. 6. c. 186.

ductus

ductus fuerat, arcana verba audiuerat quæ homini loqui non liceret: 2. Cor. 12.
& tamen adhuc trepidans dicebat, caſtigo corpus meum, & ſeruituti 1. Cor. 9.
ſubjicio, ne fortè aliis prædicans ipſe reprobus efficiar: adhuc timet, qui iam ad cælum ducitur: & iam timere non vult qui adhuc in terra conuerſatur! Perpende, dulciſſima filia, quia mater negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas, habere ergo in hac vita non debes ſecuritatem per quam negligens reddaris: ſcriptum eſt enim, beatus vir qui ſemper Prou. 28.
eſt pauidus. Et rurſus ſcriptum eſt, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In pauco ergo huius vitæ tempore, mentem veſtram neceſſe eſt vt tremor teneat, quatenus per ſecuritatis gaudium ſine fine poſtmodum exultet; Idémque in moralibus fuſiſſimè de ſanctis omnibus. *Certitudinem*, inquit, *ſibi in ſe pro-* Vide mor.
mittere non præſumunt, ſed poſiti inter gaudium ſpei, & tentationis l. 10. c. 4. & 5.
metum confidunt & timent; confortantur & titubant; certificantur & ſuſpecti ſunt.

Hoc ipſum de ſe in particulari profitetur S. Bernardus in Canticis, ſibi applicans quæ de Magdalena pœnitente dixerat Serm. 6.
de vtroque pedis oſculo, vt videas nemini vmquam quantumuis ſancto & probato deponendam eſſe rationabilem ſolicitudinem, ſicut nec retinendam anxiam & irrationabilem. *Datum eſt*, inquit, *& mihi miſero nonnunquam ſedere ſecus pedes Domini Ieſu, & modò hunc, modò illum tota deuotione amplecti, in quantum me ſua benignitas dignabitur admittere. At ſiquando miſerationis oblitus, ſtimulante conſcientiâ, iudicio paulo diutius inhærerem: mox metu incredibili ac miſerabili confuſione deiectus, & tenebroſo circumfuſus horrore hoc ſolum palpitans de profundis clamabam: Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Quod ſi eo relicto pedem miſericordiæ plus tenere contingeret, tantâ è contrario incuriâ, & negligentiâ diſſoluebar, vt confeſtim & oratio tepidior, & actio pigrior, & riſus promptior, & ſermo incautior, & omnis denique vtriuſque hominis ſtatus inconſtantior appareret. Proinde magiſtrâ inſtructus experientiâ, non iudicium iam ſolum, aut ſolam miſericordiam, ſed miſericordiam & Iudicium can-* Pſ. 100.
tabo tibi Domine.

Denique quanta ſit obligatio huius ſanctæ ſolicitudinis retinendæ, & in quo fundata ſit, ſiue præteritum, ſiue futurum ſpe- Seſſ. 6. c. 9.
ctes, audi Concilium Tridentinum contra præſumentes: *Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, déque Sacramento-*

Digitized by Google

rum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet, dùm ſe ipſum ſuámque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt, cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum. Et

C.13. einſd. ſeſſ. paulò pòſt, diuerſo capite: *Veruntamen, qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, In vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, In ieiuniis, & caſtitate. Formidare enim debent ſcientes, quòd in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt, de pugna quæ ſu-*

Rom. 8. *pereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia, Apoſtolo obtemperent dicenti, debitores ſumus, non carni vt ſecundum carnem viuamus; ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.*

1. Tim. 4. *HAEC* etiam *meditare, in his eſto, inſta in illis; hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.*

FERIA QVARTA

DE COGITATIONIBVS PHARISÆORVM DETECTIS A CHRISTO DOMINO. ET DE NOSTRIS AD VIRTVTEM PERFECTE DIRIGENDIS.

Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Matth. 9.

VERITAS PRACTICA.

Niſi, quod monet Sapiens, omni cuſtodia ſerues cor tuum, non omnino ſeruas.

Prou. 4. *RATIO petitur ab eodem Sapiente, cuius eſt hæc ſententia,* Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.

Sic autem declaratur.

NISI cor tuum ſerues, quantum eſt ſatis ad vitam, quæ ex ipſo procedit, non omnino ſeruas illud.

Sed niſi omni cuſtodia ſerues, non ſeruas quantum eſt ſatis ad illam vitam.

Ergo nec omnino ſeruas; Quod quam ſit damnoſum & cauendum patet.

I. PVNCTVM.

ADERANT plurimi è Scribis & Phariſæis, cùm Chriſtus Dominus dixit paralytico, *Remittuntur tibi peccata* Marc. 2. *tua*; Tum illi, vt narrant Euangeliſtæ, *cæperunt cogitare* Luc. 5. *dicentes, quis eſt hic qui loquitur blaſphemias? quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Vt cognouit autem Ieſus cogitationes eorum, reſpondens dixit ad illos; Quid cogitatis in cordibus veſtris,* ſeu vt eſt apud S. Matthæum, *quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Vere etenim mala & peſſima erat eorum cogitatio, quâ Chriſtum Dominum dicebant in corde, eſſe blaſphemum, quod peccata remitteret. Vt verò ſe eſſe Deum declaret, & verè ſe poſſe peccata dimittere, detegit cogitationes eorum, quod eſt proprium ſolius Dei, & antequam illud proferrent, quod cogitabant, illos interrogat, *Quid cogitatis? Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Quaſi diceret, Illa ſcio, illa video. O potentiſſimū reprimendis noſtris cogitationibus frænum! Quis enim, ſi ſe videri à Chriſto cogitaret, cogitare ſimul vellet quæ ab eo nollet videri? *Ego Ego ſum, Ego vidi, dicit Dominus.* Quamobrem hîc de noſtris primis cogitationibus ordinandis, & ad Virtutis exercitium dirigendis cogitemus: hoc eſt enim proprium Vitæ illuminatiuæ, & eorum hominum, qui peccatis perpurgati, proficere volunt in ſtudio perfectionis. Ier. 7.

Ad hoc autem plurimùm confert Sapientis monitum, *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit*; Nemo enim dubitat eſſe aliquam cuſtodiam adhibendam; ſed nulla eſt ſatis, niſi omnis adhibeatur, Niſi omni cuſtodia ſerues cor tuum, non omnino ſeruas, quia videlicet niſi illud ſerues quantum eſt ſatis ad vitam quæ ex ipſo procedit, non omnino ſeruas.

Digitized by Google

Eſtius. in 4 Prou. Quæ ratio vt meliùs intelligatur, aduertendum, hîc cordis nomine intelligi mentem noſtram, quæ eſt facultas cogitandi, intelligendi, & ratiocinandi: dicitur vero Cor quia ſicut à corde principium eſt vitæ corporalis, ſic à mente cum diuina Gratia principium eſt vitæ ſpiritualis; hinc enim primæ cogitationes, vnde affectus & virtutes, tum internæ, tum externæ, in quibus excernendis tota eſt vita, quæ ſpiritualis dicitur. Voluntas quidem eſt principium executiuum, ſed Mens eſt principium cognitiuum quod illud antecedit, quatenus per præuiam cogitationem Mens Voluntatem dirigit, quæ nihil appetit, niſi prius cognitum ab intellectu. *Ariſt. l. 1. de part. anim c. 10. & 3. c. 4.*

Matth. 7. & 12. Ibid. 3. Ibid. 12. Ibid. 15. Hæc eſt arbor quæ ſi bona fuerit, bonos fructus facit; ſin mala, malos fructus. Imò hæc eſt arborum radix, ad quam ſecuris ponenda eſt; hic eſt bonus theſaurus, de quo bonus homo profert bona; hoc eſt denique cor de quo exeunt quæ de ore procedunt, & quæ in opus tranſeunt.

Iam verò ſicut cor noſtrum, vnde vita naturalis procedit, niſi tali diligentia cuſtodiatur quæ neceſſaria eſt ad illam vitam conſeruandam, non ſatis cuſtoditur; ſic planè Mens illa noſtra, vnde eſt vita ſpiritualis, niſi cuſtodiatur quantùm ſatis eſt, ad hanc ſpiritualem vitam conſeruandam, non poteſt dici cuſtodiri & ſeruari. Cùm enim ob id vel maximè mens ſeruetur, vt ſic vita conſeruetur, certè niſi vita conſeruetur, non ſatis mens ſeruatur. Nam quid prodeſt aliter conſeruari, ſi, quemadmodum diximus, illud propter quod ſeruatur, non conſeruatur. Sic grauiter & luculentè S. Ambroſius, in moralem ſenſum deriuans, quod in Geneſi dicitur, diluuij tempore ſimul cum homine omnia eſſe deleta. *Senſu altiore*, inquit, *illud manifeſtatur, quia homo mens eſt, quæ eſt rationis capax: Principali igitur extincto, etiam ſenſus omnis extinguitur, eo quod nihil reliqui ad ſalutem ſuperſit, cum ſalutis fundamentum virtus defecerit.* O virtutis defectum, à defectu ſeruatæ mentis! quantis id gemitibus deplorandum, quod in æternum hi deplorant, qui ſe in inferno idcirco poſitos clamant, *Quòd virtutis nullum ſignum valuerint oſtendere.* *L. de Noe, & Arca, c. 4.* *Sap. 5.*

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED *niſi omni cuſtodia cor tuum, ſiue mentem ſerues, non hanc ſeruas quantum eſt ſatis ad vitam ſpiritualem conſeruandam.*

Duobus modis intelligi poteſt hæc omnis cuſtodia, vnus intenſiuè, alius extenſiuè, & vterque eſt tam neceſſarius, vt eorum alterutro deſinente, vel illico deſinat, aut periclitetur vita ſpiritualis. Nam primò quidem, ſi deſit omnis intenſiua cuſtodia, id eſt tam intenſa & ſolicita, quàm meritò exigit Gratia, vel ſtatus animæ, vel occurrens occaſio, cades actu in vitium, vel habitu in vitioſum illum ſtatum qui tepor dicitur, *Apoc.* 3. qui vomitum Domino creat, & qui eſt peior frigido ſtatu. Hinc lachrymæ, hinc gemitus: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam* *Cant.* 1. *meam non cuſtodiui. Ille eris mollis & diſſolutus in opere ſuo qui fra-* *Prou.* 18. *ter eſt opera ſua diſſipantis*; Ille eris *maledictus qui facit opus Dei* *Ier.* 4. *fraudulenter ſeu negligenter*; *Illa eris arbor, quæ non facit fructum* *Matth.* 7. *bonum, excidenda & in ignem mittenda*; *Ille eris infidelis ſeruus non* *Ibid.* 24. *vigilans, cuius Dominus venit quâ ille hora non putat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis: Ille eris denique tepidus cui dicitur, vtinam frigidus eſſes aut calidus*; Quaſi diceretur, nullus *Apoc.* 3. eſt peior tuo, ſtatus. Nihil itaque deterius vitæ ſpirituali, quàm iſta remiſſa Cuſtodia, vnde eſt ille ſtatus, qui eſt ipsâ morte deterior, quæ per frigus deſignatur.

Deinde vero ſi extenſiuè omnis non adſit ſemper, & vbique Cuſtodia, nonne illâ parte, quâ deerit Cuſtos, patebit aditus hoſtibus, qui ſemper infirma, & incuſtodita loci ambiunt, vt ſic facilius ſibi viam ſternant? Sic præclare, S. Ignatius in regulis ad ſpiritus dignoſcendos. *Solet*, inquit, *aduerſarius imi-* *In lib. exercit.* *tari aliquem belli ducem, qui obſeſſam arcem expugnare, atque deprædari cupiens, exploratâ prius naturâ, & munitione loci, debiliorem partem aggreditur*; *Sic nimirum & ille circuit animam, & callide inquirit, quarumnam virtutum præſidiis, Moralium ſcilicet, aut Theologicarum ipſa vel imminuta, vel deſtituta ſit*; *eâque potiſſimum parte machinis omnibus admotis, irruit ac ſubuertere nos ſperat, quam in omnibus minùs cæteris firmatam cuſtoditamque eſſe præuiderit.* Sic conformiter ſancti Patres, qui videri poſſunt in quarta parte, Feria ſexta infra Hebdomadam 15. poſt Pentecoſten.

Digitized by Google

Quænam vero illa poteſt in te eſſe pars infirmior & minus cuſtodita? Nonne inde tibi times? aut vnde tibi tanta ſecuritas, vt
Iſ. 28. nihil timeas? An tu ex illis es illuſoribus, *Qui dixerunt; percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum?* quaſi dicerent, licet aditus hoſti pateat, non tamen irruet. Sed au-
Ibid. diant quod reſpondetur: *Delebitur tale fœdus, & pactum iſtud non*
Thren. 1. *ſtabit. INGREDIETVR & manum ſuam mittet hoſtis ad omnia deſiderabilia eius.*

III. PVNCTVM.

NISI ergo quod monet Sapiens, *omni cuſtodiâ ſerues cor tuum, non omnino ſeruas*; Quia non conſeruas vitam quæ ex ipſo procedit, & quâ non conſeruatâ nihil prodeſt cor ſeruare, quod ſimulatque deficit cum deficiente vita, ſicut vita perit cum corde
Oſee 10. pereunte. Hîc rurſum clamare liceat, quod Propheta, *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Verè tùm diuiſum cor tuum, quando non ei omnis adhibetur cuſtodia, & quando pars eius cuſtodita, pars incuſtodita remanet. Vnde tam facilè interit, quàm ſi nullâ
Ibid. 7. parte cuſtoditũ eſſet. *Et factus eſt Epraim quaſi columba ſeducta, non habens cor,* Id eſt non ſibi vndequaq; vigilans, & attendẽs, ac pro-
Matth. 10. pterea ſeduci facilis. Nonne idcirco columbæ ſimplicitati prudentiam ſerpentis iungi voluit Dominus, tum ne ſic facilè decipiaris ſi prudenter aduertas ad ſingula; tum vt ſcias, in quo præcipuè, & quamobrem illa prudentia & aduertentia eſt adhibenda? nempe ad conſeruandam vitam, ſicut ſerpens expoſito corpore totum caput tegit in quo eſt ipſius vita. Sunt & alia quædam ſacra & myſtica in ſcripturis animalia, quæ nobis proponuntur ad hanc ſolertiam & indefeſſam vigiliam, nempè
Apoc. 4. illa quæ antè & retrò, atque intus etiam plena ſunt oculis. Hinc
Prou. 6. fortè Sapiens: *Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ*; Quia ſcilicet non dormit hoſtis, & hoc vnum ſatagit
Iud. 4. vt nos conſopiat, *& ſoporem morti conſociet,* vt de Siſara dicitur.
Deut. 4. *Cuſtodi igitur temetipſum & animam tuam ſolicitè,* dicebat ſuis Moſes; Ad quam ſolicitudinem magis acuendam, cogitandum eſt animæ pretium, tum ex ipſius dignitate, tum ex ſalutis æternæ momento ac valore, tum ex Chriſti Domini ſanguine, quo redempta, & ſic eſt nobis reddita, tanquam depoſitum quod

Digitized by Google

ſanum illi & integrum reſtituendum eſt, vnde Apoſtolus. *O Timothee depoſitum cuſtodi.* Et rurſus. *Bonum depoſitum cuſtodi per ſpiritum ſanctum qui habitat in nobis*; quaſi diceret, non ſufficit noſtro cuſtodire ſpiritu, ſed ipſo ſancto cuſtodiendum eſt, vt ſic omni ſeruetur cuſtodiâ; reus eſt alioquin pereuntis dedepoſiti depoſitarius, ſi perit ipſius culpâ. 1. Tim 5. 2. Tim. 1.

Quid ego infælix, clamat S. Bernardus, *quò me vertam? ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus ſanguine proprio pretioſius iudicauit, contigerit negligentiùs cuſtodire?* Quæ plura S. Pater pergit, habentur in ſecunda parte, Dominica ſecunda poſt Paſcha. Serm. 3. de Aduentu Dom.

Denique ſi Deum rogas, vt te cuſtodiat ſicut pupillam oculi, qualem oportet eſſe cuſtodiam tuam, cum ipſo adiungendam? Certè ſi non ſit omnis, non poteſt non eſſe inferior illi, quam affers pupillæ tuæ: ſi autem eſt inferior, indignus es quem ſic Deus cuſtodiat ſicut oras, cum tu ipſe perderes quod ille cuſtodiret. Pſ. 16.

Vide in 4. parte, Feria ſexta infra Hebdomadam decimam quintam poſt Pentecoſten.

FERIA QVINTA.

DE INTEGRA SANITATE PARALYTICI PORTANTIS LECTVM, A QVO PORTABATVR.

ET DE NOSTRO PROGRESSV SPIRITVALI QVI IN EO FIGVRATVR.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Matth. 9.

VERITAS PRACTICA.

Tantùm proficies, quantùm à te deficies.

RATIO EST, *Quia totus profectus eſt in acceſſu per virtutes ad puram Caritatem.*

Sed quantùm à te deficies, tantùm ſic accedes ad illam puram caritatem.

Ergo & tantùm proficies, quantum à te deficies.

I. PVNCTVM.

QVOD de omnibus Chriſti miraculis vniuerſim dici poteſt, ſic ab eo eſſe facta, vt ſe Deum manifeſtaret; hoc ſingulariter de iſto ſanato Paralytico conſiderandum eſt. Cùm enim Phariſæi affirmaſſent ſoliùs Dei eſſe, remittere peccata; tum ille, vt oſtenderet ſe habere hanc poteſtatem, ac proinde ſe eſſe Deum, iubet Paralyticum ſurgere & ambulare. *Quid eſt*, inquit, *facilius dicere, remittuntur tibi peccata, an dicere: ſurge & ambula? Vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata; tunc dixit Paralytico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Ex hoc patenti ſcilicet, & manifeſto ſigno, quod ſuis ipſi cernebant oculis, qui aderant, aliud occultum & inuiſibile poterant faciſlimè cognoſcere. *Fit carnale ſignum*, ait Beda, *vt probetur ſpirituale.* *DIXI Domino: Deus meus es tu.* Pſ. 15.

Verùm non hîc adoranda ſolùm eius Diuinitas, ſed & Diuinitatis tria celeberrima Attributa, Potentia, Bonitas, & Sapientia; Potentia lucet in ſanitate reddita paralytico tam integrè & perfectè, vt ipſe ſtatim atque iuſſus eſt, ſurrexerit, & lectum lætus portarit domum, cunctis videntibus, & admirantibus. Bonitas in ſalute animæ reſtituta ſimul cum ſanitate corporis. Sapientia denique in repræſentatione noſtri progreſſus ſpiritualis ſub figura illius ſanati hominis, ſuum lectum portantis, à quo prius portabatur. Sic enim maximè progredimur in ſpiritu, cùm carnem ſeu appetitum ſenſualem ſubjicimus ſpiritui, quem ſibi ante caro ſubjiciebat. *Sic ſanatus hoc portat, vbi infirmus iacuerat*, inquit S. Gregorius, & alibi: *Porta lectum in quo portatus es.* Id eſt, carnem, in qua prius iacebas ægrotus. Sanctus quoque Bernardus: *Grabatum*, inquit, *tollis, corpus ſcilicet à terrenis eleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima concupiſcentiis eius.*

23. Mor. c. 23. Hom. 12. in Ezech. De quatuor orandi modis.

Digitized by Google

eius, ſed magis ipſa vt dignum eſt, regat illud, & ferat quò non vult. Breuiùs denique S. Auguſtinus. *Non in Carnalibus gaudiis tamquam in lecto requieſcat anima, ſed magis affectiones contineat.* L. de qq. Euang.

Hoc eſt proficere & progredi in via Domini, & hæc eſt via propriè Illuminatiua, quæ appetitum coercendo, in virtutibus ſeſe exercet, atque hic eorum ſtatus, qui dicuntur Proficientes. Quem vt faciliùs intelligas, quæ multa de hoc à multis conſcribuntur, habes hic collecta breuiter, in hac propoſita Veritate, *Tantùm proficies, quantùm à te deficies.* Et ratio quidem iam ſatis ex ſe plana, tum ex citatis patribus planior, hoc præſupponit quod ait S. Thomas, ſicut Incipientium ſtatus eſt in receſſu à peccato, ita Proficientium in virtutum exercitatione, donec vni adhæreant Deo, quod eſt puræ & perfectæ Caritatis. 2. 2. 9. 24. a. 9.

Non deſinunt, inquit S. Doctor, *omnes quidem proficere, & incipientes, & perfecti: principalior tamen cura imminet Incipientibus, vt reſiſtant peccatis, quorum impugnationem minùs ſentientes, iam quaſi ſecuriùs intendunt ad profectum, ex vna tamen parte facientes opus, & ex alia parte habentes manum ad gladium, vt dicitur in Eſdra, de ædificatoribus Ieruſalem. Perfecti etiam Caritate proficiunt, ſed non eſt ad hoc principalis eorum cura, ſed iam eorum ſtudium circa hoc maximè verſatur, vt Deo inhæreant. Et quamuis hoc etiam quærant Incipientes & Proficientes, tamen magis ſentiunt circa alia ſuam ſolicitudinem: Incipientes quidem de euitatione peccatorum, Proficientes vero de profectu virtutum.* 2. Edr. 4.

Hæc ille ad verbum, ex quibus duo manifeſtè patent, quæ in propoſitione continentur, primò profectum de quo hîc agimus eſſe tendentiam & acceſſum ad perfectam Caritatem, prout ait Apoſtolus, *finis præcepti, eſt Caritas de corde puro, & bonâ conſcientiâ, & fide non fictâ.* Deinde verò hac tendentiam & acceſſum non aliter fieri quam per Virtutes, de quibus dicitur, *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, ibunt de virtute in virtutem: Atque in hoc,* inquit S. Thomas, *vera Virtus ſimpliciter dignoſcitur ab apparenti & falsâ, quòd illa ordinet ad principale bonum hominis*; citatque philoſophum dicentem, quod Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum: quæ omnia vno verbo complexus eſt Apoſtolus, cùm dixit, *Veritatem facientes in Caritate creſcamus*; quaſi diceret, per veram Virtutem aſcendamus ad veram Caritatem. *Has aſcenſiones in corde ſuo ponunt quidam quotidie: alij verò deſcenſiones*, in- 1. Tim. 1. Pſ. 83. 2. 2. 9. 24 a. 7. 8. Ethic. Phil. 4.

quit S. Hieronymus. O quanta vtrorumque differentia! O quanta in nobis Animę, quàm manifeſta deſcenſionis ſigna, nec tamen aut emergimus, aut in imum labi timemus!

II. PVNCTVM.

SED quantùm à te deficies, tantùm accedere poteris per Virtutes ad veram Caritatem.

Quid eſt enim à ſę deficere, niſi, quod iam ſupra dictum eſt, appetitum & inclinationes naturales Rationi ſeu Gratiæ ſubiicere? Quod quantum ſeriò & conſtanter feceris, tantùm Virtutes exercebis, quarum exercitium in hoc vno conſiſtit, vt rationem & ordinem omnibus noſtris affectionibus & actionibus ponant. Nam cùm nihil reſiſtat Rationi aut Virtuti, quàm iſte naturalis appetitus quem coerces, dum à te deficis; quid eſt quod præterea Virtutis exercitium impedire poſſit, & acceſſum ad illam Caritatem quò tendimus?

Rom. 8. *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*, inquit Apoſtolus, vitâ illâ ſcilicet verè ſpirituali & diuinâ, quæ purè diligendo &
1. Cor. 6. fruendo Deo peragitur. *Nam qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt*:
2. Cor. 4. atque idcirco idem alibi, *Mors*, ait, *in nobis operatur*, Id eſt dum à nobis deficimus, nobis morimur; cùm autem nobis morimur, tam apti ſumus cum diuina gratia ad benè operandum, vt, quantùm dici poteſt ex parte noſtra, mors ipſa ſit quæ in nobis operatur; Inde eſt operatio, quia nobis mortui ſumus.

Quod ſi etiam ad Diuinam Gratiam, operationes noſtras, tamquam ad ſuum principale principium referimus, numquam
Pſ. 103. melius operatur Gratia, quàm in tali morte; quia nihil tùm illi reſiſtit: *Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur*: ait Regius pſaltes; Tum vero poſt: *Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ*; quaſi diceret, quando Spiritus ſanctus vult maiora operari in aliquo, parat ſibi viam, & facit ſibi locum auferendo ſpiritum eius: ſicque morti-
1. Reg. 2. ficat & viuificat; deducit ad inferos & reducit: pauperem facit & ditat; humiliat, & ſubleuat. O Domine quàm libenter idcirco
Num. 11. co cum Moſe dicerem: *obſecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis*.

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

TANTVM *ergo proficies, quantùm à te deficies.* Nam ſic per continuum virtutis exercitium accedes ad illam Caritatem, in qua eſt Perfectio, ſicut in eius acceſſu via eſt & profectus Proficientium. *Egredere de terra tua*, dixit Deus Abrahamo; Tum vero pòſt, *ambula coram me, & eſto perfectus.* Hic eſt videlicet ordinatus vitæ ſpiritualis progreſſus, *exire à ſe ipſo*, ſeu à deprauata ſua natura, *tum ambulare per veras virtutes*, donec *quieſcas in vno Deo*, ſiuè hic in via per Inhæſionem Caritatis, ſiue in patria per fruitionem Viſionis. Hæc eſt ſaturitas, quæ promittitur eſurientibus & ſitientibus iuſtitiam. Hic Theſaurus in agro abſconditus, & Margarita pretioſa, quibus comparandis ſunt omnia diuendenda. Hæc eſt Cœna magna, & hæ regales nuptiæ ad quas inuitati, ſua omnia debent relinquere. Hoc brauium quod accipit qui ſic currit, vt comprehendat. Hoc eſt manna abſconditum, quod vincenti datur: Nemo autem vincit niſi certet, nec eſt aliud certamen, ad hanc victoriam comparandam, quàm nobiſcum, quàm contra prauos concupiſcentiæ motus: *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.*

Gen. 12. & 17. *Act. 7.* *Matth. 5. Ibid. 13. Ibid. 22. & Luc. 14. 1. Cor. 9. Apoc. 2. Hebr. 12.*

Vide itaque ad dignoſcendum profectum tuum, quantùm à te defeceris, quantùm ab amore excellentiæ, commoditatum, & gloriæ: hæc ſi adhuc menti hærent, certè tu longe es à termino, qui vix in via primum feceris gradum. O quàm verè de nobis Apoſtolus; *Non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris.* Id eſt, non plenè nobis morimur, non ſtirpitus eradicamus prauas noſtras cupiditates, ſed tantùm tegimus quod ex illis eſt magis probroſum & inordinatum; atque hinc fit, vt nihil proficiamus. *Hoc enim vnuſquiſque perſuaſum habeat*, inquit S. Ignatius, *tantùm ſe in ſtudiis ſpiritualibus promoturum eſſe, quantùm ab amore ſui ipſius, & commodi proprij affectione, ſeſe abſtraxerit.* *FILI quantùm vales à te exire, tantum poteris in me tranſire.* Noſtine hanc vocem, cuius ſit Authoris, vel cuius Patris ad filium? Vide quæ plura illic habentur, & ſtatue aliquid particulare quod inhæret tenaciùs, tenaciùs expugnandum. *Agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia.*

2. Cor. 4. *In fine ſecund. Hebdom.* *L. 3. de Imit. Ch. c. 56.* *Eccli. 4.*

FERIA SEXTA.

DE PERFECTA PARALYTICI OBEDIENTIA.

ET DE EA QVAE DICITVR OBEDIENTIA CHARITATIS, QVAE PERFECTAM CVM DEO FACIT VNIONEM.

Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat, & abiit in domum ſuam magnificans Deum. Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Eſt quidem certum in Charitate vnionem eſſe perfectionis: ſed non eſt certò dicenda hæc Charitas neque hæc vnio, niſi in obedientia quæ dicitur Charitatis.

1. Pet. 1. *RATIONEM ſubminiſtrat S. Petrus cuius hæc ſunt verba:* Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis, *Id eſt purificantes per illam obedientiam quæ à Charitate proficiſcitur, & per quam Charitas exercetur. Sic autem formatur Ratio.*

NVMQVAM magis eſt certa hæc animæ cum Deo vnio, niſi cum anima magis eſt caſtificata ab omni amore proprio, propriaque voluntate.

Sed anima numquam eſt magis caſtificata ab omnia propria vo-

Digitized by Google

luntate, quàm in obedientia charitatis.

Ergo nec vnquam magis certa eſt hæc vnio, niſi in tali obedientia: proindeque omni modo procuranda.

I. PVNCTVM.

AD diuinæ potentiæ quæ in Chriſto erat, vim & virtutem manifeſtiùs declarandam ſpectabat quidem, vt Paralyticus ſtatim atque iuſſus eſt, ſurgeret, vidérentque omnes qui aderant, qualis ille eſſet Dominus, cui ſic morbi obedirent. Sed quamobrem Vir ille ſanatus tam citò domum repetit? cur non paulò diutiùs ſiſtit, vel vt Benefactorem ſuum agnoſcat, eique gratias ampliores reddat, vel vt ſanitatis receptæ congratulationes, à turba illic ſpectante recipiat, vel vt tectum ſua cauſa fractum, tegulaſque diſiunctas reparari curet?

Admiranda certe viri obedientia! Quia non modò erat iuſſus è lecto ſurgere, ſed etiam lectum tollere, & domum ſuam repetere: nihil prorſus eorum cogitauit, quæ ipſum poterant remorari, ſed ita mente ſimul & corpore confirmatus & efformatus eſt ad obſequium Domino ſuo reddendum, vt ſicùt ægritudo imperanti Chriſto ſtatim obediuerat, ita æger confeſtim obſequeretur: ſicque illico nihil cunctatus, ſublato in humeros lecto, diſcedit ab omnibus, & ab ipſo Chriſto, vt domum repetat, quia ſic erat iuſſus.

O perfectæ modum obedientiæ! ô ſingulare perfectionis Exemplar, quæ in tali obedientia demonſtratur! Eſt quidem perfectio in vnione cum Deo, & eſt quidem in Charitate hæc vnio perfectionis, ſed neque illa vnio nec illa Charitas magis aut meliùs exercentur, quàm in tali Obedientia, quæ hic nobis ad imitandum exhibetur. Sicut enim iſte homo ſanatus perfectè obediendo maiores Chriſto refert gratias, & magis ipſum colere, magis diligere, magiſque ei adhærere teſtatur, quàm ſi ab eius latere numquam ſe voluiſſet mouere: ita planè vir obediens declaratur, ita planè obediendo demonſtratur certiùs vera Charitas, vera vnio, vera perfectio, quàm ſi hæc extra obedientiam exercerentur.

Ratio continetur in hac precipuè voce qua vtitur ſanctus

Petrus, *caſtificantes animas veſtras*, Id eſt, ita purificantes ab omni prorſus affectu & motu, qui perfectam impedit Charitatem, ſicut purificari debet anima ab omni amore ſenſuali, vt ſit perfectè caſta. Hæc eſt tàm certa perfectæ vnionis nota, vt quò magis purificata fuerit anima, eò certiùs dici poſſit vnita, quia hoc vnum impedit perfectam vnionem, quòd anima non ſit plenè purgata. Nihil enim debet eſſe intermedium, vt ſit perfecta vnio, quamdiu autem eſt aliquid in anima non purgatum, dici poteſt eſſe aliquid interiectum, ac proinde impediens perfectionem vnionis & vnionem perfectionis. *Iud. 16.* *Quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non ſit mecum?* Quaſi diceret, non eſt amor niſi ſit animorum vnio, non eſt vero talis animorum vnio niſi animi ſeſe amantium pari ſenſu & conſenſu conueniant. At non conueniet anima creaturæ cum animo Creatoris, niſi ſit illa plenè purgata ab aliis prorſus affectibus, & quantùm erit purgata, tantum conueniet, tantúmque certò propterea vnietur. *L. 3. de Imit. Chr. c. 37.* *Fili relinque te, & inuenies me.* Vide caput integrum, & hæc præcipuè expende Verba: *Quidam primo totos ſe offerunt, ſed poſtea tentatione pulſante, ad propria redeunt. Hi ad veram puri cordis libertatem & iucundæ familiaritatis meæ gratiam non pertingent, niſi integra reſignatione & quotidiana ſui immolatione priùs factâ, ſine qua non ſtat nec ſtabit vnio fruitiua.*

In Pſ. 2. *Tamquam vas figuli conteres eos*, Id eſt, inquit S. Auguſtinus, *conteres in eis terrenas cupiditates, & veteris hominis lutulenta negotia, & quidquid de peccatore limo contractum atque inolitum eſt.* Sicque fiet quod ſequitur. *Et nunc reges intelligite. Id eſt, iam contritis luteis tegumentis, iam valentes regere quidquid in vobis ſeruilè atque beſtiale eſt.* Sic videlicet capaces eſtis maioris Gratiæ quæ intellectum inſtruat, & voluntatem accendat.

O illa in me deſcendat Gratia, vt ſic inſtruar & accendar! ô me tamquam vas figuli ſic Deus conterat, vt illa in me deſcendat Gratia.

II. PVNCTVM.

SED anima numquam eſt magis caſtificata & purgata ab omni proprio affectu, quàm in obedientia Charitatis.

Hoc intelligi poteſt de actu, vel de habitu, vt ſit ſenſus: Ex

Digitized by Google

duobus Charitatis actibus, quorum vnus ſit in obedientia factus, non item alius: aut ex duobus hominibus quorum alter altero frequentiùs, & magis ordinariè ex obedientia velit caritatem exercere; ſi quæratur vter eorum actus, ſit purior Charitatis actus, aut vter eorum omnino puriùs diligat Deum; tunc dici debet ille eſſe, qui ex Obedientia ſæpius operatur; quia perfecta obedientia, qualem hic præſuponimus, *eſt holocauſtum quoddam*, vt ait S. Gregorius, ex ſcriptura, *quo voluntas propria mactatur*, & id omne incenditur quod animam impuram reddit eâ præcipuè impuritate, quæ in perfectorum operibus, & vnitiuâ viâ reperiri poteſt. 35. Mor. c. 12.

Vnde quod ait Sapiens, *Vir obediens loquetur victoriam*, ſic interpretantur Patres, vt, quia ſe ipſum obediens vincit, & ſe vincendo, ſe à ſeipſo purificat, idcirco etiam puritate, vitâ, & excellentiâ Charitatis illos ſuperet, qui non ita obediunt, nec ſe ita caſtificant. Atque hæc eſt ratio, quâ S. Thomas oſtendit Obedientiam inter virtutes morales eſſe præcipuam, quòd per illam videlicet, *homo contemnat quod in ſe habet præcipuum, nempe intellectum & voluntatem, & quo contempto puriùs adhæret Deo.* Prou. 21. 2.2.q.186 a.8.

Nonne propterea duplici lepræ comparatur voluntas propria, propriúmque conſilium, quâ ſi quis purgari velit, *imitetur eum*, inquit ſanctus Bernardus, *qui non venit ſuam ſed Patris facere voluntatem.* Tum poſt multa de hoc argumento ſic pergit; *Audiant igitur vtrique pariter, qui propriæ voluntatis, & qui proprij conſilij lepra ſordent; audiant quid Spiritus dicat Eccleſiis, breui vno verſiculo, vtramque lepram condemnans: Sapientia ait, quæ de ſurſum eſt, primùm quidem pudica eſt, contra propriæ voluntatis impuritatem: Deinde pacifica, contra conſilij proprij obſtinatam rebellionem.* Audiſne hæc tamquam tibi dicta. Serm. 3. de Reſurr. Dom. Iac. 3.

III. PVNCTVM.

E*STO igitur, in charitate ſit vnio perfectionis, hoc quidem certum eſt, ſed non eſt certa hæc vnio, niſi in obedientia Charitatis*; Quia vt ſit perfecta vnio animæ cum Deo, debet anima eſſe pura ab iis quæ illam vnionem impediunt: neque vmquam certior eſt illa vnio quàm cùm certius eſt animam ſic eſſe puram: non eſt autem id certiùs, quàm in Obedientia, ex Charitate profecta,

Digitized by Google

vbi anima ſic tota inceditur & purificatur, vt victima & holocauſtum Deo gratius reputetur, quàm quæ in veteri lege offerrentur. *Melior eſt*, inquit, *obedientia quam victima, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum.* 1. Reg. 15.

Sola quidem Obedientia ſine Charitate non facit vnionem cum Deo: ſola etiam Charitas ſine obedientia non facit certam, quia nec ipſa Charitas certa eſt ſine Obedientia, propter amorem proprium, ſeu propriam voluntatem, quæ citra obedientiam, Charitati permiſcetur; Vnde reſtat certiorem & perfectiorem vnionem non eſſe niſi ex Charitate & Obedientia ſimul iunctis: atque adeo ſicut per Charitatem Obedientia perficitur, ita Charitas per Obedientiam, veráne ſit & perfecta, manifeſtatur. *Qui ſeruat verbum eius, verè in hoc Charitas Dei perfecta eſt*; ait dilectus diſcipulus, Sanctus quoque Bernardus aptiſſimè de hoc obedienti amore & amanti obedientia. *Amat*, inquit, *caſtè & caſto non grauatur obedire mandato, caſtificans magis cor ſuum, vt ſcriptum eſt, in obedientia Charitatis: amat iuſtè, & mandatum iuſtum libenter amplectitur: amor iſte merito gratus, quia gratuitus, caſtus eſt quia non impenditur verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate: iuſtus eſt, quoniam qualis ſuſcipitur, talis & redditur. Qui enim ſic amat, haud ſecus profectò, quàm amatus eſt, amat: quærens & ipſe viciſſim, non quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, quemadmodum ille noſtra, vel potiùs nos, & non ſua quæſiuit.* Tract. de dilig. Deo.

Vide quæ plura hic habet de hoc argumento; Et diſce potiſſimum exemplo Chriſti Domini ſic diligere obediendo, & obedire diligendo, vt omnia tua in charitate, & quantum fieri poterit, in obedientia fiant. *Vt cognoſcat mundus quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Certe hoc tibi Pater mandat, vt ſicut fecit Filius, ſic facias. Ioan. 14

SABBATO

DE MAGNIFICATO POST MIRACVLVM, AB OMNIBVS DEO.

ET A

ET A NOBIS SEMPER MAGNIFICANDO IN OMNIBVS.

Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum; & repleti ſunt timore, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie. Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Si non ſemper, numquam magnificas Deum.

RATIO EST, *Quia numquam magnificas Deum, ſi de diuinis eius Attributis non magnificè ſentis.*

Sed ſi non ſemper magnificas, nempe in aduerſis æquè ac proſperis, non magnificè ſentis de diuinis eius Attributis.

Ergo ſi non ſemper, numquam magnificas Deum: quamobrem ſemper magnificandus.

I. PVNCTVM.

TRIA ſunt præcipuè admirati quotquot ſpectarunt inſigne illud miraculum ſanati paralytici. Primum eſt poteſtas ſumma ſanantis; Secundum, facilitas ſanati morbi difficillimi; Tertium cauſa & motiuum patrati miraculi, nempè vt homo oſtenderet ſe poteſtatem habere remittendi peccata, & proinde ſe eſſe Deum, cui vni hoc eſſe proprium Iudæi crederent.

Tres item affectus admiratio illa produxit; primus eſt Stupor quidam, quo omnes ſenſus atque animi facultates præ ingenti admiratione detinentur, & defiguntur in obiecto illo ſtupendo. Secundus eſt Timor ille, qui dicitur reuerentialis, quò ſtupefacti ad ſe redeuntes mirum quàm mirificè de Chriſto ſenſerint, & ad eius venerationem fuerint prouocati. Tertius denique, communis & publica Magnificentia ſeu glorificatio; quam paſſim inter ſeſe Deo dabant, & obuiis quibuſque ſignificabant, hæc & ſimi-

Luc. 5. lia crebro ſermone vſurpantes, *Quia vidimus mirabilia hodie*;
Marc. 2. *QVIA numquam ſic vidimus.*

Hoc eſt ſcilicet Exercitium Diuini Amoris & vitæ vnitiuæ in perfectis, qui dùm contemplationi Diuinarum Perfectionum & mirabilium Dei operum ſuauiter vacant, ſic ad eum honorificandum & magnificandum excitantur, vt hoc vnum in ore habeant, BENEDICTVS DEVS, MAGNIFICETVR DOMINVS, MANIFESTETVR CHRISTVS. Quod quidem facile eſt & periucundum, dum ſic ſuauiter afficiuntur in Deum, ſiue ob infuſos pietatis ſenſus, ſiue ob proſperos rerum geſtarum euentus. Sed ſi ſuauitas vertatur in amaritudinem, ſi proſperitas in aduerſitatem: an ita ſemper æquali facie reddent eandem Domino magnificentiam? Id valde rarum, & verè Dauid Deo,
Pſ. 49. de quouis homine. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*, quaſi diceret, ſatis proni ſunt homines ad benedicendum Deo cùm Deus illis benefacit: ſed ſi aliquando Deus ad eorum probationem deſinat benefacere, deſinent & illi ſtatim Deo benedicere.

At verò audi; *Si non ſemper, numquam magnificas Deum.* Quod certè eſt mirum, & idcircò attentiùs expendendum. Ratio autem quæ affertur eò eſt ſolidior, quò in natiua ſignificatione magnificandi Dei magis fundatur. Cùm enim magnificare Deum, nihil aliud ſit, quàm Magnitudinem eius prædicare, Bonitatem, Sapientiam, Æquitatem, Iuſtitiam, & alia eius Attributa ſeu diuinas Perfectiones, & admiranda opera decantare, extollere, & dignis efferre præconiis; Certè numquam ita magnificabis Deum, niſi de diuinis eius Attributis magnificè ſentias, alioquin aliud ore diceres, & aliud corde ſentires, quod longè alienum eſt à diuinis laudibus, & à ſuprema ma-
Deut. 32. gnificentia Deo danda. *Date magnificentiam Deo noſtro*; *MA-*
Pſ. 33. *GNIFICATE Dominum meum. MAGNIFICETVR Domi-*
Ibid. 34. *nus*; & quoties ſic Scriptura nos inuitat ad hoc debitum Deo perſoluendum, nonne id primò imprimit animis noſtris, vt magnificè de Deo ſentiamus, ſicut reuera, *Magnificus eſt in ſanctitate*, in iuſtitia & cæteris omnibus attributis? hanc enim ſem-
Exodi. 20. per rationem proponit. *Cantemus Domino, glorioſè enim magni-*
Deut. 33. *ficatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. MAGNIFI-*
1. Par. 29. *CENTIA eius diſcurrunt nubes. TVA eſt Domine Magnificentia,*
Pſ. 56. *Potentia, & Gloria. MAGNIFICATA eſt vſque ad cælos Miſe-*

Digitized by Google

ricordia eius, & vſque ad nubes veritas eius. Quod cum ita reuera ſit, nemo aliter ſentire de Deo poteſt: aut qui aliter ſentiat, numquam is Deum magnificare poterit: aut ſi magnificet, non niſi vt hypocrita, de quo bene prophetauit Iſaias. *Hic labiis me honorat, cor autem eius longè eſt à me.* Velleſne hoc tibi exprobrari? Math. 15 Iſ. 29.

II. PVNCTVM.

SED ſi non ſemper magnificas Deum, id eſt in aduerſis æquè ac proſperis, non magnificè ſentis de diuinis eius attributis.

Quid enim ſentis de diuina eius Bonitate? Magnam ſcilicet & magnificandam cùm relucet in proſperis: at vero cum ita non apparet in aduerſis, non eſſe ita magnam & magnificandam! Itáne verò putas ſic te ſentire magnificè de Dei Bonitate? Itáne tantùm dici poterit magnifica Dei Bonitas, cùm in proſperis benefacit, cùm vero manum retrahet in aduerſis, non erit etiam bonus Deus! O Blaſphemiam non ferendam!

De diuina vero Potentiâ, & ſummo eius Dominio, quid te magnificè dicis poſſe ſentire, ſi non æquè magnificas in aduerſis, atque in proſperis, cùm in eo præcipuè ſit ſummum & abſolutum Dominium, quod pro ſuprema ſua poteſtate poſſit Deus de vnoquoque homine ad nutum & voluntatem ſuam ſic diſponere, vt quidquid tandem aduerſitatis inde homini accidat, non poſſit homo dicere, *Cur ita facis?* Tu ergo qui hanc Poteſtatem Iob 9. non magnificas in aduerſis, quid magnificè tandem de hac diuina poteſtate ſentis? quid de Iuſtitia? quid de Sapientia? quid de aliis Attributis, quæ in malis inferendis non minùs relucent, quàm in bonis? quomodo magnificè de iis ſenties, cùm non eſſent magnifica, ſi tantùm in bonis eſſent, & non in malis?

Audi S. Auguſtinum, *Tanta quippe eſt Omnipotens eius Bonitas, vt etiam de malis poſſit facere bona, ſiue ignoſcendo, ſiue ſanando, ſiue ad vtilitatem piorum coaptando, atque vertendo, ſiue etiam iuſtiſſimè vindicando: Omnia namque iſta bona ſunt, & Deo bono atque omnipotenti digniſſima, nec tamen fiunt niſi de malis.* Et rurſum alibi. *Qui creauit omnia valde bona, & mala ex bonis oritura eſſe præſciuit, ſciuit magis ad ſuam potentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere.* L. de Corr. c. 6. Idem de corrept. & grat.

Digitized by Google

Hoc eſt magnificè ſentire de Attributis ; & à contrario, qui non ea in malis ita magnificat, de his non ſentit magnificè, ſed malignè, impiè, iniurioſè. *Tres ille habet ſententias*, inquit idem ſanctus Auguſtinus, *aut non eſt Deus, ſicut dixit impius, cui diſplicet quidquid illi accidit præter voluntatem : aut iniuſtus eſt Deus, cui iſta placent, & qui hæc facit : aut non gubernat Deus res humanas, nec cura eſt illi de omnibus* ; Nonne tremis ad hæc verba ?

Idem in Pſ. 31.

III. PVNCTVM.

S*I non ergo ſemper, numquam magnificas Deum.* Nam niſi magnificè de Deo ſentias, numquam Deum magnificas ; non potes autem dici de illo ſentire magnificè, ſi non ſemper & in aduerſis æquè ac proſperis magnificas, quia non minùs tùm verè eſt magnificus & magnificandus, quàm in proſperis quibuſuis euentibus. *Benedicam Dominum in omni tempore : ſemper laus eius in ore meo. DICANT ſemper, magnificetur Dominus. SEMPER, magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem.* Non putabant illi videlicet ſe poſſe vmquam, niſi ſemper magnificarent : tu vero ſecus credes ? Tu in proſperis quidem, ſed in aduerſis non æquè Deum laudabis ! Deplora hanc impietatem, & vt deinceps caueas, diſce quod ait ſanctus Auguſtinus. *Breue magiſterium, vt ſemper laudes Deum, veroque corde non falſo dicas, Benedicam Dominum in omni tempore. Breue myſterium eſt ſcilicet, vt noueris eum miſericorditer dare, cùm dat ; miſericorditer auferre, cùm tollit : nec te credas à Miſericordia derelinqui, quæ tibi aut blanditur dando, ne deficias ; aut te corripit exultantem, ne pereas. Siue ergo in eius donis, ſiue in flagellis lauda eum : laus flagellantis, medicina eſt vulneris.*

Pſ. 33. Ib. 34. Phil. 1.

in Pſ. 144.

Sic quondam Rex ille potentiſſimus qui aiebat : *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico & glorifico regem Cœli : quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare :* Quaſi diceret, æquè in aduerſis ac proſperis magnificandus eſt, quia æque in iſtis magnus eſt & omni dignus magnificentia. Sic Darius eius ſucceſſor decreto propterea facto, *vt in vniuerſo imperio & regno, tremiſcant & paueant Deum Danielis. Ipſe eſt enim Deus vnicus, & æternus in ſæcula.*

Ibid. 6.

Digitized by Google

DOMINICA V.
POST EPIPHANIAM,
NISI SIT SEPTVAGESIMA.

DE ZIZANIIS IN MEDIO TRITICI SEMINATIS, QVAE CHRISTVS IPSE DOMINVS DECLARAVIT ESSE MALOS HIC VIVENTES INTER BONOS.

Cum dormirent homines, venit Inimicus, & ſuperſeminauit Zizania, in medio tritici. Matth. 13.

VERITAS PRACTICA.

Sicut non ſunt amanda vitia, propter amicos homines: ſic non ſunt odio habendi homines, propter eorum vitia.

RATIO EST, Quia idcirco non ſunt amanda vitia propter amicos homines, ne affectum noſtrum præferamus Deo qui vetat vitia.

Sed ſi odio haberemus homines propter eorum vitia, ſic affectum noſtrum preferremus Deo, qui vetat illud odium.

Ergo nec ſunt amanda vitia propter amicos homines, nec ſunt

vlli odio habendi homines, propter eorum vitia. Quod tamen in praxi eſt rarum.

I. PVNCTVM.

SIMILE factum eſt Regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Vide quod reliquum eſt parabolæ, & quam Chriſtus ipſe Dominus explicationem affert, eodem Capite, vbi hæc inter alia; *Bonum ſemen hi ſunt filij regni, Zizania autem filij ſunt nequam.* Hinc porro eſt eruta Veritas multùm practica, *Vt neque ſint amanda vitia propter homines vitioſos quos diligimus, neque ſint odio habendi homines propter eorum vitia quæ deteſtamur.* Hoc enim ſæpe accidit bonis, qui inter malos verſantur, vt vel hos oderint, ſi non amant eorum vitia: vel ſi hos amant, non fugiant eorum vitia, ſed foueant, & quodammodo colant ac ament: Quod vtrumque valde damnoſum eſt, & ex æquo cauendum propter eandem omnino rationem.

Nam quid eſt quod non ſint amanda vitia propter amicos homines? Hoc primò eſt expendendum, quod ſit facilius intellectu, vnde aliud patefiet apertiùs. Quid autem illud eſt, niſi quod apertè vetentur à Deo vitia, quæ ſi amaremus propter homines quos amamus, tunc ipſos homines affectumque noſtrum manifeſtè præferremus Deo, quod planè nefas eſt, & ipſo quod amaremus vitio vitioſius eſt aliquid, propter contemptum Dei tanto
1. Reg. 2. hîc expreſſiùs creaturæ poſthabiti, quantò expreſſiùs propter creaturam offenderetur. *Magis honoraſti filios tuos quam me!* ô grauiſſima quæ à Deo fieri poteſt expoſtulatio!

Math 5. & 18. Hic erat oculus eruendus, hæc abſcindenda manus, & pes truncandus, ne ſcandalo nobis eſſent, vt aptè ad rem noſtram interpretatur S. Hieronymus. *Si quis*, inquit, *ita eſt tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, & eſt vtilis atque ſolicitus: ſcandalum autem tibi facit, & propter diſſonantiam morum te pertrahit in gehennam; melius eſt, vt & propinquitate eius & emolumentis carnalibus careas, quàm dum vis lucrifacere cognatos & neceſſarios, cauſam habeas rui-*
Iſ. 46. *narum. CVI aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem?* Expende quantis vtitur verbis idem ſignificantibus, vt rem magis exaggeret, & probrum inde reſiliens magis te confundat & acuat.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED *ſi odio haberemus homines propter eorum vitia, ſic affectum noſtrum præferremus Deo qui vetat illud odium.*

NON oderis, inquit in Leuitico, *fratrem tuum in corde tuo*, id eſt quemlibet proximum, etiam aduerſarium & inimicum. Vnde & in Exodo expreſsè habetur; *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te, iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* Quamobrem quod dixit Chriſtus in Euangelio, *audiſtis quia dictum eſt, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum:* non erat hoc dictum quaſi ex lege, neque hoc vllibi ſcriptum eſt, ſed falsò additum à Scribis & Phariſæis, qui per proximum diligendum malè intelligebant amicum, vnde & inferebant, odio habendum eſſe inimicum; contra quos ipſe Dominus: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Et Apoſtolus; *Si eſurierit inimicus, ciba illum: ſitit, potum da illi.* Ex quibus tam manifeſtè patet vetari odium proximi, quàm eius vitia; cúmque illud odium, cuiuſcumque perſonæ ſit, non minus ſit paſſio & affectio cordis, quàm amor proximi vitioſus, nonne hinc euidens eſt quod ſi quem oderis propter vitia, ſic affectum tuum præferas Deo, ſicut ſi hominis amares vitia propter amicum hominem?

Leuit. 19. *Exodi. 23.* *Matth. 5.* *Rom. 12.*

Sic vniuerſim dictum eſt à Sapiente; *Ne accipias perſonam, vt delinquas:* Id eſt, ne ratione cuiuſquam perſonæ Deum offendas, ſiue id fiat per exceſſum ſeu defectum, ſiue per amorem nimium, aut per odium, nihil refert, cùm nullo modo ſit delinquendum propter perſonam aliquam. *Eccleſi. 42.*

Atque hinc in hodierna parabola, Paterfamilias ſuorum correxit impetum, qui zizania volebant ex agro euellere. *Ne fortè*, inquit, *colligentes Zizania, eradicetis ſimul & triticum; ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem:* Quaſi diceret, volo ſimul malos cum bonis viuere, Nam, vt ait ſanctus Auguſtinus, *boni, dum ſunt infirmi, opus habent malorum commixtione, vt per eos exerceantur, aut eorum comparatione inuitentur ad melius.* Et rurſum. *Multi primò zizania ſunt, poſtea fiunt triticum, qui niſi patienter tolerentur dum mali ſunt, non fient triticum.* Itemque alibi

L. de qq. Euang. *In Pſ. 54.*

fuſius. *Ne putetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo viuit vt corrigatur, aut ideo viuit vt per illum bonus exerceatur: vtinam ergo qui nos modò exercent, conuertantur, & nobiſcum exerceantur: tamen quamdiu ita ſunt vt exerceant nos, non eos oderimus: quia in eo quod malus eſt quis eorum, vtrum vſque in finem perſeueraturus ſit, ignoramus; & plerumque cum tibi videris odiſſe inimicum, fratrem odiſti, & neſcis.*

Nec dicas, id tibi eſſe nimis graue & onerosum; Nam in tuum etiam commodum lex illa lata eſt. Sicut enim vetaris odiſſe alios, ita & alij prohibentur, ne te oderint. Quid dulcius quàm ab omnibus diligi? quid grauius quam vel apud
Luc. 6. vnum in odio eſſe! & hoc tibi bonum procuratur. Si neminem oderis, nemini eris odioſus; *Quâ enim menſurâ menſus fueris, eadem & remetietur tibi.* O nos iniquos & iniuſtos, qui nullum noſtri odium non iniuſtum credimus, & nullum noſtrum odium non iuſtum reputamus!

III. PVNCTVM.

SICVT *ergo non ſunt amanda hominum vitia, propter amicos homines: ſic non ſunt odio habendi homines, propter eorum vitia:* quia ex vtroque Deus perinde offenditur, qui proximi odium
Prou. 23. non minùs prohibet, quàm vitioſam eius amicitiam. *Præbe,* inquit, *fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas cuſtodiant,* id eſt, ſic omnino mihi volo à te cor præberi tuum, vt iam tuum non ſit; neque illo prorſus vtaris ad amorem vel odium cuiuſcumque alterius perſonæ vel creaturæ, niſi prout voluero. Itaque ſi tibi dixero, Volo diligas proximum, ſed non ita vt eius vitia diligas; ſic omnino eſt diligendus, nec aliter: Volo vt oderis proximi vitia, ſed ita, vt proximus non ſit habendus odio; ſic prorſus odium eſt exercendum, neque vltra ad perſonam effundendum, quia cor noſtrum non noſtrum, ſed Dei eſt; quo neque plus neque minus ad amorem vel odium vti poſſumus, quàm ſi res aliena eſſet, quæ inuito rationabiliter Domino non
Matth. 20. eſt vſurpanda. *Tolle quod tuum eſt & vade. Aut non licet mihi quod volo, facere?*
Pſ. 118. Quod ſi audias Dauidem dicentem, *Iniquos odio habui*; Audi & eundem.

Digitized by Google

& eundem ſe explicantem; *Perfecto odio oderam illos*, id eſt, licito, & bene compoſito, non odiendo perſonam ſed vitia; ſic enim licet & opportet eos odiſſe, imo & patrem ac matrem & quoſcumque alios, qui ſe ſaluti noſtræ opponerent, vt eſt in Euangelio. Sed an tuum ita ſit perfectum odium diligenter expende; Multi enim hîc decipiuntur, qui zelum putant, & bene compoſitum in improbos odium, cùm tamen merum ſit vitium. Rectè enim Sapiens: *Abſcondunt odium labia mendacia*, id eſt, obtegunt & pio quodam motiuo prætexunt, vt nullum appareat odium vel non vitioſum; Et falluntur, mentiuntur, merum eſt odium: quidquid ore dicant, ita in corde eſt. Pſ. 138. Matth. 10. Luc. 14. Prou. 10.

Sic amor vitij in amicis non ſæpe putatur vitium, quia nolles fortè idem omnino perpetrare, nolles ſic iurare, ſic detrahere, ſic mentiri: ſed quia Vitioſo nimis arrides, non ſatis eum arguis & prohibes, tibi eius imputatur vitium, & eadem te pœna manet. *Digni ſunt morte*, inquit Apoſtolus, *non ſolùm qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus*; Vnde & idem: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Hoc eſt amare vitium, ſi non odiſti vt debes; nec odiſti vt debes, ſi non arguis, quantùm potes iuxta illud Scripturæ: *Argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.* Sic planè hoc eſt odiſſe proximum, ſi non amas vt debes: non amas autem vt debes, ſi debita Charitati negas officia. Vide quæ in particulari, & quantùm in his deficias, ac ſuſpira cum Dauide; *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Tremenda certè verba. Rom. 1. Epheſ. 5. Leuit. 9. Pſ. 18.

AD EADEM EVANGELII VERBA.

Cum dormirent homines, venit inimicus. Matth. 13.

Contra excuſantes imprudentiam ſeu defectum aduertentiæ.

VERITAS PRACTICA.

Ne putes te benè ſemper excuſatum, cum dicis: Non putabam.

RATIO declaratur fuſius in tertia parte, feria tertia, infra hebdomadam Octauam poſt Pentecoſten.

Cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet tunc apparuerunt & Zizania.

Contra eos qui vel condemnant malos quibuſcum viuunt, vel eos imitantur.

VERITAS PRACTICA.

Nec propter alios à bono te excuſabis: nec quemquam alium propter te accuſabis.

HABETUR fuſe declarata in tertia parte, Feria ſecunda, infra hebdomadam decimam quartam poſt Pentecoſten.

Accedentes autem ſerui Patrisfamilias dixerunt ei: Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania.

Contra imperfectiones & negligentias noſtris bonis operibus intermixtas.

VERITAS PRACTICA.

Maledictus qui facit opus Dei negligenter, ſeu fraudulenter.

Digitized by Google

Vide in quarta parte Feriam ſecundam, & ſequentes infra hebdomadam vigeſimam ſeptimam poſt Pentecoſten.

Videri etiam poſſunt quæ hac proximè ſequenti hebdomada referuntur, de beneficio vocationis contra ingratos, ſeu contra ſe male gerentes in officio.

Inimicus homo hoc fecit.

VERITAS PRACTICA.

Si Tentatorem permiſeris ingredi, non ſe permittet egredi. Facilius ejicitur quàm excluditur.

In ſecunda parte, Dominica prima Quadrageſimæ.

DE EODEM, ALIA VERITAS.

Quod monet Sapiens: Eris eruditus in omnibus; aut eris contra dæmonem rudis in omnibus.

In quarta parte, Feria ſexta infra hebdomadam decimam quintam.

DE EODEM, ALIA VERITAS.

Qui non obſeruat furem, obſeruatur à fure & capitur.

In quarta parte, Feria tertia & ſequentibus infra hebdomadam vigeſimam octauam.

Serui autem dixerunt ei: vis imus & colligimus ea? Et ait, Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.

Contra zelum indiſcretum.

Digitized by Google

Luc. 5. Marc. 2. lia crebro ſermone vſurpantes, *Quia vidimus mirabilia hodie; QVIA numquam ſic vidimus.*

Hoc eſt ſcilicet Exercitium Diuini Amoris & vitæ vnitiuæ in perfectis, qui dùm contemplationi Diuinarum Perfectionum & mirabilium Dei operum ſuauiter vacant, ſic ad eum honorificandum & magnificandum excitantur, vt hoc vnum in ore habeant, BENEDICTVS DEVS, MAGNIFICETVR DOMINVS, MANIFESTETVR CHRISTVS. Quod quidem facile eſt & periucundum, dum ſic ſuauiter afficiuntur in Deum, ſiue ob infuſos pietatis ſenſus, ſiue ob proſperos rerum geſtarum euentus. Sed ſi ſuauitas vertatur in amaritudinem, ſi proſperitas in aduerſitatem: an ita ſemper æquali facie reddent eandem Domino magnificentiam? Id valde rarum, & verè Dauid Deo, Pſ. 49. de quouis homine. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei,* quaſi diceret, ſatis proni ſunt homines ad benedicendum Deo cùm Deus illis benefacit: ſed ſi aliquando Deus ad eorum probationem deſinat benefacere, deſinent & illi ſtatim Deo benedicere.

At verò audi; *Si non ſemper, numquam magnificas Deum.* Quod certè eſt mirum, & idcircò attentiùs expendendum. Ratio autem quæ affertur eò eſt ſolidior, quò in natiua ſignificatione magnificandi Dei magis fundatur. Cùm enim magnificare Deum, nihil aliud ſit, quàm Magnitudinem eius prædicare, Bonitatem, Sapientiam, Æquitatem, Iuſtitiam, & alia eius Attributa ſeu diuinas Perfectiones, & admiranda opera decantare, extollere, & dignis efferre præconiis; Certè numquam ita magnificabis Deum, niſi de diuinis eius Attributis magnificè ſentias, alioquin aliud ore diceres, & aliud corde ſentires, quod longè alienum eſt à diuinis laudibus, & à ſuprema maDeut. 32. gnificentia Deo danda. *Date magnificentiam Deo noſtro; MA-*Pſ. 33. *GNIFICATE Dominum meum. MAGNIFICETVR Domi-*Ibid. 34. *nus*; & quoties ſic Scriptura nos inuitat ad hoc debitum Deo perſoluendum, nonne id primò imprimit animis noſtris, vt magnificè de Deo ſentiamus, ſicut reuera, *Magnificus eſt in ſanctitate*, in iuſtitia & cæteris omnibus attributis? hanc enim ſemExodi. 20. per rationem proponit. *Cantemus Domino, glorioſè enim magni-*Deut. 33. *ficatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. MAGNIFI-*1. Par. 29. *CENTIA eius diſcurrunt nubes. TVA eſt Domine Magnificentia,* Pſ. 56. *Potentia, & Gloria. MAGNIFICATA eſt vſque ad cælos Miſe-*

Digitized by Google

ricordia eius, & vſque ad nubes veritas eius. Quod cum ita reuera ſit, nemo aliter ſentire de Deo poteſt: aut qui aliter ſentiat, numquam is Deum magnificare poterit: aut ſi magnificet, non niſi vt hypocrita, de quo bene prophetauit Iſaias. *Hic labiis me honorat, cor autem eius longè eſt à me.* Velleſne hoc tibi exprobrari? *Matth. 15. Iſ. 29.*

II. PVNCTVM.

SED *ſi non ſemper magnificas Deum, id eſt in aduerſis æquè ac proſperis, non magnificè ſentis de diuinis eius attributis.*

Quid enim ſentis de diuina eius Bonitate? Magnam ſcilicet & magnificandam cùm relucet in proſperis: at vero cum ita non apparet in aduerſis, non eſſe ita magnam & magnificandam! Itáne verò putas ſic te ſentire magnificè de Dei Bonitate? Itáne tantùm dici poterit magnifica Dei Bonitas, cùm in proſperis benefacit, cùm vero manum retrahet in aduerſis, non erit etiam bonus Deus! O Blaſphemiam non ferendam!

De diuina vero Potentiâ, & ſummo eius Dominio, quid te magnificè dicis poſſe ſentire, ſi non æquè magnificas in aduerſis, atque in proſperis, cùm in eo præcipuè ſit ſummum & abſolutum Dominium, quod pro ſuprema ſua poteſtate poſſit Deus de vnoquoque homine ad nutum & voluntatem ſuam ſic diſponere, vt quidquid tandem aduerſitatis inde homini accidat, non poſſit homo dicere, *Cur ita facis?* Tu ergo qui hanc Poteſtatem non magnificas in aduerſis, quid magnificè tandem de hac diuina poteſtate ſentis? quid de Iuſtitia? quid de Sapientia? quid de aliis Attributis, quæ in malis inferendis non minùs relucent, quàm in bonis? quomodo magnificè de iis ſenties, cùm non eſſent magnifica, ſi tantùm in bonis eſſent, & non in malis? *Iob 9.*

Audi S. Auguſtinum, *Tanta quippe eſt Omnipotens eius Bonitas, vt etiam de malis poſſit facere bona, ſiue ignoſcendo, ſiue ſanando, ſiue ad vtilitatem piorum coaptando, atque vertendo, ſiue etiam iuſtiſſimè vindicando: Omnia namque iſta bona ſunt, & Deo bono atque omnipotenti digniſſima, nec tamen fiunt niſi de malis.* Et rurſum alibi. *Qui creauit omnia valde bona, & mala ex bonis oritura eſſe præſciuit, ſciuit magis ad ſuam potentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere.* *L. de Corr. c. 6. Idem de corrept. & grat.*

Digitized by Google

Hoc eſt magnificè ſentire de Attributis; & à contrario, qui non ea in malis ita magnificat, de his non ſentit magnificè, ſed malignè, impiè, iniurioſè. *Tres ille habet ſententias*, inquit idem ſanctus Auguſtinus, *aut non eſt Deus, ſicut dixit impius, cui diſplicet quidquid illi accidit præter voluntatem: aut iniuſtus eſt Deus, cui iſta placent, & qui hæc facit: aut non gubernat Deus res humanas, nec cura eſt illi de omnibus*; Nonne tremis ad hæc verba?

Idem in Pſ. 31.

III. PVNCTVM.

SI *non ergo ſemper, numquam magnificas Deum.* Nam niſi magnificè de Deo ſentias, numquam Deum magnificas; non potes autem dici de illo ſentire magnificè, ſi non ſemper & in aduerſis æquè ac proſperis magnificas, quia non minùs tùm verè eſt magnificus & magnificandus, quàm in proſperis quibuſuis euentibus. *Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo. DICANT ſemper, magnificetur Dominus. SEMPER, magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem.* Non putabant illi videlicet ſe poſſe vmquam, niſi ſemper magnificarent: tu vero ſecus credes? Tu in proſperis quidem, ſed in aduerſis non æquè Deum laudabis! Deplora hanc impietatem, & vt deinceps caueas, diſce quod ait ſanctus Auguſtinus. *Breue magiſterium, vt ſemper laudes Deum, veroque corde non falſo dicas, Benedicam Dominum in omni tempore. Breue myſterium eſt ſcilicet, vt noueris eum miſericorditer dare, cùm dat; miſericorditer auferre, cùm tollit: nec te credas à Miſericordia derelinqui, quæ tibi aut blanditur dando, ne deficias; aut te corripit exultantem, ne pereas. Siue ergo in eius donis, ſiue in flagellis lauda eum: laus flagellantis, medicina eſt vulneris.*

Pſ. 33. Ib. 34. Phil. 1.

in Pſ. 144.

Sic quondam Rex ille potentiſſimus qui aiebat: *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico & glorifico regem Cæli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare:* Quaſi diceret, æquè in aduerſis ac proſperis magnificandus eſt, quia æque in iſtis magnus eſt & omni dignus magnificentia. Sic Darius eius ſucceſſor decreto propterea facto, *vt in vniuerſo imperio & regno, tremiſcant & paueant Deum Danielis. Ipſe eſt enim Deus vnicus, & æternus in ſæcula.*

Ibid. 6.

Digitized by Google

DOMINICA V.
POST EPIPHANIAM,
NISI SIT SEPTVAGESIMA.

DE ZIZANIIS IN MEDIO TRITICI SEMINATIS, QVAE CHRISTVS IPSE DOMINVS DECLARAVIT ESSE MALOS HIC VIVENTES INTER BONOS.

Cum dormirent homines, venit Inimicus, & ſuperſeminauit Zizania, in medio tritici. Matth. 13.

VERITAS PRACTICA.

Sicut non ſunt amanda vitia, propter amicos homines: ſic non ſunt odio habendi homines, propter eorum vitia.

RATIO EST, Quia idcirco non ſunt amanda vitia propter amicos homines, ne affectum noſtrum præferamus Deo qui vetat vitia.

Sed ſi odio haberemus homines propter eorum vitia, ſic affectum noſtrum preferremus Deo, qui vetat illud odium.

Ergo nec ſunt amanda vitia propter amicos homines, nec ſunt

Digitized by Google

vlli odio habendi homines, propter eorum vitia. Quod tamen in praxi eſt rarum.

I. PVNCTVM.

SIMILE factum eſt Regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Vide quod reliquum eſt parabolæ, & quam Chriſtus ipſe Dominus explicationem affert, eodem Capite, vbi hæc inter alia; *Bonum ſemen hi ſunt filij regni, Zizania autem filij ſunt nequam.* Hinc porro eſt eruta Veritas multùm practica, *Vt neque ſint amanda vitia propter homines vitioſos quos diligimus, neque ſint odio habendi homines propter eorum vitia quæ deteſtamur.* Hoc enim ſæpe accidit bonis, qui inter malos verſantur, vt vel hos oderint, ſi non amant eorum vitia: vel ſi hos amant, non fugiant eorum vitia, ſed foueant, & quodammodo colant ac ament: Quod vtrumque valde damnoſum eſt, & ex æquo cauendum propter eandem omnino rationem.

Nam quid eſt quod non ſint amanda vitia propter amicos homines? Hoc primò eſt expendendum, quod ſit facilius intellectu, vnde aliud patefiet apertiùs. Quid autem illud eſt, niſi quod apertè vetentur à Deo vitia, quæ ſi amaremus propter homines quos amamus, tunc ipſos homines affectumque noſtrum manifeſtè præferremus Deo, quod planè nefas eſt, & ipſo quod amaremus vitio vitioſius eſt aliquid, propter contemptum Dei tanto
1. Reg. 2. hîc expreſſiùs creaturæ poſthabiti, quantò expreſſiùs propter creaturam offenderetur. *Magis honoraſti filios tuos quam me!* ô grauiſſima quæ à Deo fieri poteſt expoſtulatio!

Math 5. & 18. Hic erat oculus eruendus, hæc abſcindenda manus, & pes truncandus, ne ſcandalo nobis eſſent, vt aptè ad rem noſtram interpretatur S. Hieronymus. *Si quis*, inquit, *ita eſt tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, & eſt vtilis atque ſolicitus: ſcandalum autem tibi facit, & propter diſſonantiam morum te pertrahit in gehennam; melius eſt, vt & propinquitate eius & emolumentis carnalibus careas, quàm dum vis lucrifacere cognatos & neceſſarios, cauſam habeas rui-*
Iſ. 46. *narum. CVI aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem?* Expende quantis vtitur verbis idem ſignificantibus, vt rem magis exaggeret, & probrum inde reſiliens magis te confundat & acuat.

II. PVNCTVM.

SED *ſi odio haberemus homines propter eorum vitia, ſic affectum noſtrum præferremus Deo qui vetat illud odium.*

NON oderis, inquit in Leuitico, *fratrem tuum in corde tuo*, id eſt quemlibet proximum, etiam aduerſarium & inimicum. Vnde & in Exodo expreſsè habetur; *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te, iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* Quamobrem quod dixit Chriſtus in Euangelio, *audiſtis quia dictum eſt, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum:* non erat hoc dictum quaſi ex lege, neque hoc vllibi ſcriptum eſt, ſed falsò additum à Scribis & Phariſæis, qui per proximum diligendum malè intelligebant amicum, vnde & inſerebant, odio habendum eſſe inimicum; contra quos ipſe Dominus: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Et Apoſtolus; *Si eſurierit inimicus, ciba illum: ſitit, potum da illi.* Ex quibus tam manifeſtè patet vetari odium proximi, quàm eius vitia; cúmque illud odium, cuiuſcumque perſonæ ſit, non minus ſit paſſio & affectio cordis, quàm amor proximi vitioſus, nonne hinc euidens eſt quod ſi quem oderis propter vitia, ſic affectum tuum præferas Deo, ſicut ſi hominis amares vitia propter amicum hominem? Leuit. 19. Exodi. 23. Matth. 5. Rom. 12.

Sic vniuerſim dictum eſt à Sapiente; *Ne accipias perſonam, vt delinquas:* Id eſt, ne ratione cuiuſquam perſonæ Deum offendas, ſiue id fiat per exceſſum ſeu defectum, ſiue per amorem nimium, aut per odium, nihil refert, cùm nullo modo ſit delinquendum propter perſonam aliquam. Eccleſi. 41

Atque hinc in hodierna parabola, Paterfamilias ſuorum correxit impetum, qui zizania volebant ex agro euellere. *Ne fortè*, inquit, *colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum; ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem:* Quaſi diceret, volo ſimul malos cum bonis viuere, Nam, vt ait ſanctus Auguſtinus, *boni, dum ſunt infirmi, opus habent malorum commixtione, vt per eos exerceantur, aut eorum comparatione inuitentur ad melius.* Et rurſum. *Multi primò zizania ſunt, poſtea fiunt triticum, qui niſi patienter tolerentur dum mali ſunt, non fient triticum.* Itemque alibi L. de qq. Euang. In Pſ. 54.

& eundem ſe explicantem; *Perfecto odio oderam illos*, id eſt, licito; & bene compoſito, non odiendo perſonam ſed vitia; ſic enim licet & opportet eos odiſſe, imo & patrem ac matrem & quoſcumque alios, qui ſe ſaluti noſtræ opponerent, vt eſt in Euangelio. Sed an tuum ita ſit perfectum odium diligenter expende; Multi enim hîc decipiuntur, qui zelum putant, & bene compoſitum in improbos odium, cùm tamen merum ſit vitium. Rectè enim Sapiens: *Abſcondunt odium labia mendacia*, id eſt, obtegunt & pio quodam motiuo prætexunt, vt nullum appareat odium vel non vitioſum; Et falluntur, mentiuntur, merum eſt odium: quidquid ore dicant, ita in corde eſt.

Pſ. 138. *Matth. 10.* *Luc. 14.* *Prou. 10.*

Sic amor vitij in amicis non ſæpe putatur vitium, quia nolles fortè idem omnino perpetrare, nolles ſic iurare, ſic detrahere, ſic mentiri: ſed quia Vitioſo nimis arrides, non ſatis eum arguis & prohibes, tibi eius imputatur vitium, & eadem te pœna manet. *Digni ſunt morte*, inquit Apoſtolus, *non ſolùm qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus*; Vnde & idem: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite*. Hoc eſt amare vitium, ſi non odiſti vt debes; nec odiſti vt debes, ſi non arguis, quantùm potes iuxta illud Scripturæ: *Argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum*. Sic planè hoc eſt odiſſe proximum, ſi non amas vt debes: non amas autem vt debes, ſi debita Charitati negas officia. Vide quæ in particulari, & quantùm in his deficias, ac ſuſpira cum Dauide; *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo*. Tremenda certè verba.

Rom. 1. *Epheſ. 5.* *Leuit. 9.* *Pſ. 18.*

AD EADEM EVANGELII VERBA.

Cum dormirent homines, venit inimicus. Matth. 13.

Contra excuſantes imprudentiam ſeu defectum aduertentiæ.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Ne putes te benè ſemper excuſatum, cum dicis: Non putabam.

RATIO declaratur fuſius in tertia parte, feria tertia, infra hebdomadam Octauam poſt Pentecoſten.

Cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet tunc apparuerunt & Zizania.

Contra eos qui vel condemnant malos quibuſcum viuunt, vel eos imitantur.

VERITAS PRACTICA.

Nec propter alios à bono te excuſabis: nec quemquam alium propter te accuſabis.

HABETVR fuſe declarata in tertia parte, Feria ſecunda, infra hebdomadam decimam quartam poſt Pentecoſten.

Accedentes autem ſerui Patrisfamilias dixerunt ei: Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania.

Contra imperfectiones & negligentias noſtris bonis operibus intermixtas.

VERITAS PRACTICA.

Maledictus qui facit opus Dei negligenter, ſeu fraudulenter.

Digitized by Google

Vide in quarta parte Feriam ſecundam, & ſequentes infra hebdomadam vigeſimam ſeptimam poſt Pentecoſten.

Videri etiam poſſunt quæ hac proximè ſequenti hebdomada referuntur, de beneficio vocationis contra ingratos, ſeu contra ſe male gerentes in officio.

Inimicus homo hoc fecit.

VERITAS PRACTICA.

Si Tentatorem permiſeris ingredi, non ſe permittet egredi. Facilius ejicitur quàm excluditur.

In ſecunda parte, Dominica prima Quadrageſimæ.

DE EODEM, ALIA VERITAS.

Quod monet Sapiens: Eris eruditus in omnibus, aut eris contra dæmonem rudis in omnibus.

In quarta parte, Feria ſexta infra hebdomadam decimam quintam.

DE EODEM, ALIA VERITAS.

Qui non obſeruat furem, obſeruatur à fure & capitur.

In quarta parte, Feria tertia & ſequentibus infra hebdomadam vigeſimam octauam.

Serui autem dixerunt ei: vis imus & colligimus ea? Et ait, Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.

Contra zelum indiſcretum.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Scientia ſine zelo, arma ſine milite: zelus ſine ſcientia, miles ſine armis.

In ſecunda parte, Feria ſecunda infra hebdomadam Quinquageſima.

DE EODEM, ALIA VERITAS.

Non in Commotione Dominus, & non in igne Dominus.

In quarta parte, Sabbato infra hebdomadam decimam ſextam.

HAC HEBDOMADE, occurrit Conſideranda Vocatio Sancti Matthæi Apoſtoli, ex cuius hiſtoria ſex eruuntur Veritates in ſingulos dies proponendæ, quæ ſpectant ad ſingularem vniuſcuiuſque vocationis ſtatum, vt in eo ſuæ ſaluti & perfectioni commode vacet; Quod eſt maximopere intelligendum.

FERIA SECVNDA.

DE SANCTI MATTHÆI, NOSTRAQVE VOCATIONE, IN QVA EST SALVTIS NOSTRAE SVMMA.

Cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, ſequere me: & ſurgens ſequutus eſt eum. Matth. 9.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Salutis animæ nulla eſt certior ſalutis certitudo, quàm in certo vocationis gradu attingendo.

RATIO EST, *Quia nulla eſt certior ſalutis certitudo, quàm in mediis ad eam comparandam à Deo ordinatis fideliter obſeruandis.*

Sed nullibi media illa fideliùs obſeruantur, quàm in certo vocationis gradu attingendo.

Ergo ſalutis animæ nulla eſt certior certitudo quam in illo certo gradu. Sic proinde quanta eſt nobis cura certificandæ ſalutis animæ, tanta eſſe debet huius certi gradus attingendi.

I. PVNCTVM.

QVAM ſit admirabilis, quàm eximia, & prope ſingularis Vocatio ſancti Matthæi, tu attentius expende ex omnibus circumſtantiis. Vir erat addictiſſimus lucro ſeu pecuniis vndequáque congerendis, & ex illo genere hominum qui Publicani dicebantur, erántque odioſi omnibus, & præſertim Iudæis. Quid Chriſto Domino, cum tali Viro: aut quid iſti viro cum Chriſto Domino? Quàm parùm idoneus Euangelio videbatur! Quàm multi alij cenſerentur aptiores! *Sed Domini eſt aſſumptio & vocatio noſtra.* Pſ. 88. *VOCAT ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtruat, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* 1. Cor 1.

Hunc ergo Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio, & vocatum ad ſe ſequendum, tantâ virtute pertraxit, vt illico ſurgens ſequutus eum fuerit: Et paulo poſt annumeratus inter duodecim Apoſtolos, ac primus etiam Euangeliſta factus eſt. O bonitatem & potentiam vocantis Chriſti! O docilitatem & fœlicitatem vocati Apoſtoli!

Sic nos omnes variis modis ad ſe Chriſtus vocat, ſed non ſic omnes vocantes audiunt & ſequuntur. *Vocaui & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*, quò ſcilicet directè & ſin- Pr. 1.

Digitized by Google

gulariter eum vocabam, quò extendebam manum meam, vt demonſtrarem ſtatum vitæ deſtinatæ, & certum in eo viuendi gradum & modum, quo mihi deſeruiret & ſuæ ſaluti conſuleret. Pauci ſunt omnino qui eum vitæ degendæ ſtatum, quem Chriſtus vellet, ſequantur: & ex illis paucis pauciſſimi & rariſſimi, qui in eo ſtatu præfixum ſibi gradum attendant, & teneant: & tamen in eo pertingendo ſumma eſt ſalutis noſtræ, ſummum periculum ſi defecerimus, ſumma expectatio, & certior certitudo ſi eò peruenerimus, aut peruenire contendamus.

Hæc eſt Veritas modò expendenda, quæ quanti momenti ſit, iam ſatis patet & patebit clariùs ex allata ratione, quæ ſic habet. Nulla eſt certior ſalutis certitudo, quàm in illis mediis fideliter obſeruandis, quæ Deus vnicuique ordinauit ad eam comparandam. *Notandum illud vnicuique*, quia videlicet præter illa communia quæ dantur omnibus, ſunt Gratiæ quædam ſingulares, & particularia dona quæ à Deo vnicuique conferuntur in quocumque ſit vitæ ſtatu, vt pertingat ad illum ſingularem gloriæ gradum, cui eſt prædeſtinatus. Certum eſt enim quod ait Apoſto-
1. Cor. 15. lus, *Sicut eſt alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum; ſicut etiam ſtella differt à ſtella in claritate*, ſic & beati omnes in cœlo ſunt diuerſa beatitudinis gloria differentes; *Vnuſquiſque*, inquit, *in ſuo ordine.* Et quia gratia eſt ſemen gloriæ, & apta præparatio ad gradum beatitudinis cuique deſtinatum, idcirco debet ipſa gratia & quæ illam comitantur Salutis media eſſe particularia & ſingularia, vt ſicut in cœlo per gloriam vnuſquiſque habet ſuum ordinem; ita in terra ſuum habeat per gratiam, vt ſint omnia proportionata & ſibi correſpondentia. Sic
1. Cor. 7. apertè idem Apoſtolus: *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.* Et ſanctus Leo, *habent ſinguli vocatorum ordinem ſuum.*

(Ibid. — Ser. 6. in Nat. Dom. — marginal notes)

Quibus ita declaratis, quid euidentiùs, quàm quod habet propoſitio, nullam poſſe haberi certitudinem ſalutis comparandæ certiorem, quàm ſi certis illis mediis, & particularibus gratiis nobis ordinatis fideliter ſtemus, & conſtanter inhæreamus, vt neque plus vmquam, aut minùs attentemus, ſed hoc vnum quod velit Deus, velimus, & quod nolit nolimus. Hoc eſt illum ſequi, hoc eſt illi adhærere, hoc eſt poſſe dicere quod
Iob 3. de ſe Iob affirmabat; *veſtigia eius ſecutus eſt pes meus: viam eius cu-*

Digitized by Google

ſtodiui, & non declinaui ex ea; à mandatis labiorum eius non receſſi, & in ſinu meo abſcondi verba oris eius. Quo quid certius? quid ſecurius? Vt è contra, ſi quis inde deflectat: *væ his qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cùm inſpicere cœperit Dominus?* Quidquid damni, quidquid periculi accidat, hoc vnum reſpondetur: *Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tempore quo ducebat te per viam?* Expende illud & aplica tibi hoc *Te* ſingulare. Eccle ſ. 2. Ier. 2.

II. PVNCTVM.

SED *nullibi media illa fideliùs obſeruantur, quam in certo vocanis gradu attingendo.*

Dicitur certus Vocationis gradus, Munus quoddam particulare ſeu officium & miniſterium ad quod quis aptus & applicatus eſt in ſuo vocationis ſtatu; *Sic in Apoſtolico ſtatu diuerſi ſunt gradus Petri & Pauli, alius eſt gradus Andreæ, alius Iacobi & Ioannis*, vt præclarè ſanctus Gregorius Nazianzenus, vbi poſt multa de hac diuerſitate in rebus maioris momenti, tum etiam in minoribus ſic reperiri demonſtrat. *Reliqua*, inquit, *moderatio, ordiniſque diſciplina quanta? aliud Petrus interrogat, aliud Philippus, aliud Iudas, alius Thomas, aliud alius quiſpiam. Neque aut idem omnes, aut omnia vnus, ſed viciſſim ac ſigillatim.* Sic ſanctus Auguſtinus explicans fuſiùs quod refert Apoſtolus de diuerſo membrorum officio in toto corpore. *Videtis*, inquit, *quid faciat anima in corpore, omnia membra vegetat; per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linquam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat, omnibus ſimul adeſt membris vt viuant, vitam dat omnibus, officia ſingulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua, nec loquitur auris & oculus: officia diuerſa ſunt. Sic eſt Eccleſia Dei, in aliis hoc, in aliis illud, ſinguli propria operantur.* Orat. 26. 1. Cor. 12. Ser. 186. de temp.

Ex quibus ſancti Patris verbis non modò conſtat, quid ſit certus ſingulorum gradus, nempe illud proprium & particulare quod habent ſinguli vt operentur: ſed ex his etiam euidenter patet, quid ſit attingi certum illum gradum, quando quis ſcilicet rectè & laudabiliter ſuo illo proprio munere fungitur. Vnde Apoſtolus: *Dicite Archippo; Vide miniſterium quod acce-* Coloſſ. 4.

Digitized by Google

piſti in Domino, vt illud impleas.

Iam verò quod in illo attingendo gradu ſeu adimplendo miniſterio, tam fideliter obſeruentur illa ſalutis noſtræ media de quibus dictum eſt, vt nullibi fideliùs ac certiùs teneantur, patet ex eo quòd incluſa ſint & intexta quodammodo illi certo gradui, adeo vt prope vnum & idem eſſe videantur iſta duo, *Tenere proprium ſalutis medium*; &, *Rectè defungi ſuo munere*: cùm vnum in alio includatur; diuerſa tamen ſunt, cùm poſſis habere illa media, certumque illum gradum obtinere in quo te exerceas; nec tamen te in illo exerceas, aut niſi perfunctiorè & negligenter, ſicque non attingas gradum, nec media rite obſerues.

Atque idcirco expreſsè dicitur, media illa obſeruari non in gradu ſimpliciter, ſed in gradu attingendo, id eſt in fideli eius adminiſtratione, quod eſt vocationi propriæ reſpondere, quod
1 Cor. 2. toties ab Apoſtolo commendatur: ***Videte vocationem veſtram.***
Ibid. 7. *VNICVIQVE ſicut diuiſit Dominus: vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo*; VNVSQVISQVE *in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*: Ac rurſum etiam paulo pòſt & particulariùs. ***Vnuſquiſque in quo vocatus eſt, in hoc maneat apud Deum.*** Quaſi diceret, in hoc vno præ cæteris peragendo conſtanter hæreat, quia cùm ad illud præcipuè ſit à Deo vocatus, nihil aliud poteſt eſſe tam certum, in quo ſecundum Deum ſe occupet, quàm in illo certo Vocationis ſuæ gradu. Non enim vocat & deſerit, ſed quo ipſe particulariter & determinatè vocat, illic particulares & determinatas affigit gratias, auxilia & media quibus qui vocatur, tàm certò ſaluetur, ſi fideliter & conſtanſter iis vtatur, quàm certò periclitatur de ſalute, ſi dum aliud agit hoc prætermittit.

Epheſ. 4. Hoc vnum denique quod in vinculis poſitus, quod poſtremum, quod ſummum omnium ſuis inculcat Apoſtolus; ***Obſecro vos, ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua***
In Conſt. c. 2. ***vocati eſtis, cum omni humilitate manſuetudine & patientia.*** Quod & ſanctus Baſilius egregiè: ***Quià Deo***, inquit, ***ſe optat iuuari, is numquam deſerat quod ſe addecet officicium ſuum***; ***qui autem hoc facit, diuino auxilio numquam deſtituitur***, Id eſt, illo diuino auxilio, quo quis particulatim indiget ad ſalutem, quod tam certò coniunctum eſt cum officio rectè adminiſtrato, quàm quis certo

certo illud rectè adminiſtrabit. Expende ſingula cum affectu.

III. PVNCTVM.

SALVTIS ergo animæ nulla eſt certior certitudo, quàm in certo Vocationis gradu attingendo: quia nullibi certiùs obſeruantur certa media, quæ cuique Deus ad ſalutem comparandam ordinauit; neque ad ſalutem tutior & ſecurior vlla eſſe via poteſt, quàm ſi hæc ſalutis media diligenter obſerues; *Et retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam.* Securè loquitur Dauid, quia ſcilicet, *cuſtodiui vias Domini,* per quas ille me ducebat. Tùm quod omnibus ad hunc finem proſit, ſic paulo pòſt Deo confitetur; *Cum Sancto, Sanctus eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Quaſi diceret talem ſe præſtat Deus hominibus, quales & ipſi ſe Deo. Si fideles ſint ſuæ vocationi, ſuo muneri, ſuo ritè defungendo miniſterio, ſic erit Deus ipſis fidelis; Sin contra ſe peruertant, & aliud quàm ab ipſis vellet Deus, quantumuis pium & ſanctum videretur, ipſi velint: Deum nolentem & repugnantem ſentient. Pſ. 17.

Quod & præclarè ſanctus Bernardus confirmat ad illa verba Apoſtoli, *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iuſtificauit, & glorificauit;* Ibi enim obſeruans Vocationem poni velut medium pontem, quò tranſitur à Prædeſtinatione ad Iuſtificationem & Glorificationem, id eſt, ad ſalutem; ſic pergit; *Hæc via bona, nihil ſuper eius fine timendum, non tibi ſint huius viæ ſuſpecta nouiſſima, perge ſecurus, tantò viuidiùs, quantò certiùs ea iam propinquare videntur, nempe TENES MEDIA, quomodo non nouiſſima propinquarent?* Rom. 8. Serm. 7. in Pſ. qui habitat.

Quanti vero ſit periculi ab hac tantiſper viâ declinare, ſic præclare ſanctus Gregorius ad illa verba libri Iob, *Quis poſuit menſuras eius ſi noſti, vel quis tetendit ſuper eam lineam? CVM miro,* inquit, *conſilio Author & diſpoſitor noſter huic illa largitur, quæ alij negat: alij hæc denegat, quæ iſti largitur; menſuras ſibi poſitas egredi nititur, quiſquis poſſe pluſquàm acceperit, conatur. In præcipitio pedem porrigit; qui menſurarum ſuarum limitem non attendit; & plerumque amittit & quod poterat, qui audacter ea, ad quæ pertingere non valet, arripere feſtinat. Nam & membrorum noſtrorum tunc benè miniſteriis vtimur, cum ſua eis officia diſtinctè ſeruamus.* Iob. 28. L. 28. mor. c. 11.

& eundem ſe explicantem; *Perfecto odio oderam illos*, id eſt, licito, & bene compoſito, non odiendo perſonam ſed vitia; ſic enim licet & opportet eos odiſſe, imo & patrem ac matrem & quoſcumque alios, qui ſe ſaluti noſtræ opponerent, vt eſt in Euangelio. Sed an tuum ita ſit perfectum odium diligenter expende; Multi enim hîc decipiuntur, qui zelum putant, & bene compoſitum in improbos odium, cùm tamen merum ſit vitium. Rectè enim Sapiens: *Abſcondunt odium labia mendacia*, id eſt, obtegunt & pio quodam motiuo prætexunt, vt nullum appareat odium vel non vitioſum; Et falluntur, mentiuntur, merum eſt odium: quidquid ore dicant, ita in corde eſt.

Pſ. 138. *Matth. 10.* *Luc. 14.* *Prou. 10.*

Sic amor vitij in amicis non ſæpe putatur vitium, quia nolles fortè idem omnino perpetrare, nolles ſic iurare, ſic detrahere, ſic mentiri: ſed quia Vitioſo nimis arrides, non ſatis eum arguis & prohibes, tibi eius imputatur vitium, & eadem te pœna manet. *Digni ſunt morte*, inquit Apoſtolus, *non ſolùm qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus*; Vnde & idem: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite*. Hoc eſt amare vitium, ſi non odiſti vt debes; nec odiſti vt debes, ſi non arguis, quantùm potes iuxta illud Scripturæ: *Argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum*. Sic planè hoc eſt odiſſe proximum, ſi non amas vt debes: non amas autem vt debes, ſi debita Charitati negas officia. Vide quæ in particulari, & quantùm in his deficias, ac ſuſpira cum Dauide; *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo*. Tremenda certè verba.

Rom. 1. *Epheſ. 5.* *Leuit. 9.* *Pſ. 18.*

AD EADEM EVANGELII VERBA.

Cum dormirent homines, venit inimicus. Matth. 13.

Contra excuſantes imprudentiam ſeu defectum aduertentiæ.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Ne putes te benè ſemper excuſatum, cum dicis: Non putabam.

RATIO declaratur fuſius in tertia parte, feria tertia, infra hebdomadam Octauam poſt Pentecoſten.

Cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet tunc apparuerunt & Zizania.

Contra eos qui vel condemnant malos quibuſcum viuunt, vel eos imitantur.

VERITAS PRACTICA.

Nec propter alios à bono te excuſabis: nec quemquam alium propter te accuſabis.

HABETVR fuſe declarata in tertia parte, Feria ſecunda, infra hebdomadam decimam quartam poſt Pentecoſten.

Accedentes autem ſerui Patrisfamilias dixerunt ei: Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania.

Contra imperfectiones & negligentias noſtris bonis operibus intermixtas.

VERITAS PRACTICA.

Maledictus qui facit opus Dei negligenter, ſeu fraudulenter.

Digitized by Google

Vide in quarta parte Feriam ſecundam, & ſequentes infra hebdomadam vigeſimam ſeptimam poſt Pentecoſten.

Videri etiam poſſunt quæ hac proximè ſequenti hebdomada referuntur, de beneficio vocationis contra ingratos, ſeu contra ſe male gerentes in officio.

Inimicus homo hoc fecit.

VERITAS PRACTICA.

Si Tentatorem permiſeris ingredi, non ſe permittet egredi. Facilius ejicitur quàm excluditur.

In ſecunda parte, Dominica prima Quadrageſimæ.

DE EODEM, ALIA VERITAS.

Quod monet Sapiens: Eris eruditus in omnibus; aut eris contra dæmonem rudis in omnibus.

In quarta parte, Feria ſexta infra hebdomadam decimam quintam.

DE EODEM, ALIA VERITAS.

Qui non obſeruat furem, obſeruatur à fure & capitur.

In quarta parte, Feria tertia & ſequentibus infra hebdomadam vigeſimam octauam.

Serui autem dixerunt ei: vis imus & colligimus ea? Et ait, Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.

Contra zelum indiſcretum.

VERITAS PRACTICA.

Scientia ſine zelo, arma ſine milite: zelus ſine ſcientia, miles ſine armis.

In ſecunda parte, Feria ſecunda infra hebdomadam Quinquageſima.

DE EODEM, ALIA VERITAS.

Non in Commotione Dominus, & non in igne Dominus.

In quarta parte, Sabbato infra hebdomadam decimam ſextam.

HAC HEBDOMADE, occurrit Conſideranda Vocatio Sancti Matthæi Apoſtoli, ex cuius hiſtoria ſex eruuntur Veritates in ſingulos dies proponendæ, quæ ſpectant ad ſingularem vniuſcuiuſque vocationis ſtatum, vt in eo ſuæ ſaluti & perfectioni commode vacet; Quod eſt maximopere intelligendum.

FERIA SECVNDA.

DE SANCTI MATTHÆI, NOSTRAQVE VOCATIONE, IN QVA EST SALVTIS NOSTRAE SVMMA.

Cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, ſequere me: & ſurgens ſequutus eſt eum. Matth. 9.

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Salutis animæ nulla eſt certior ſalutis certitudo, quàm in certo vocationis gradu attingendo.

RATIO EST, Quia nulla eſt certior ſalutis certitudo, quàm in mediis ad eam comparandam à Deo ordinatis fideliter obſeruandis.

Sed nullibi media illa fideliùs obſeruantur, quàm in certo vocationis gradu attingendo.

Ergo ſalutis animæ nulla eſt certior certitudo quam in illo certo gradu. Sic proinde quanta eſt nobis cura certificandæ ſalutis animæ, tanta eſſe debet huius certi gradus attingendi.

I. PVNCTVM.

QVAM ſit admirabilis, quàm eximia, & prope ſingularis Vocatio ſancti Matthæi, tu attentius expende ex omnibus circumſtantiis. Vir erat addictiſſimus lucro ſeu pecuniis vndequáque congerendis, & ex illo genere hominum qui Publicani dicebantur, erántque odioſi omnibus, & præſertim Iudæis. Quid Chriſto Domino, cum tali Viro: aut quid iſti viro cum Chriſto Domino? Quàm parùm idoneus Euangelio videbatur! Quàm multi alij cenſerentur aptiores! *Sed Domini eſt aſſumptio & vocatio noſtra.* Pſ. 88. *VOCAT ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtruat, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* 1. Cor 1.

Hunc ergo Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio, & vocatum ad ſe ſequendum, tantâ virtute pertraxit, vt illico ſurgens ſequutus eum fuerit: Et paulo poſt annumeratus inter duodecim Apoſtolos, ac primus etiam Euangeliſta factus eſt. O bonitatem & potentiam vocantis Chriſti! O docilitatem & fœlicitatem vocati Apoſtoli!

Sic nos omnes variis modis ad ſe Chriſtus vocat, ſed non ſic omnes vocantes audiunt & ſequuntur. *Vocaui & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*, quò ſcilicet directè & ſin- Pr. 1.

gulariter eum vocabam, quò extendebam manum meam, vt demonſtrarem ſtatum vitæ deſtinatæ, & certum in eo viuendi gradum & modum, quo mihi deſeruiret & ſuæ ſaluti conſuleret. Pauci ſunt omnino qui eum vitæ degendæ ſtatum, quem Chriſtus vellet, ſequantur: & ex illis paucis pauciſſimi & rariſſimi, qui in eo ſtatu præfixum ſibi gradum attendant, & teneant: & tamen in eo pertingendo ſumma eſt ſalutis noſtræ, ſummum periculum ſi defecerimus, ſumma expectatio, & certior certitudo ſi cò peruenerimus, aut peruenire contendamus.

Hæc eſt Veritas modò expendenda, quæ quanti momenti ſit, iam ſatis patet & patebit clariùs ex allata ratione, quæ ſic habet. Nulla eſt certior ſalutis certitudo, quàm in illis mediis fideliter obſeruandis, quæ Deus vnicuique ordinauit ad eam comparandam. *Notandum illud vnicuique*, quia videlicet præter illa communia quæ dantur omnibus, ſunt Gratiæ quædam ſingulares, & particularia dona quæ à Deo vnicuique conferuntur in quocumque ſit vitæ ſtatu, vt pertingat ad illum ſingularem gloriæ gradum, cui eſt prædeſtinatus. Certum eſt enim quod ait Apoſto-

1. Cor. 15. lus, *Sicut eſt alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum; ſicut etiam ſtella differt à ſtella in claritate*, ſic & beati om-

Ibid. nes in cœlo ſunt diuerſa beatitudinis gloria differentes; *Vnuſquiſque*, inquit, *in ſuo ordine.* Et quia gratia eſt ſemen gloriæ, & apta præparatio ad gradum beatitudinis cuique deſtinatum, idcirco debet ipſa gratia & quæ illam comitantur Salutis media eſſe particularia & ſingularia, vt ſicut in cœlo per gloriam vnuſquiſque habet ſuum ordinem; ita in terra ſuum habeat per gratiam, vt ſint omnia proportionata & ſibi correſpondentia. Sic

1. Cor. 7. apertè idem Apoſtolus: *Vnuſquiſque proprium donum habet ex*

Ser. 6. in Nat. Dom. *Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.* Et ſanctus Leo, *habent ſinguli vocatorum ordinem ſuum.*

Quibus ita declaratis, quid euidentius, quàm quod habet propoſitio, nullam poſſe haberi certitudinem ſalutis comparandæ certiorem, quàm ſi certis illis mediis, & particularibus gratiis nobis ordinatis fideliter ſtemus, & conſtanter inhæreamus, vt neque plus vmquam, aut minùs attentemus, ſed hoc vnum quod velit Deus, velimus, & quod nolit nolimus. Hoc eſt illum ſequi, hoc eſt illi adhærere, hoc eſt poſſe dicere quod

Iob 23. de ſe Iob affirmabat; *veſtigia eius ſecutus eſt pes meus: viam eius cu-*

Digitized by Google

ſtodiui, & non declinaui ex ea; à mandatis labiorum eius non receſſi, & in ſinu meo abſcondi verba oris eius. Quo quid certius? quid ſecurius? Vt è contra, ſi quis inde deflectat: *væ his qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cùm inſpicere cœperit Dominus?* Quidquid damni, quidquid periculi accidat, hoc vnum reſpondetur: *Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tempore quo ducebat te per viam?* Expende illud & aplica tibi hoc *Te* ſingulare. Eccle ſi 2. Ier. 2.

II. PVNCTVM.

S*ED nullibi media illa fideliùs obſeruantur, quam in certo vocanis gradu attingendo.*

Dicitur certus Vocationis gradus, Munus quoddam particulare ſeu officium & miniſterium ad quod quis aptus & applicatus eſt in ſuo vocationis ſtatu; *Sic in Apoſtolico ſtatu diuerſi ſunt gradus Petri & Pauli, alius eſt gradus Andreæ, alius Iacobi & Ioannis,* vt præclarè ſanctus Gregorius Nazianzenus, vbi poſt multa de hac diuerſitate in rebus maioris momenti, tum etiam in minoribus ſic reperiri demonſtrat. *Reliqua*, inquit, *moderatio, ordiniſque diſciplina quanta? aliud Petrus interrogat, aliud Philippus, aliud Iudas, alius Thomas, aliud alius quiſpiam. Neque aut idem omnes, aut omnia vnus, ſed viciſſim ac ſigillatim.* Sic ſanctus Auguſtinus explicans fuſiùs quod refert Apoſtolus de diuerſo membrorum officio in toto corpore. *Videtis*, inquit, *quid faciat anima in corpore, omnia membra vegetat; per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linquam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat, omnibus ſimul adeſt membris vt viuant, vitam dat omnibus, officia ſingulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua, nec loquitur auris & oculus: officia diuerſa ſunt. Sic eſt Eccleſia Dei, in aliis hoc, in aliis illud, ſinguli propria operantur.* Orat. 26. 1. Cor. 12. Ser. 186. de temp.

Ex quibus ſancti Patris verbis non modò conſtat, quid ſit certus ſingulorum gradus, nempe illud proprium & particulare quod habent ſinguli vt operentur: ſed ex his etiam euidenter patet, quid ſit attingi certum illum gradum, quando quis ſcilicet rectè & laudabiliter ſuo illo proprio munere fungitur. Vnde Apoſtolus: *Dicite Archippo: Vide miniſterium quod acce-* Coloſſ. 4.

certo illud rectè adminiſtrabit. Expende ſingula cum affectu.

III. PVNCTVM.

SALVTIS ergo animæ nulla eſt certior certitudo, quàm in certo Vocationis gradu attingendo: quia nullibi certiùs obſeruantur certa media, quæ cuique Deus ad ſalutem comparandam ordinauit; neque ad ſalutem tutior & ſecurior vlla eſſe via poteſt, quàm ſi hæc ſalutis media diligenter obſerues; *Et retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam.* Securè loquitur Dauid, quia ſcilicet, *cuſtodiui vias Domini,* per quas ille me ducebat. Tùm quod omnibus ad hunc finem proſit, ſic paulo pòſt Deo confitetur; *Cum Sancto, Sanctus eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Quaſi diceret talem ſe præſtat Deus hominibus, quales & ipſi ſe Deo. Si fideles ſint ſuæ vocationi, ſuo muneri, ſuo ritè defungendo miniſterio, ſic erit Deus ipſis fidelis; Sin contra ſe peruertant, & aliud quàm ab ipſis vellet Deus, quantumuis pium & ſanctum videretur, ipſi velint: Deum nolentem & repugnantem ſentient. *Pſ. 17.*

Quod & præclarè ſanctus Bernardus confirmat ad illa verba Apoſtoli, *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iuſtificauit, & glorificauit;* Ibi enim obſeruans Vocationem poni velut medium pontem, quò tranſitur à Prædeſtinatione ad Iuſtificationem & Glorificationem, id eſt, ad ſalutem; ſic pergit; *Hæc via bona, nihil ſuper eius fine timendum, non tibi ſint huius viæ ſuſpecta nouiſſima, perge ſecurus, tantò viuidiùs, quantò certiùs ea iam propinquare videntur, nempe TENES MEDIA, quomodo non nouiſſima propinquarent?* *Rom. 8.* *Serm. 7. in Pſ. qui habitat.*

Quanti vero ſit periculi ab hac tantiſper viâ declinare, ſic præclare ſanctus Gregorius ad illa verba libri Iob, *Quis poſuit menſuras eius ſi noſti, vel quis tetendit ſuper eam lineam? CVM miro,* inquit, *conſilio Author & diſpoſitor noſter huic illa largitur, quæ alij negat: alij hæc denegat, quæ iſti largitur; menſuras ſibi poſitas egredi nititur, quiſquis poſſe pluſquàm acceperit, conatur. In præcipitio pedem porrigit; qui menſurarum ſuarum limitem non attendit; & plerumque amittit & quod poterat, qui audacter ea, ad quæ pertingere non valet, arripere feſtinat. Nam & membrorum noſtrorum tunc benè miniſteriis vtimur, cum ſua eis officia diſtinctè ſeruamus.* *Iob. 38.* *L. 28 mor. c. 11.*

Videri poſſunt quæ antè fuſiùs, & pòſt aptiſſimè proſequitur, vnde ad praxim maximè permoueri debes cum Gratia Spiritus, ad officium qualecumque tuum religioſiùs obeundum. Sic enim vtilitas inde emanans proponitur, vt ſi deſis, detrimenta certiſſima, & horrenda ſequantur pericula. Contentus eſto tuâ ſorte, caue vltra quàm velit Deus, aſſurgas. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Quid ad te de illo, & illo. *Si illum volo manere, donec veniam: quid ad te, tu me ſequere.* Tu officium tuum cura & exequere. Ne ſis ex illis de quibus dicitur: Sat rectè faciunt omnia, præter illud quod debent facere.

Eccleſ. 3. *Ioan. 21.*

Vide Dominicam ſecundam Aduentus.

FERIA TERTIA.

DE GRATITVDINE ANIMI PRO BENEFICIO VOCATIONIS.

Et fecit ei conuiuium magnum Leui, in domo ſua. Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Gratitudo animi nulla formari poteſt digna beneficio vocationis, niſi ſe animus dignè conformet vocationi.

RATIO EST, Quia nulla digna formari poteſt animi gratitudo pro quouis accepto beneficio, ſi non eſt gratus & acceptus Benefactori animus.

Sed niſi animus recolentis beneficium Vocationis, ſe dignè conformet vocationi, non eſt Deo Benefactori ſuo gratus & acceptus.

Digitized by Google

Ergo nec ab eo vlla formari poteſt animi gratitudo digna beneficio Vocationis, niſi ſe animus dignè conformet vocationi; Quodquidem tam eſt neceſſarium, quàm neceſſe omnino eſt, nos non eſſe ingratos Deo.

I. PVNCTVM.

SVNT quidem omnes Gratiæ & diuina Beneficia grato animo recolenda; ſed Beneficium vocationis quod alia omnia continet, præcipuam meretur gratitudinem. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate.* Epheſ. 1.

Sic itaque ſanctus Matthæus, qui & alio nomine Leui dicebatur, gratum ſe exhibere voluit Chriſto Domino, à quo vocatus fuerat ad ſe ſequendum, dum antequam renuntiaret omnibus ſuis, magnificum domi conuiuium iuſſit apparari, quò palam teſtaretur non modò ipſi Domino, ſed & omnibus ſuis Conciuibus, & præcipuè Publicanis, quos idcirco ad prandium inuitauit, ſe beneficij maximi loco ducere, ſic omnibus relictis pauperem Chriſtum ſequi.

Sed longè gratiorem ſe ipſe præbuit, cùm ſe dignum Apoſtolum & dignum vocatione ſua ſe præſtitit; In hoc enim poſita eſt vera Gratitudo, vt beneficio rectè vtaris ad mentem & intentionem Benefactoris; Quod adeo verum eſt in re præſenti quam tractamus, vt quidquid aliud dicatur aut fiat ad gratitudinem, *Gratitudo animi nulla formari poßit digna beneficio vocationis, niſi ſe animus dignè conformet vocationi.* Hæc veritas præcedentem valde confirmabit, & diſponet ad ſequentem. Ratio autem eſt facilis, quantùm præcipuè ſpectat ad hanc primam eius partem qua dicitur nullam eſſe animi gratitudinem pro accepto beneficio, niſi animus recolentis beneficium ſit Benefactori gratus & acceptus.

Nam ſi non eſt gratus eius animus, quomodo is erit gratus? Nonne hæc inter ſe ita pugnant, ſicut eſſe gratum & ingratum? quomodo vero poterit ingratus gratitudinem exhibere? *Num-* Iacob. 3.

Digitized by Google

quid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? inquit ſanctus Iacobus. Poſſet quidem eſſe ficta & ſimulata quædam gratitudo, ſed hæc non eſſet animi, qualem hîc volumus; Vt ſit autem animi gratitudo, debet omnino animus eſſe gratus, nã ipſe eſt animus qui exhibetur, cũ gratitudo animi exhibetur; vnde ſi non eſſet gratus animus, tam verè nulla eſſet gratitudo animi, quàm ſi nulla omnino eſſet gratitudo. *Numquid poteſt*
Ibid. *Fratres mei*, ait idem Apoſtolus, *ficus vuas facere, aut vitis ficus? ſic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam*: Quaſi diceret; Numquid infenſus & ingratus animus poteſt facere gratitudinem? Et ſicut ſi amara dulci miſceretur aqua, dulcem ipſam, amaram faceret: ita ſi quid non gratum gratitudini miſceatur, totum ingratum faciet.

II. PVNCTVM.

SED *niſi animus recolentis beneficium vocationis*, ſe dignè *conformet vocationi, non eſt Deo benefactori ſuo gratus & acceptus.* Cùm enim id vnum maximè velit Deus, vt conformiter vocationi noſtræ viuamus, quiſquis ſe non conformat ſuæ, nonne tantùm à Dei voluntate ſe diiungit, quantum à ſua vocatione ſe diſtrahit? Qui ſic autem ſe diiungit à Dei voluntate, quomodo poſſit ei eſſe gratus & acceptus? *Non eſt mihi voluntas in*
Mal. 1. *vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.*

Deinde vero cum per propria vocationis officia nos Deus vellet regere, talémque à nobis gloriæ gradum exigeret, qualem ipſe ordinârat in illo particulari miniſterio, & non alium quamtumuis ſublimiorem: ſi quis hac relictâ viuendi viâ, ſuóque deſerto curſu & ordine, ſibi quem fingit alium, mauult incede-
Iſ. 1. re, numquid Deo poteſt eſſe gratus & acceptus? *Cùm veniretis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris? VAE*
Ib. 30. *filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium & non ex me: & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum.*

Denique cùm diuinæ gratiæ ſubmiſtrarentur abundantiſſimè ad vocationis debitum rite perſoluendum, nón ita vero ad aliud quod vltrò ſuſcipitur, quomodo is eſſe acceptus poterit, qui tot neglexit gratias? Quomodo is eſſe gratus qui ſine gratia

Digitized by Google

ſeſe ad opus ingerit? *Non mittebam prophetas, & ipſi currebant;* Ier. 23.
non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Hinc aptè ſanctus Ba- In Caput. 1. Iſ.
ſilius: *Inter ea quæ odio proſequitur Dominus, vnum hoc eſt, ſe-gne & iners otium, ſeu ceſſatio ab his quæ nos ex officio attinet facere.*
Vnde ſanctus Gregorius Nazianzenus; *Quid Paſtoris munus tibi* Orat. 26.
arrogas, ſi ouis ſis? Quid Caput efficeris, cùm pes ſis? Quid exercitum ducere aggrederis, cum in militum ordinem adſcriptus ſis! Quaſi diceret, hoc planè inordinatum eſt, hoc ingratum Deo & inuiſum: quaſi poſſis tibi aliquid melius, quàm quod ordinauit Deus: aut quaſi peius repures quod eſt tibi melius ordinatum! Itane de Deo ſentire velles?

III. PVNCTVM.

GRATITVDO *animi nulla igitur formari poteſt digna beneficio vocationis, niſi ſe animus dignè conformet vocationi;* Quia hic animus alioquin nō poteſt eſſe Deo gratus; & ab animo minimè grato non magis exhiberi poteſt Gratitudo, quam ab ingrato; cùm nō minùs inter ſe pugnent, in hac materia, non eſſe gratum Deo, propter neglectam vocationem, atque eſſe ingratum. Sicut enim qui fideliter vocationi reſpondet, ſatis ſe gratum Deo præſtat, etiamſi nullas agat illi gratias, quia hoc maximè intendit Deus & expectat ab vnoquoque, *vt quemadmodum vocatus eſt, ita & ambulet:* ſic planè qui non ita conſtanter ambulat, quidquid in gratiarum actionem proferat, non poteſt eſſe gratioſus, non poteſt eſſe gratus, non poteſt non eſſe ingratus; quia non reddit quod præcipuè debet, & quod imprimis exigitur. *Et nunc Iſrael,* poſt accepta ſcilicet tot beneficia quæ Deut. 10.
commemorata ſunt, *quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum?* Quaſi diceret, in hoc te mihi gratum exhibebis, ſi ambules in viis meis: aut certè ſi ab eis deflectas, tùm me tibi offenſum, & te mihi tùm ingratum exiſtima. *Filios enutriui & exaltaui, ipſi au-* Iſ. 1.
tem ſpreuerunt me! Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit!

Certè non deerant illis pſalmi & ſacrificia, quibus laudarent Deum, ſed quaſi nihil hæc apud Deum eſſent, non deſinunt eſſe

ingrati, quia non reddunt quod ab illis maximè Deus exigebat. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum.* Ibid.

Atque ipſe pſalmorum Regius Scriptor, quàm multis gratitudinem ſuam Deo indicárat? Quàm ſæpe illud Euchariſticum ingeminârat: *Benedicam Dominum in omni tempore: Deum qui benefecit mihi.* Et tamen non aliter quàm vt ingratus, quàm vt beneficiorum immemor à Propheta Nathan arguitur, quia videlicet declinauerat à viis Domini, Deo erat infenſus & odioſus, nec tum pſalmi eius tantam gratitudinem Deo exhibebant, quantam ipſe peccato ſuo protulerat ingratitudinem. Nihil æquè placebat Deo in Dauide ante peccatum, quàm eius fidelitas in omnibus obſeruandis à Domino ſibi conſtitutis. Hæc omni pſalmorum cantu ſuauior Diuinas celebrabat laudes: atque ita dum peccato violata eſt illa fidelitas, quaſi tacuiſſe viſus eſt Dauid à Diuinis laudibus celebrandis. *Ceſſauit gaudium tympanorum, quieuit ſonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.* Pſ. 33. Pſ. 56. 2. Reg. 12. Iſ. 24.

Sic dicuntur omnes creaturæ benedicere Domino, quod, vt ait ſanctus Hieronymus, *à ſuo officio & ſeruitio non recedant; ſeruitium ipſorum, laus Dei eſt*; Sic ergo erit & tuum; *Quidquid egeris bene age, & laudaſti Deum*, ait ſanctus Auguſtinus; Et rurſum. *Lingua tua ad horam laudat, vita tua ſemper laudet. Cùm voce cantaueris, ſilebis aliquando, vitâ ſic lauda vt nunquam ſileas.* Itemque alibi fuſiùs, & expreſſiùs. *Laudate totis votis, & totis vobis, id eſt non ſolùm lingua, & vox veſtra laudet Deum, ſed & conſcientia veſtra, vita veſtra, facta veſtra. Tunc deſinis laudare Deum quando à Iuſtitia, ET AB EO QVOD ILLI PLACET, DECLINAS: nam ſi à bona vita nunquam declinas, lingua tua vacet; vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum. Quomodo enim aures noſtræ ad voces, ſic aures Dei ad cogitationes.* In Pſ. 148. In Pſ. 34. In Pſ. 146. In Pſ. 148.

Nonne te fœlicem crederes, ſi de Deo ſemper cogitare, ſi Deum ſemper laudare poſſes? Cogita ſemper quæ tui ſunt officij, & quæ cogitaueris ſemper exequere, ſic fiet vt Deum ſemper cogites, & ipſum laudes. Quàm miſer ille contrà, qui cùm poſſet, & deberet diuinis vacare laudibus, alia omnia lubens volenſque cogitaret! Tu ille miſer es ſi tuo deſis officio. Non eſt diſtractio mentis damnoſior, quàm ſic à ſuo munere diſtrahi & auerti.

Vide in 2. parte, Feria tertia infra octauam Aſcenſionis.

Digitized by Google

FERIA QVARTA.

DE PERFECTA MORTIFICATIONE SECVNDVM PROPRIAM CVIVSQVE VOCATIONEM.

Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?

Quare Diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciunt ſimiliter & phariZæorum; tui edunt & bibunt? Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Non eſt minùs perfectæ mortificationis, bene vti rebus, quàm omnino non vti.

RATIO EST, quia tùm perfecta mortificatio cenſeri debet, cùm appetitus perfectè ſubiectus eſt rationi, & ratio Deo.

Sed bene rebus vtendo ſecundùm propriam cuiuſque vocationem, non minùs perfectè appetitus ſubjicitur rationi, & ratio Deo, quàm non vtendo.

Ergo non eſt minùs perfectæ mortificationis, bene vti rebus, quam omnino non vti; ac proinde cùm non poſſis omnino non vti rebus curandus eſt bonus earum vſus.

I. PVNCTVM.

SCRIBÆ & Pharizæi qui vel inuitati, vel ſua ſponte conuenerant ad conuiuium à S. Matthæo celebratum, murmurant contra Dominum, eiuſque diſcipulos, quòd

non modò conuerſentur cum publicanis, & peccatoribus, ſed cum ipſis etiam manducent & bibant, nec ſe vino aut eſcis omnino abſtineant, ſicut diſcipuli Ioannis & Pharizæorum, qui toti erant in ieiuniis & obſecrationibus.

Erat ſanè quod mirarentur homines, Deum etiam incarnatum & hominem factum, ſic inter homines voluiſſe viuere, vt cum ipſis etiam conuiueret & manducaret: ſed non erat quòd propterea murmurarent, quaſi illud vitæ genus minùs eſſet perfectum, aut minus perfectæ mortificationis & virtutis. Audiemus ſequenti meditatione, quid illis Dominus reſponderit; interim verò conſideremus, quàm verum illud ſit, & ad praxim vniuſcuiuſque vocationis appoſitum: *Non minùs eſſe perfectæ mortificationis, bene vti rebus, ſicut Chriſtus & eius diſcipuli benè vtebantur, quàm omnino non vti cum Phariſæis.*

Ratio petitur à Definitione perfectæ Mortificationis, quæ, communi omnium qui de ea ſcripſerunt Patrum conſenſu, ſic eſſe declaratur, cùm appetitus perfectè ſubiectus eſt rationi, & ratio Deo. *Id quod eſt in homine præcipuum*, inquit S. Auguſtinus, *imperet cæteris quæ ſunt nobis beſtiiſque communia: atque id ipſum quod excellit in homine, id eſt, Mens & Ratio Potiori ſubjiciatur, quæ eſt ipſa Veritas, vnigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt, niſi ſuperiori ſe ipſe ſubjiciat.* Sic ſanctus Proſper: *Dominetur vitiis ratio, ſubjiciatur corpus animo, animus Deo; & impleta eſt tota hominis perfectio.* Sanctus quoque Leo: *Si mens rectori ſuo ſubdita terrenæ voluptatis incitamenta calcauerit, ordinatiſſimum tenebit Ratio principatum: quia tunc eſt vera pax & vera libertas hominis, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præſide gubernatur.* Itemque rurſus: *Emundantes nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, vt caſtigatis colluctationibus quæ ſunt inter vtramque ſubſtantiam, animus quem ſub Dei gubernaculis conſtituum, corporis decet eſſe Rectorem, dominationis ſuæ obtineat dignitatem.* Denique ſanctus Papa Gregorius paucis hæc omnia contrahens. *Cum vel mentem Deo*, inquit, *vel carnem menti ſubiugamus.*

L. 1. de Ser. Dom. in Monte c. 2.

In ſententiis.

Ser. 1. in quadr.

Serm 4.

L. 6. Mor. c. 16.

Ex quibus ſanctorum Patrum teſtimoniis, quàm facile eſt intelligere quæ ſit perfecta mortificatio, tam facile eſt noſſe vtrum in te perfecta ſit. Inquire tantiſper & ingemiſce quam longè ſis non ab hoc ſenſu forte ſpeculatiuo, ſed practico: non ita verè

subjiciens

Digitized by Google

ſubjiciens Rationi & Gratiæ tuos ſenſus, ſicut verè ſentis cum illis Patribus eſſe ſubdendos.

II. PVNCTVM.

SED benè rebus vtendo ſecundùm propriam cuiuſque vocationem, non minùs perfectè appetitus ſubjicitur rationi, & ratio Deo, quàm non vtendo.

Cur enim non vtendo fit iſta duplex ſubiectio, niſi quia cùm naturaliter appetitus propenderet in vſum rei, retinetur iſta propenſio Ratione, & Ratio diſcit à Deo, ſeu à Gratia, quantum retinere debeat; vnde ſanctus Petrus: *In ſcientia*, inquit, *miniſtrate abſtinentiam*, id eſt, diſcretè, & rationabiliter ſecundùm Deum, prout ſcitis in Domino. Sic planè in bono rei vſu qui fit tantum intuitu vocationis, cùm ex naturali concupiſcentiæ motu pars illa quæ dicitur ſenſualis ſeu appetitus, appeteret rem vſurpare alio prorſus modo & fine, quàm velit Ratio; Ratio cum Gratia cohibet hanc concupiſcentiam, & à propria Vocatione tamquam ab Interprete diuinæ legis & voluntatis, nouit quantum cohibeat. Sic monet Sapiens: *Vtere quaſi homo frugi his quæ tibi apponuntur.* Sic vtebatur Apoſtolus dicens, *Ego didici in quibus ſum, ſufficiens eſſe, ſcio & humiliari, ſcio & abundare, vbique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati:* Quaſi diceret, perinde me habeo in vſu rerum ac non vſu; nam dum rebus vtor, ſic vtor ex ratione & gratia, vt tum non minùs ſim ſubiectus Deo, quàm ſi non vterer. Itane tu qui tam facile conquereris, ſi quid in vſu rerum pateris?

1. Pet. 1.

Eccleſ. 31.

Phil. 4.

III. PVNCTVM.

NON eſt ergo minùs perfectæ mortificationis, bene vti rebus, quàm omnino non vti: Quando ſcilicet ſic exigit propriæ vocationis ratio, quia tùm bene rebus vtendo non minùs perfectè, quàm non vtendo, appetitus ſubiicitur rationi, & ratio Deo, in qua duplici ſubiectione conſiſtit tota perfectio. *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus*, inquit Apoſtolus; vel vt perfecti ſimus hoc ſentiamus, ſic enim addit, paulo pòſt: *Idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula: Imitatores mei eſtote, fratres,*

Phil. 3.

Digitized by Google

& obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Atque vt videas de re noſtra eſſe ſermonem, ſic pergit: *Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Id eſt, multi ſunt qui non ſeruant formam noſtram in vſu rerum, quia ſcilicet non iis vtuntur ex præſcripto Rationis & Gratiæ, ſed potiùs ex deprauato concupiſcentiæ motu, quod certè eſt deplorandum; Nam illis non interdicitur vſus, ſed tantùm inordinatus; ſicque ſi vellent ordinatè rebus vti, ſicut formam præſcripſi omnibus, non modò non peccarent in vſu rerum, nec deficerent à perfectione Chriſtiana, quin potiùs inde proficerent. *Omnia munda mundis; ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat.*

Tit. 1. Rom. 14.

Nonne & hoc in te eſt deplorandum, qui iam toties de his monitus, non niſi ex affectu deprauato res vſurpas: nec, quid in vſu rerum vocatio exigat, ſed quid affectus, attendis? Non eſt hæc apoſtolica viuendi forma tradita, non eſt illa vitæ regula de qua iam ſupra ſanctus Auguſtinus: *Habet vir temperans in rebus huius vitæ regulam vtroque Teſtamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet; ſed ad vitæ huius, atque officiorum neceſſitatem quantùm ſatis eſt vſurpet VTENTIS MODESTIA, NON AMANTIS AFFECTV.* Itémque alibi: *In omnibus talibus non vſus rerum, ſed vtentis libido in culpa eſt.* Hæc autem libido ſic coerceri poteſt & debet, vt deinceps non aliter nec alio fine rebus vllis vtaris, quàm prout vocatio aut officium exigit vel permittet.

L. de moribus Eccleſ. c. 21.

3. Doct. Chriſt. 12.

Non me vincant Deus meus, non me vincant caro & ſanguis: non me decipiat mundus, non me ſupplantet diabolus. Ecce cibus, potus, veſtis & cætera vtenſilia, ad corporis ſuſtentaculum pertinentia feruenti ſpiritui ſunt onerofa; tribue talibus fomentis temperatè vti, non deſiderio nimio implicari. Vide quæ hic plura ſanctus habet Author: Nec tam mirare quàm perfectè dicat, quàm quòd tam imperfectè facias quod perfectè dictum, & quod omnino faciendum eſſe, agnoſcis.

L. 3. de Imit. Ch. c. 26.

Digitized by Google

FERIA QVINTA.

DE BONO SENSVVM SEV SENSVALIVM VSV, EX PROPRIA CVIVSQVE VOCATIONE.

Et ait illis Ieſus: numquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Matth. 9.

VERITAS PRACTICA.

Si quid interdum ſenſibus licitè indulgetur, non vt ſenſuale eſt, ſed vt eſt licitum, accipiendum eſt.

RATIO EST, Quia non ſunt licita illicitè aſſumenda.

Sed ſi ex his quæ interdum ſenſibus à vocatione propria indulgentur, aliquid ſumeretur vt eſt ſenſuale, licita illicitè aſſumerentur.

Ergo non vt ſenſuale eſt, ſed vt eſt licitum accipiendum eſt; ſicque purificabitur vſus ſenſuum, ſeu ſenſualium à propria cuiuſque vocatione: Quod eſt ad praxim valde opportunum.

I. PVNCTVM.

RESPONDENS Chriſtus Dominus Pharizæis murmurantibus de communi modo viuendi, quem ipſe agebat, & ſuis permittebat diſcipulis; *Numquid poſſunt,* inquit, *filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus!* Dicebantur filij ſponſi propriè Iuuenes illi, qui ſponſo tamquam ſodales olim adhibebantur in nuptiis, vt eſt in libro Iudicum de Samſone: Metaphoricè vero ſeu tranſlatitiè dicuntur Apoſtoli eſſe filij ſponſi, quia ſunt comites ipſius Chriſti, qui ſponſus ab Iud. 14.

Ioan. 3. ab ipſo Ioanne Baptiſta dictus eſt; *Qui habet ſponſam,* inquit *ſponſus eſt:* Ad quod Ioannis dictum reſpiciens Dominus, hac comparatione ſponſi vſus eſt, tum ob diſcipulos ipſius Ioannis qui præſentes aderant, & quæſtionem cum pharizæis propoſuerant, tùm vt faciliorem redderet rationem, cur ſuis permittebat vſum vitæ, communem cæteris, & non illum auſterum ac ſtrictum, qualem ipſi Pharizæi profitebantur: Nempe quod ſicut tempore nuptiarum aliquid indulgetur conciliandis inter ſe animis, ſic ipſe modò ſuis indulgeret; quaſi ipſe modò ſuas nuptias celebraret, & quaſi diceret, vt interpretatur S. Ioannes Chryſoſtomus, gaudij tempore non ſic introducenda triſtia. Rectéque obſeruat idem ſanctus Pater, Chriſtum Dominum ſic indicare, non eſſe gulæ quod fiebat à diſcipulis, ſed diſpenſationis cuiuſdam: Vnde ſtatim addidit Dominus, quòd ſuo tempore dum ablatus illis fuerit ſponſus, ieiunarent.

Sic porro fit inter homines etiam religioſos & ſpirituales, vt nonnulla indulgentius, iuſtas ob cauſas, permittantur in vna vocatione, quæ non in alia; aut vno interdum tempore, quæ non alio concederentur. Quid tum vero in tali vſu ſenſuum ſeu ſenſualium? Numquid gulæ, numquid libidini & concupiſcentiæ concedi debet, quod licitè curando corpori, & animis remittendis concedi poteſt? Vide ne hoc tibi perſuaderi patiaris, & audi Veritatem propoſitam, *Vt ſi quid interdum ſenſibus licitè indulgetur à ſua cuique vocatione; non vt ſenſuale eſt, ſed vt eſt licitum, purè accipiatur, & ſincerè vſurpetur.*

Ratio quæ affertur tam plana eſt & facilis apprehenſiuæ, quam fortè difficilis appetitiuæ facultati. Quid enim clarius ad intelligentiam, quàm quòd licita non ſunt illicitè aſſumenda? Id eſt, ſeruari debet modus & finis, aliæque circunſtantiæ ſic neceſſariæ, vt ſi deſint in vſu rei licitæ, iam non licitè res vſurpetur, iam non ſit licita; quia non aliter licet, niſi ſeruatis ſeruandis, quæ ſi minimè obſeruentur, tum quod eſt licitum degeneret in illicitum. *Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris,* ait Scriptura; Et *Deut. 16.* *Sap. 16.* rurſum: *Qui enim cuſtodierint iuſta iuſtè, iuſtificabuntur.* Denique in vſu rerum omnium quæ de ſe mala non ſunt, vt pecunia, cibi, veſtes, vndenam peccari poteſt, niſi quia licita illicitè vſurpantur, *Iac. 4.* id eſt, aliter quàm vſurpari debeant? *Vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis,* ait ſanctus Iacobus: hoc nempe eſt, quod in licitis eſt

Digitized by Google

illicitum, hoc eſt quod arguitur, hoc eſt quod non licet; & hoc eſt tamen quod magis appetis!

II. PVNCTVM.

SED ſi quid ex his quæ interdum ſenſibus à Vocatione propria indulgentur, ſumeretur vt eſt ſenſuale, licita illicitè aſſumerentur. Sic enim ſumptum ſumeretur propter voluptatem & concupiſcentiam, *quæ eſt radix malorum omnium*, inquit Apoſtolus, quam & *peccatum vocat, quod in ſe habitat*; non quod in ſe, ſeu in habitu, & prout in nobis tantum eſt, ſit peccatum: ſed quod in actu ſit cauſa peccati, vt quidquid humano actu ex ipſa inordinatè fit, peccatum ſit & illicitum. Et alibi poſtquam egit de punitis, & proſtratis in deſerto, Iſraelitis: *Hæc autem*, inquit, *in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.* At certè quod illi concupierunt, non erat in ſe malum, ſed tantùm delectabile & ſenſuale, quod quia non alio fine quam voluptatis deſiderarunt, & poſtquam illud acceperunt à Deo, non vt acceptum, ſed vt ſibi delectabile & vt ſenſuale vſurparunt, idcirco peccârunt & puniti ſunt, quia ſic licita illicitè aſſumpſerunt. *Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto*, id eſt hoc vnum concupierunt, vt concupiſcentiæ ſatisfacerent, quod cum afferatur tamquam illatæ cauſa pœnæ, quis non videt eſſe illicitum?

1. Tim. 6. Rom. 7. 1. Cor. 10. Pſ. 105.

Quod quidem dilucidè declaratur à S. Auguſtino in Confeſſionibus: *Non ego*, inquit, *immunditiam obſonij timeo, ſed immunditiam cupiditatis: ſcio Noë omne carnis genus, quod cibo eſſet vſui, manducare permiſſum: Heliam cibo carnis refectum: Ioannem mirabili abſtinentia præditum, animalibus, hoc eſt locuſtis in eſcam cedentibus non fuiſſe pollutum: & ſcio Eſau lenticulæ concupiſcentia deceptum, & Dauid propter aquæ deſiderium à ſe ipſo reprehenſum: & Regem noſtrum non de carne, ſed de pane eſſe tentatùm, ideóque, & populus in eremo, non quia carnes deſiderauit, ſed quia eſcæ deſiderio aduerſus Dominum murmurauit, meruit improbari. In his ergo tentationibus poſitus, certo quotidie aduerſus concupiſcentiam manducandi & bibendi*, Et quæ plura proſequitur, vbi aduerte, quod ait populum non fuiſſe improbatum quod carnes deſiderauerit, ſic intelligendum eſſe quaſi diceret, ſi deſiderio tantùm

10. Confeſſ. 31.

Digitized by Google

naturali & non voluntariè inordinato deſideraſſet, non peccaſſet. Quod autem eſcas inordinatè deſiderauerit, patet ex murmure quod propterea concitauit.

Quale vero eſſet hoc certamen quod ſe certare S. Auguſtinus, ſic paulò antè deſcripſerat, dicens: *Et cum ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adiungit ſe tamquam pediſſequa, periculoſa iucunditas: & plerumq; præire conatur, vt eius causâ fiat, quod ſalutis causâ me facere vel dico, vel volo; Nec idem modus vtriuſque eſt, nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt, & ſæpe incertum fit, vtrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit infœlix anima, & in eo præparat excuſationis patrocinium, gaudens non apparere, quid ſatis ſit moderationi valetudinis, vt obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor reſiſtere, & inuoco dexteram tuam ad ſalutem meam.* (*Ibid.*)

Ex quibus & aliis quæ addit, ſatis euidens eſt quantum ille timeret ne propter cupiditatem aliquid ſumeret; non modo ne excederet, ſed ne etiam quod neceſſarium erat ad vitam, propter voluptatem vllam acciperet; Quæ certè voluptas, in ordinario & mediocri victu ſi eſt timenda, vt illicita: quantò magis in extraordinario, de quo hîc loquimur, & de quo euitando Sapiens ſic orabat Deum: *Aufer à me ventris concupiſcentias, & animo irreuerenti & infrunito ne tradas me.* (*Eccleſi. 23.*)

III. PVNCTVM.

SI quid igitur aliquando ſenſibus licitè indulgetur: non vt ſenſuale, eſt, ſed vt eſt licitum accipiendum eſt; Quia talis ſenſualitas, quæ eſt manifeſta concupiſcentiæ inordinatio, manifeſtè eſt illicita, & non ſunt licita illicite aſſumenda. Sicut enim apertè intemperans ille eſſet, qui plus æquo comederet aut biberet, ſic planè is qui ex ſola cupiditate, & non ex puriori motiuo vellet naturæ ſatisfacere. Hæc eſt enim intemperantiæ ſpecies, non minus illicita, quàm alia: vnde Apoſtolus poſt comeſſationes & ebrietates exagitatas, addit, *Et carnis curam non feceritis in deſideriis.* (*Prou. 13.*) Quod adeo verum eſt vt in hac maximè vitij parte, totum penè vitium ponant ſancti Patres. *Gulæ vitium,* inquit S. Baſilius, *non in eſcarum copia, natura ſua vim exercere nouit,* (*Serm de abdicat.*)

ſed in voluptate atque guſtatu, licèt mediocri admodum vtare. Et ſanctus Auguſtinus: *In omnibus huiuſmodi rebus, non ex earum* 3. de Doct. *rerum natura quibus vtimur, ſed ex cauſa vtendi, & modo appeten-* Chr. 12. *di, vel probandum eſt, vel improbandum quod facimus.* Sanctus denique Gregorius in moralibus: *Antiquus hoſtis quia non* 30. Mor. *cibum ſed cibi concupiſcentiam eſſe cauſam damnationis intelligit,* 17. *primum ſibi hominem non carne ſed pomo ſubdidit, & ſecundum non carne ſed pane tentauit.*

Quia tamen in lautioribus cibis concupiſcentia magis excitatur, idcirco tum præcipuè inuigilandum eſt, ne præcedat, nec propterea comedatur, quia delectat, nec quia ſenſuale eſt quod permittitur, vſurpetur; ſed purè quia permittitur. Poſſunt quidem alij occurrere probati fines, ſed hic vnus inſtar omnium cæteros comprehendit, & in praxi ad memoriam procliuis eſt. *Dominus nobis prandium miſit, verè pius verè miſericors.* Sic ſanctus Paulus Eremita cum ſancto Antonio. Sic vide vt deinceps ſentias; *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus,* 2. Cor. 7. *perficientes ſanctificationem in timore Domini. SIC Iuſti epulantur* Pſ. 67. *& exultant in conſpectu Domini:* Contrà qui Deum à ſe & à ſua menſa excludunt: *Hi ſunt*, inquit S. Iudas, *in epulis ſuis ma-* Tob. 6. *culæ, conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes.* Hæc poſtrema Verba valde expendenda; tùm quia grauius aliquid indicant quàm putetur; tùm quia tibi forte id indicant vt proſpicias. *Statue cultrum in gutture tuo.* Prou. 23.

Vide ſuprà in Aduentu, Dominicam quartam, & alibi, verbo *Temperantia.*

FERIA SEXTA.

DE PRÆPARATIONE ANIMI AD QVAELIBET ASPERA IN VOCATIONE FERENDA.

Venient autem dies, cùm ablatus ab eis fuerit ſpon-

Digitized by Google

ſus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Niſi probè paratus ſis ad aduerſa, nec ad ipſa proſpera benè paratus es.

RATIO EST, Quia niſi probè paratus ſis ad aduerſa, ſignum eſt, te nimis affici proſperis.
Sed nimis affici proſperis, non eſt ad ipſa benè paratum eſſe.
Ergo niſi probè paratus ſis ad aduerſa, nec ab ipſa proſpera benè paratus es.

I. PVNCTVM.

QVOD Chriſtus Dominus de Apoſtolis ſuis dixit, *venient dies, cùm ablatus ab eis fuerit ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus*, non modò Pharizæos & alios murmurantes de communi eorum vita, compeſcuit, affirmando futurum ſuo tempore, vt ipſi ieiuniis, orationibus, & aliis piis animi corporíſque exercitationibus addicerentur; ſed & ipſos Apoſtolos ſimul monitos fecit, vt ſe ad illud tempus paratos exhiberent, nec commodis rebus ita ſe præſente vterentur, quin ſe abſente incommodis & aduerſis æque vellent exerceri. Quæ certè admonitio non eò ſpectabat ſolum, vt ad futura illa quæ paſſuri erant aduerſa, confirmarentur: ſed ad ipſa læta & proſpera, quibus modò ex indulgentia quadam vtebantur, temperatè vſurpanda multum valebat. Neque enim proſperis benè vſurpandis aptus eſt animus, niſi & aduerſis fortiter tolerandis aptetur: *Et niſi probè paratus ſis ad aduerſa, nec ad ipſa proſpera bene paratus es.*

Quod Pronunciatum quàm ſit ad praxim vtile, ſatis patet; Quàm ſit verò verum, vt ad praxim faciliùs deſcendatur, Ratio quæ affertur, breuis & facilis, ſic declarat.

Niſi probe paratus ſis ad aduerſa toleranda, manifeſtum eſt ſignum, te nimis affici & detineri proſperis. Quid eſt enim quod non ſit ad aſpera paratus animus, niſi quia illa times & refugis?

Vnde

Digitized by Google

Vnde vero illa times & refugis, niſi quia nimis amas commoda & mollia, quibus te cariturũ & contrariis affligendum vides? Quidquid enim dicas te faciliùs cariturum commodis, quàm incommoda ſubiturum, nec te ita proſperis affici, quàm aduerſis premi: hoc gratis dicitur, nec quidquam ordinariè auerſamur, niſi quantùm afficimur ad id, quod illi eſt oppoſitum. Nam vt luculentè docet S. Thomas poſt S. Auguſtinum, ex amore prodeunt cæteræ omnes paſſiones, atque imprimis odium & auerſio ſeu fuga rei cuiuſlibet, quia, vt ipſe ait, *Amor conſiſtit in quadam conuenientia amantis ad amatum: odium vero in quadam repugnantia vel diſſonantia; oportet autem in quolibet priùs conſiderare quid ei conueniat, quàm quid ei repugnet. Per hoc enim aliquod eſt repugnans alteri, quia eſt corruptiuum, vel impeditiuum eius quod eſt conueniens; vnde neceſſe eſt quod amor ſit prior odio, & quod nihil odio habeatur niſi hoc quod contrariatur conuenienti quod amatur.* Quòd autem odium ſit magis ſenſibile, quàm amor, id prouenit ex natura ſenſus, ſeu ex modo ſenſationis humanæ, de qua longius eſſet dicere; ſed nihil obſtat, quin amore poſterius ſit odium, nihilque ſit quod oderis & auerſeris, niſi quantum illud ames, cuius priuatio dolorem, metum, & odium, cæteraſque naturales in te concitat affectiones.

1. 2. q. 29. a. 2. 14. Ciuit. Dei c. 7.

Ibid. a. 3.

Vide afflictos & perturbatos illos, de quibus ſacra paſſim Scriptura; Saülem, Achabũ, Amanum, Antiochum, & ſimiles angore & metu cruciatos, quid eſt quòd ita cruciantur, niſi quod ſuâ ſpe excidant, ſuis priuentur optatis, & vt ſcripturæ verbis vtar, *quia non factum eſt eis, ſicut cogitabant?* Sic planè tu, ſi ſic times aduerſa, vt ad ea non ſis paratus, nimis amas proſpera; ſi ſic times paupertatem, vt eius metu nimis angaris, nimis tua diligis: ſi contemptum tui, ſi morbos ſi mortem, & alia vitæ incommoda ſic abhorres, vt ne eorum quidem cogitationem velis ſuſcipere, quâ te ad illa præpares, nimis honorem apperis, nimis ſanitatem amas & vitam. *Væ vobis, quia diligitis primas Cathedras, & ſalutationes in foro,* hinc prima mali labes, quia nimis diligitis.

1. Macch. 6.

Luc. 11.

II. PVNCTVM.

S*ED nimis affici proſperis, non eſt ad ipſa benè paratum eſſe.* Agitur enim de præparatione ſeu diſpoſitione animi, quæ

cum virtute & merito apud Deum proſpera vſurpentur, primò quidem ne nos nimis attollant & inflent; tum vt Deum benefactorem in his laudemus & amemus; ſicut præparatur animus ad aduerſa, ne his contingentibus nimis deprimatur, ſéque nimis abiiciat, ſed potiùs ad Deum ſeſe attollat. Iam verò quis non videt nimiam ad proſpera propenſionem, non efficere illam animi diſpoſitionem, quæ cum virtute coniuncta ſit?

Oporteret quippe in honore tremere ne ſubrepat ſuperbia, ne ſe inſinuet ambitio, vanitas, cæteræque virtutis peſtes: Amor autem honoris, contrà potius exultantes facit, & ſecuros; *Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris: omnis exultatio talis maligna eſt.* (Iac. 4.)

Oporteret in diuitiis, de bonis cogitare operibus, & de larga in egenos profuſione: At diuitiarum amor animum potiùs occupat ad opes conſeruandas, vel augendas: *vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* (Matth. 6.) In deliciis vero quantâ continentiâ, quantâ modeſtiâ eſſet opus? At deliciarum amor quàm contrà veriùs profuſos amatores in eas faciat, teſtantur hæ apud Sapientem illorum voces: *Venite & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura, tamquam in iuuentute celeriter.* (Sap. 2.)

Sicque apparet euidenter quàm longè ſit ab illa diſpoſitione animi, quæ neceſſaria eſt ad virtutem in proſperis, nimius proſperitatis affectus, cum inde virtus omnis pereat, & vitium potiùs ac perditio illa ſequatur, de qua Sapiens: *Auerſio paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos.* (Prou. 1.)

III. PVNCTVM.

NISI ergo probè paratus ſis ad aduerſa, nec ad ipſa proſpera benè paratus es; quia illud ipſum quod te impedit, ne ſis ad illa paratus, te imparatum facit ad hæc, nempe nimius ad commoditates & proſpera quæque affectus. Ille eſt qui aduerſitates nimis horret, ille eſt qui proſperitates nimis amat; ſicque ad neutrum bene paratus es, cùm ad vtrumque tamen præſto & paratum, ex æquo, te eſſe oporteret, & cum Dauide dicere: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* (Pſal. 56.) Et cum Apoſtolo: *A dextris, & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.* (2. Cor. 6.)

Quid ſperas alioquin? quid intendis? quid tandem de te ſta-

Digitized by Google

tuendum putas? *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?* Si diuitias, ſi honorem, ſi proſperum aliquem ſucceſſum immiſero, ſtatim emolliris, inſoleſcis, in tuum naturale bonum, & commodum vertis; Sin verò te aduerſis premam, illico frangeris, deſpondes, murmuras, & in Medicum ſurgis. Quid fiet tandem illi viro, qui nec proſperis bene vti poteſt nec aduerſis? Nonne eſt velut lignum aridum, velut lignum vitis præciſum, quod nullis agricolarum vſibus prodeſt, nullis fabrilibus operibus deputatur? *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis?* Grauis ſane expoſtulatio, grauis ſermo Domini apud Ezechielem contra eum, qui ſe ſuâ culpâ ſic ineptum reddit ad omnia. Nihil illi ſupereſt niſi ignis, niſi combuſtio, id eſt ex hac etiam vita calamitoſum aliquod pœnæ genus, vnde ineptior & miſerior reddatur: ſic enim loquitur: *Etiam cùm eſſet integrum, non erat aptum ad opus, quantò magis cùm illud ignis deuorauerit & combuſſerit, nihil ex eo fiet operis!* Oſee 6. S. Auguſt. Ezech. 15.

Eſt etiam apud Caſſianum egregius de hoc argumento locus, vbi hæc inter alia præclarè ad rem noſtram: *Omnia aduerſa viro inſipienti. Nec enim proſperis rebus proficit, nec emendatur aduerſis; Eiuſdem namque virtutis eſt, triſtia fortiter tolerare, cuius etiam ſecunda moderari: & eum qui in vno eorum ſuperatur, neutrum ſufferre certiſſimum eſt.* Tum verò vt ſimus ambidextri, & quomodo poſſimus eſſe, ſicut ille Aoth in libro Iudicum fuiſſe deſcribitur, qui vtrâque manu vtebatur pro dextera, fusè declarat: *Si videlicet ea quæ proſpera ſunt, dextraque cenſentur, & ea quæ aduerſa ſunt ac ſiniſtra dicuntur, bono rectoque vſu ad partem fecerimus dexteram peruenire; vt quæcunque fuerint illata, fiant nobis ſecundum Apoſtolum, arma Iuſtitiæ*; Et in fine concludens: *Erimus igitur ambidextri, quando nos quoque rerum præſentium copia vel inopia non mutârit; Et nec illa nos ad voluptates noxiæ remiſſionis impulerit, nec iſta ad deſperationem attraxerit & querelam; ſed ſimiliter Deo gratias in vtroque referentes, parem fructum de ſecundis aduerſiſque capiamus, qualem ſe verus ille ambidexter Doctor gentium fuiſſe teſtatur dicens: Ego enim didici in quibus ſum ſufficiens eſſe, ſcio & humiliari, ſcio & abundare, vbique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſaturari & eſurire, & abundare & penuriam pati, omnia poſſum in eo qui me confortat.* 6. Coll. c. 9. & 10. Iud. 3.

Si ſic poſſes, nonne velles? ſed vnde ille potuit & voluit, niſi

Digitized by Google

à Gratia, quæ ſe modo tibi offert? vide ne negligas; Vide quæ Dominus cum Iobo diſſerit de præparato ad bellum equo: *Exultat audacter, in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Et quæ plura ibi leguntur, quæ vt ſunt à ſancto Gregorio expoſita, videri poſſunt in ſecunda parte, Feria ſexta infra Hebdomadam Sexageſimæ: & Feria 4. infra Hebdomadam 2. Quadrageſimæ: Et vide Sabbato ante Dominicam Palmarum.

Iob. 29.

SABBATO

DE PVRITATE ET EXCELLENTIA CHRISTIANAE RELIGIONIS IN QVOCVMQVE VIVENDI STATV.

Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos, quia nemo commiſſuram à nouo veſtimento immittit in veſtimentum vetus; alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo. Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Sicut à veteri lege, ſic à veteri homine, vnicuique Chriſtiano eſt abſtinendum.

RATIO EST, Quia idcirco à veteri lege abſtinemus, quia per Chriſtianam Religionem lex illa eſt antiquata.
Sed eâdem lege Chriſtiana, vetus homo eſt abiuratus.
Ergo pariter abſtinendum.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

DE perfectione viuendi quæſtio & ſermo erat Chriſto Domino cum Pharizæis; iamque illis oſtenderat nihil obeſſe perfectioni ſuorum, ſi ſtrictius illud vitæ genus nondum ſuſciperent, quod eſſent aliquando ſectaturi. Nunc verò pergens declarat eis duplici ſimilitudine, non niſi prudenter fieri, quod tempus aliquod interponatur, vt interim capatiores & fortiores fiant diſcipuli ad capeſſendam eam perfectionem, quam profeſſuri ſint. Sicut enim, inquit, nemo prudenter à veſtimento nouo partem ſeu fruſtum tollat, vt veteri reſarciendo inſuat, quia ſic nouum periret veſtimentum, nec vetus aptè reſarciretur: Et ſicut in vtres veteres vinum nouum non infunditur, ne muſti efferueſcentis violentià dirumpantur vtres; ſic neque imperfectis & infirmis, quales ſunt adhuc mei diſcipuli grauia illa perfectioris vitæ præcepta, ſeu exercitia ſunt imponenda, ne cùm ſint impares illis ferendis, onus excutiant; ſed paulatim formandi ſunt & roborandi, quia illà etiam perfectio, ad quam eos ego deſtino, tam ſublimis eſt & excellens, vt mihi priùs ſint ſuauiter diſponendi & præparandi, quam illi eam aggrediantur. Quanta eſt enim diſtantia rei nouæ pretioſæ, & excellentis, à veteri deficiente & caduca, tanta eſt legis nouæ à me inſtituendæ, ab illa quæ vobis Iudæis eſt tradita; ac proinde ſicut veteribus non ſunt noua permiſcenda, ſic neque legi Moſaicæ lex Euangelica, nec veteri homini nouus homo coniungendus, ſed expectandum donec antiquetur & ſeneſcat, quod eſt prope interitum, vt ſic noua faciam omnia. *1. 2. q. 96. a. 2. ad 2.* *Hebr. 8.* *Apoc. 21.*

Sic ſancti Patres hæc Chriſti Domini verba interpretantur, Sanctus quidem Hieronymus, *veſtimentum*, inquit, *vetus, & vtres veteres, Scribæ & Pharizæi; Veſtimentum & vinum nouum præcepta Euangelica*; Sanctus quoque Ambroſius; ***Non ſunt actus noui & veteris hominis miſcendi.*** Breuiùs interlinearis: ***Repugnat noua vita veteri***; Quæ interpretatio non modò de Apoſtolis & perfectis viris intelligenda eſt, ſed vniuerſim de tota Religione Chriſtiana, ſeu de ſingulis quibuſcumque ſtatibus & perſonis, licèt in diuerſo perfectionis gradu, ad omnes tamen ſpectat, om-

Digitized by Google

nibus generatim proponitur : *Quòd ſicut à veteri lege, ſic à veteri homine, vnicuique eſt abſtinendum in ſuo ſtatu.*

Quæ quidem Veritas & ad excellentiam Chriſtianæ religionis demonſtrandam, & ad communem quamdam perfectionis praxim declarandam, plurimum facit.

Ratio autem Veritatis propoſitæ tam manifeſta eſt & aperta ex ſacris Scripturis, vt ſit fide magis opus, quàm diſcurſu. Nam vnâ prorſus eâdemque lege, lex vetus, & vetus homo proſcripta ſunt & antiquata, vnde ſi de vno credis, credas neceſſe eſt de alio, aut de vtroque dubitabis.

Quid eſt enim quod modo Circumciſio, Purificatio, aliæque ceremoniæ, & ſacrificia Iudæorum non vſurpantur, niſi quòd nouâ lege Chriſtianâ, cuius erant vmbræ & figuræ, vt toties monet Apoſtolus, abrogentur? Neque enim de ſe mala erant; abſit cogitare, cùm à Deo fuerint ordinata & præſcripta; ſed ideo tantum erant bona, quia præſcripta & ordinata; vnde cum iam non ordinentur, imò cùm iam ſint vetita & prohibita, non vſurpantur, atque idcirco non vſurpantur, quia nunc à noua lege proſcripta ſunt. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis: NAM in Chriſto Ieſu neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per Caritatem operatur. VOS in libertatem vocati eſtis*, ab illa ſcilicet veteri lege, quæ erat ſeruorum, & ſeruitutem ſeruiebat duriſſimam. Nonne hoc credis? nonne Iudaiſmum deteſtaris? nonne illum tam alienum à Chriſtiano putas, vt qui vel tantillum iudaizaret, non omnino eſſet Chriſtianus? Gratias tibi Chriſte Ieſu, cui debemus hoc, quod credimus, & quod profitemur.

Gal. 5.

II. PVNCTVM.

SED eâdem ipſâ lege Chriſtianâ, vetus homo eſt proſcriptus & abiuratus.

Hoc attentiùs eſt conſiderandum, & primò expende quid ſit vetus homo, nempe inclinatio naturæ noſtræ corruptæ ad bonum ſenſuale, ad honores, ad commoda, & delectationem ſenſuum; vno verbo Concupiſcentia eſt deprauata, quam à veteri

Tract. 4. homine, id eſt, Adamo naſcentes accepimus. *Peccante primo ho-*

mine, inquit ſanctus Auguſtinus, *vitium pro natura inoleuit.* *In Ioan.*

Secundò aduerte, quod tametſi habitualis illa concupiſcentia radix eſt malorum omnium, propriè tamen malum eius, de quo hic agitur, non eſt niſi in actu voluntario, quando ſcilicet motum inordinatum volentes ſequimur: atque adeo, hoc eſt propriè quod in Propoſitione dicitur eſſe proſcriptum lege Chriſtianâ, ne ſcilicet illum naturæ corruptæ motum ſequamur. Hoc eſt quod ait Apoſtolus, *veterem hominem noſtrum ſimul cum Chriſto crucifixum eſſe, vt deſtruatur corpus peccati, & vltra non ſeruiamus peccato.* *Rom. 6.* Sicut enim crucifixus ita ligatus eſt vt ſe mouere non poſſit motu naturali: Ita quilibet Chriſtianus lege Chriſti ſic obligatus eſt, vt ſe mouere non debeat motu quouis inordinato naturæ deprauatæ. Hoc eſt quod idem ait, *nos mortuos eſſe cum Chriſto, ſimúlque cum illo reſurgentes viuere Deo*; quia perinde debemus abſtinere motibus vitæ ſenſualis, ac ſi omnino eſſemus mortui. Talis autem mors vita eſt, vita ſpiritualis, vita diuina, vnde tandem concludit. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius: ſed neque exhibeatis membra veſtra, arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo.* Quod & alibi expreſſiùs; *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* *Gal. 5.*

Tertiò denique Conſidera, quàm verè & certò, eâdem lege Chriſtiana vetetur hic vetus homo, quâ lex ipſa vetus prohibetur; Non poteſt autem euidentiùs id demonſtrari, quam quod iiſdem planè verbis eodémque ſenſu Apoſtolus indiſcriminatim de vtroque loquitur, & vtrumque ſimul ſe exuiſſe aſſerit, cùm ſe vnum exuiſſe dicit; Nec aliter ſcimus Apoſtolum mundo & carni non viuere, quàm quibus verbis ſcimus, illum legi Iudaicæ mortuum eſſe. Ad vtrumque enim hæc & ſimilia quæ paſſim habet in epiſtolis, referuntur. *Ego per legem, legi mortuus ſum, vt Deo viuam. Chriſto confixus ſum cruci; Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* *Gal. 2.* Et poſt multa ibidem in hunc ſenſum relata: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. In Chriſto enim Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura; Et quicumque hanc regulam ſequuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. De cetero nemo mihi mole-* *Ibid. 6.*

Digitized by Google

ſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.

Phil. 3. Itemque alibi luculentè. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta; verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.*

Quid putas Apoſtolum his velle verbis? Quomodo hæc interpretaris? Vide antecedentia & conſequentia, conſule quos volueris Patres, antiquos atque nouos Interpretes, & vnâ omnium voce diſces hæc Apoſtoli verba, tam de lege veteri, quàm de veteri homine in proprio & literali, vt vocant, ſenſu eſſe intelligenda, quia vtrumque ſcilicet vnum & idem eſt; nec aliter intelligitur quemquam eſſe Chriſti ſeu Chriſtianum, quàm ſi vtrumq; exuerit, & legem & hominem veterem: vtrique mortuus ſit, vtroque ſit liberatus, & pro vtroque vnum ſibi eſſe Chriſtum profiteatur. Nam quod de ſe ait Apoſtolus, hoc de omnibus ita eſſe oportere planè affirmat: *Quicumque in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis; Non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu.*

Gal. 3.

O Chriſtianam nobilitatem! O quis mente comprehendat, quid ſit Chriſtum induiſſe! quid cum Ipſo vnum eſſe!

III. PVNCTVM.

SICVT ergo à veteri lege, ſic à veteri homine, vnicuique Chriſtiano eſt abſtinendum; Cum par vtriuſque ſimul eâdem lege nouâ, quæ dicitur Gratiæ & Libertatis ſit abrogatio & condemnatio: Idcirco enim dicitur Lex Gratiæ, quia reuera ex ſe gratiam continet atque offert, quâ non minùs homo iſte vetus exuatur, quàm lex ipſa Moſaica deſeratur; ac proinde etiam longè maior eſt obligatio ex lege illa gratiæ veterem hominem exuendi, & omnis reprimendæ concupiſcentiæ, quàm eſſet ex lege ſcripta, quæ licet vetaret concupiſcentiam & omne peccatum inde procedens, non tamen conferebat gratiam quam lex

Ioan. 1. noua confert ad hunc effectum: *Lex*, inquit, *per Moyſen data eſt, Gratia & Veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Quod ſanctus Auguſtinus ſic exponit: *Non erat iſta gratia in veteri teſtamento, lex enim*

enim minabatur non opitulabatur, iubebat non ſanabat, languorem oſtendebat non auferebat, ſed præparabat medico venturo cum Gratia & veritate. Sic & interlinearis, *verè ab eo accepimus, quia lex non tollit mala, ſed oſtendit & reos conuincit vt humilient ſe medico*, nempe vt ſe ſanandos illi præſtent, & præſcriptis vtantur ad ſalutem conſiliis & mandatis.

Atque hoc ipſum eſt quod profitemur in Baptiſmo nos velle; Hoc eſt quod ibi dicitur Chriſtum induere & nouum hominem, id eſt profiteri ſe velle viuere non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum illum Gratiæ, quem tunc accipimus; Vnde nihil reſtat quàm id exequi quod profeſſi ſumus. Quod vt fideliùs à nobis fiat & conſtantius obſeruetur: Proponitur hîc obligatio, quâ ſic tenemur omnes cum Diuina gratia, quæ ſe propterea nobis offert, ad cauendos inordinatos concupiſcentiæ motus, ſicut ad ipſum Iudaiſmum execrandum. Si enim vtrumque eſt nobis perinde vetitum, cur non vtrumque perinde caueamus? Si de vtroque perinde cauendo dedimus fidem & ſponſionem in baptiſmo, cur vnum planè nolumus, & non perinde aliud? Si nolles Circumciſionem, an velles Purificationem, aut aliam ceremoniam, quâ ſe Iudæi expiabant? Si nolles Sacrificium expiationis facere, quo illi faciebant modo, an velles eorum holocauſta? Sacrificare nolles omnino, ſed cur porrò nolles; niſi quia ex æquo illa omniâ ſimul perinde ſunt vetita? At ſi ergo non minùs eſt vetitus ille prauus concupiſcentiæ motus, quo te impelli ſentis in peccatum, cur non ita refugis? ita execraris?

Dices fortè, non eſſe tam graue peccatum, conſentire concupiſcentiæ, quàm Iudaiſmo. Sit ita ſane, ſed an propterea licet conſentire concupiſcentiæ? an putas leuiora peccata non minùs eſſe vetita, & fugienda, quia ſunt leuiora? Facilius eſt illa quidem incurrere, ſed non propterea liberior conceſſa eſt incurrendi facultas: imò quo propenſio maior eſt & euidentius periculum, eo maior eſt adhibenda cautio vt euitetur, nec minor illa cautio eſſe deberet, quàm ſi de grauiori peccato, ſi de fide, ſi de Iudaiſmo ageretur. Multa quidem contrà opponet mundus, multa ſenſus deprauatus & inueterata conſuetudo; Verum ipſa eſt praua concupiſcentia, quæ nos ſic faſcinat, & infatuat, vnde hoc ipſum quod Iudæis Apoſtolus, nobis eſt

Digitized by Google

Gal. 3. applicandum: *O inſenſati, quis vos faſcinauit non obedire veritati, ante quorum oculos IESVS CHRISTVS praſcriptus eſt, in vobis crucifixus!* En videtis ipſum Ieſum velut proſcriptum, vt in vobis proſcribat veterem hominem; & eum reuocatis, quem proſcribit; neque vos mouet iſta Chriſti Ieſu, pendentis & Crucifixi ſpecies! Perge vlterius in hoc affectu.

Digitized by Google

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM,

NISI SIT SEPTVAGESIMA.

PARABOLÆ GRANI SINAPIS ET FERMENTI, QVIBVS VERITATES EVANGELICAE DESIGNANTVR.

Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus, cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor. Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. Matth. 13.

VERITAS PRACTICA.

Quò tibi veritates Euangelicæ minùs dignæ apparent quæ conſiderentur, hoc ipſo magis ſunt conſiderandæ.

RATIO EST, *Quia quò minus dignæ apparent Veritates Euangelicæ quæ conſiderentur, eo maior indicatur deprauatio tui*

Iudicij vel voluntatis.

Sed quò maior eſt talis deprauatio, hoc ipſo tibi Veritates illæ ſunt magis conſiderandæ.

Ergo & quò etiam minùs dignæ apparent quæ conſiderentur: Ac proinde ſtatuendum eſt aliquid certius de attenta earum Conſideratione, qui eſt ſcopus vtriuſque parabolæ in hodierno Euangelio propoſitæ.

I. PVNCTVM.

REGNVM *Cælorum*, quod grano ſinapis & fermento comparatur, *prædicatio Euangelij eſt, & notitia ſcripturarum, quæ ducit ad vitam, & de qua dicitur ad Iudæos: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Sic ſanctus Hieronymus, & alij paſſim Interpretes.

Hanc verò prædicationem Euangelij, & notitiam Scripturarum nos hîc breuiùs contrahimus in hæc Duo verba, *VERITATES EVANGELICAE*, quales ſunt præſertim Illæ quæ habentur Sermone Domini in monte habito: *Beati pauperes ſpiritu. Beati mites, beati qui lugent, qui patiuntur propter Iuſtitiam*, & quæ ſimiles ſupra ſenſum naturalem & humana Iudicia recenſentur.

Sunt illæ ſcilicet Veritates velut granum ſinapis aut fermentum; quæ res in ſe cùm ſint exiguæ, in magnas tamen euadunt, & miros producunt effectus. Sic planè nihil vilius aut abiectius humanis apparet ſenſibus, quàm illæ Propoſitiones ſeu Veritates Euangelicæ; quæ ſi tamen attentius conſiderentur, ſi credantur firmius, & in praxim reuocentur conſtantius, admirabiles in animis noſtris producunt fructus. Ne vnquam igitur deterrearis primo earum aſpectu ab ea conſideratione & æſtimatione, quam merentur, *Imò quo tibi minùs apparent dignæ quæ conſiderentur, hoc ipſo magis conſiderandæ ſunt.*

Nam vt habet allata ratio, quo minùs dignæ tibi apparent quæ conſiderentur, hoc ipſo magis indicatur eſſe deprauatum tuum iudicium, vel voluntas. Cur ſic enim minùs dignæ appa-

Digitized by Google

rent, niſi quia tu aliter ſentis de rebus quas continent, & aliter afficeris circa id quod perſuadent? Dicunt ſcilicet beatos pauperes, & miſeros diuites: Tu qui contra ſentis, miſeros eſſe pauperes, & beatos diuites; ſtatim reluctaris animo, & auerteris ab illis conſiderandis, & æſtimandis, tamquam à falſis & inanibus, aut quæ omnem ſuperent fidem. At nonne hoc indicat magnam deprauationem tui iudicij & voluntatis, vt quæ in Euangelio continentur, quæ ab ipſa Veritate & Sapientiâ pronunciantur, quæ ab vniuerſa recipiuntur Eccleſia, tu homunculus neſcio quis ſtatim atque de his audis, contrarium feras iudicium; & veritatem ipſam aut falſitatis condamnes, aut minùs dignam iudices, de quâ melius intelligendâ inquiras attentiùs & cognoſcas! O intolerandam hominis audaciam! O ſalutarem Chriſti, quondam loquentis admonitionem: *Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate.* Ioan. 8. Hinc nempe deprauatio iudicij, quando ex facie tantùm ſeu apparentia iudicatur, ſicut tu iudicas; hoc eſt enim iudicare ſecundum carnem, ſecundum concupiſcentiam, ſecundum ſenſus naturales & humanos, qui ab obiectis lenocinantibus quàm facilè corrumpuntur, tam facilè & ipſi corrumpunt iudicium animi & voluntatem. *Vos ſecundum carnem iudicatis, SPECIES decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* Ibid. Dan. 13.

II. PVNCTVM.

SED quo maior eſt talis deprauatio, hoc ipſo veritates Euangelicæ ſunt tibi magis conſiderandæ.

Neque enim velles in hac prauitate iudicij perſtare obſtinatus & contumax: ſatis quippe intelligis quale illud animæ & ſalutis detrimentum foret, ſi non niſi deprauato iudicio de tantis rebus ſentires. Nam cùm ex noſtro iudicio noſtri promanent affectus, ex affectibus componantur actiones, & ex noſtris actionibus tota vita dependeat, tota inde à Chriſto iudice iudicetur; quid ſequeretur ex tali tuo iudicio deprauato, niſi deprauata vita? & ex tali vita quid, niſi peſſima mors, & horrendum iudicium?

Hinc ergo emergere neceſſe eſt, & tam aperto malo remedium inquirendum. Non eſt autem aliud præſentius cum di-

uina gratia, quàm vt has ipſas veritates attentiùs conſideres expenſis omnibus circumſtantiis, quæ illas ſpectant, & quæ ſi diligenter expendantur, illas indubitatas oſtendunt & certiſſimas. *Quia ſi cognouiſſes & tu*, inquiebat flendo Chriſtus Dominus; ***nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis***; Quaſi diceret, ſi ſerio mecum conſiderares, quæ tibi mala ventura ſunt, profectò tu ea declinares, tu aliter de rebus iudicares & loquereris; Nunc verò cum nolis aduertere, nec te etiam malis eripies inde ſequentibus.

Luc. 19.

Sic olim Moſes: ***Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia, vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.*** Sic Propheta Ieremias: ***Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde.*** Expendendum illud ***recogitet***, & applicandum noſtro argumento: nempe non ſemel cogitet, non vt primò apparet, non vt ex prima iudicatur ſpecie ſeu apparentiâ; ſed recogitet, id eſt reducat iterum ad ſuam mentem; Cogitet Quis Veritates Illas Euangelicas pronuntiârit! Quàm ſancti, quàm omni fide digni ſint qui illas recipiant! quam è contra impij & infidi qui ſe illis opponant! Sic Apoſtolus, ***Recogitate eum:*** Iterúmque expendite, Quis ille ſit qui loquatur, verbo & exemplo, quod vobis proponitur. Si enim recogitetis illum eſſe Chriſtum, illum eſſe Deum, illum eſſe Veritatem infallibilem, qui nec falli poteſt nec fallere, quomodo non acquieſcetis? Quomodo non magis illi credetis quàm mundo, quàm carni, quàm Dæmoni qui ſunt illi tantum oppoſiti? ***Aut enim iſte fallitur aut mundus errat, ſed diuinam falli impoſſibile eſt ſapientiam.*** Quæ ſupra fuſius ex S. Bernardo tractata ſunt, hic obiter vero vt videas, quod ſi attentè Veritates Euangelicæ perpenderentur; deprauatum de his iudicium corrigeretur, atque idcirco etiam vt corrigatur, ſic attentius eſſe perpendendas.

Deut. 32. *Ier. 12.* *Hebr. 12.* *In nocte Nat. Dom.*

At tu fortè minus eas expendis, ne cogaris corrigere deprauatum iudicium tuum & affectum, adeo foues & diligis hanc deprauatam mentem tuam! Sed nonne hoc eſt ex illis eſſe qui dixerunt Deo: ***Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens vt ſeruiamus ei? & quid nobis prodeſt ſi orauerimus illum?*** Nemo quidem ſic loquitur: ſed quicumque Deum ſibi loquentem in ſcripturis non vult audire, ſic loqui dicitur.

Iob. 21.

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

QVO tibi ergo Veritates Euangelicæ minus dignæ apparent quæ conſiderentur, hoc ipſo magis conſiderandæ ſunt: Quia non niſi ex deprauatione Iudicij & affectus, minùs dignæ apparent quæ conſiderentur; & non niſi ex maiori & attentiori earum Veritatum conſideratione, deprauatio illa corrigi poteſt. Quamobrem quàm neceſſe eſt vt hæc corrigatur, tam neceſſaria omnino eſt illa maior attentio, & attentior earum conſideratio. ***Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.*** *Pſ. 77.* Idcirco, vt ait Euangeliſta, ***in parabolis Chriſtus loquebatur ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis:*** vt dum minùs Ipſe intelligeretur, magis acuerentur animi Auditorum ad eum intelligendum, magis ipſi inquirerent, perſcrutarentur & omni modo inueſtigarent, ſicut & ipſe admonebat, ***Qui habet aures audiendi, audiat; & qui legit intelligat.*** *Matth. 13. Ibid. 24.*

Idcirco etiam Parabola & ſimilitudo grani ſinapis & fermenti aſſumitur, quia vt habet gloſſa interlinearis de ſinapi, ***quanto plus teritur, tanto plus redolet:*** & fermentum non niſi multa manuum agitatione & operâ fermentatur: quæ ſunt aperta Symbola noſtræ mentis agitandæ, & multum verſandæ circa illas Veritates, quæ non niſi diligenter, & attentè perpenſæ, capiuntur.

Trahitur ſapientia de ocultis, inquit beatus Iob; ſed quomodo *Iob 28.* trahitur niſi frequenti meditatione, deſideriis ardentibus, & incenſis ſuſpiriis? Nulla via facilior ad intelligentiam rerum diuinarum & ſpiritualium, ſicut ille ſe expertum profitetur qui dicebat, ***Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.*** *Pſ. 118.* Quod ſi laborem in meditando times, cogita illud eſſe pretium quo veritas emitur, iuxta illud ſapientis; ***Veritem eme, & noli vendere Sapientiam.*** *Pr. 23.* Nonne res tam pretioſa tali digna eſt pretio? Adde, quòd ſi ſemel Veritatum illarum intelligentiam & amorem tibi comparaueris, nullus ſupererit in virtutum praxi labor, nulla moleſtia, ſed omnia tranquillè fluent. Hoc tibi pollicentem audi Dominum Deum tuum, & vide quid illi reſpondeas: ***Hæc dicit Dominus Redemptor tuus,*** *Iſ. 48.*

Digitized by Google

ſanctus Iſrael, ego Dominus Deus tuus; docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas. Vtinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet quaſi flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurges maris.

HVIC affinis eſt illa Veritas quæ ſupra in hac parte, Feria ſexta infra hebdomadam 2. poſt Epiphaniam declarata eſt:

Si quid nos reuocat à doctrina Chriſti, vel ob id maximè recipienda eſt.

QVIA de Conſideratione Veritatum opportunus hîc ſermo eſt, opportuna hîc etiam eſſe poſſet illa Veritas quæ ſupra refertur 29. Decembris.

Sicut diſcurſum noſtri intellectus ſtatim ſequi debet affectus voluntatis: Ita & affectum effectus, ſeu exequutio.

QVOD magis in doctrina Chriſti refugimus, illud magis eſſet quærendum: ſeu, quod idem eſt, quod magis eſſet quærendum in doctrina Chriſti magis illud refugimus, quia noſtri nobis placent morbi, neque his ſanari volumus: vnde ſatis hîc apta & appoſita proponi poteſt Veritas quæ habetur Feria 5. ſequentis huius hebdomadæ:

Quod grauius in te eſt malum, hoc minus vis curari.

CVM in minimis rebus Euangelica includantur Myſteria, certe rerum minimarum cura nobis commendatur, quò referri poſſunt hæ Veritates:

In paruis, maior eſt ſerui Dei fidelitas.

Habetur infra, Feria ſexta huius ſequentis hebdomadæ.

Cura rerum minimarum rem procurat omnium maximam.

Declaratur

Digitized by Google

Declaratur Sabbato infra hebdomadam quartam poſt Pentecoſten, in 3. parte.

Nec magna bene, ſi parua malè.

In eadem 3. parte, Feria 5. infra hebdomadam octauam, vbi hæ duæ ipſæ parabolæ de grano ſinapis & fermenti exponuntur.

DE Humilitate generoſa & magnifica, quæ his parabolis obuelatur.

Hæc eſt maximè laudabilis Humilitas, quæ ſic laudes fugit, vt laudanda non omittat.

Nullus eſt diues, Humili quantumuis paupere, magnificentior.

Habentur ambæ conſequenter in eadem 3. parte, Feria tertia & quarta, infra hebdomadam duodecimam.

Quæ de Humilitate plures alibi: Vide verbo Humilitas, *& in 4. parte, Dominicam 16.*

HAC HEBDOMADE, Myſteria quæ occurrunt conſideranda, continent ſex Chriſti Domini Titulos, ſeu Qualitates conſideratione digniſſimas, in totidem dies.

FERIA SECVNDA.

DE PRIMO DOMINI IN TEMPLVM INGRESSV, VNDE EIECIT VENDENTES, ET VBI OSTENDIT SE SVMMVM DOMINVM.

QVAE EST PRIMA EIVS CONSIDERANDA QVALITAS.

Digitized by Google

Cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo: & dixit, auferte iſta hinc. Ioan. 2.

VERITAS PRACTICA.

Quanto minùs murmuramus, aut omninò tacemus, flagellati à Domino, tantò altiùs altiſſimum eius Dominium prædicamus.

RATIO EST, *Quia quantò nos perfectiùs diuino Dominio ſubjicimus, tanto illud altiùs prædicamus.*

Sed quanto minùs murmuramus, aut omnino tacemus, flagellati à Domino, tunc perfectiùs nos diuino Dominio ſubjicimus.

Ergo & tunc tanto illud altiùs prædicamus. Quod certè eſt commendandum.

I. PVNCTVM.

NONDVM in primariam Paleſtinæ Ciuitatem ingreſſus erat Dominus, ex quo cæpit inter homines conuerſari, & palam omnibus prædicare; ſed ſe in Galilæa continuerat, vbi quæcumque hactenus conſiderata ſunt, geſta leguntur. Nunc autem, *cùm propè eſſet Paſcha Iudaeorum,* inquit Euangeliſta, *aſcendit Ieſus Ieroſolymam, & inuenit in templo vendentes oues & boues, & columbas, & nummularios ſedentes; & cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & Nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit, & his qui columbas vendebant, dixit; auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.* (*Ioan. 2.*)

Expende ſingula, & mirare Potentiam, quam primo hoc ingreſſu Iudæis voluit manifeſtare. *Maior hìc demonſtrata eſt potentia,* inquit Origenes, *quàm in miraculo mutationis aquæ in vinum: illic enim inanimata ſubſiſtit materia, hìc vero hominum domantur ingenia.* Et ſanctus Hieronymus: *Mihi inter omnia Domini ſigna, hoc videtur mirabilius, quòd homo tantopere contemptibilis illo tem-*

pore: Scribis & Pharizæis contrà ſæuientibus, vno flagello tantam potuit eiicere multitudinem. Igneum quiddam & ſydereum radiabat ex oculis, & Diuinitatis maieſtas lucebat in facie, quando ſcilicet ſic volebat indicare ſuum Dominium & ſuam exercere Potentiam. Nunc verò licèt abſens corpore, ſic ſæpe nobiſcum agit, ſic ſuum nobis manifeſtat Dominium, ſic flagellum de funiculis vanitatum, vt Propheta loquitur, ipſe facit, & eiiciens de templo cordis noſtri mundana & profana, *Auferte*, inquit, *iſta hinc*. Tum verò ad corpus ſeu externa bona, & quidquid noſtrum eſt ſe extendens, ſæpe euertit & effundit, quod male ſtruxeramus. Sic ſanctus Auguſtinus: *Prorſus ad Deum tuum, refer flagellum tuum.* Quomodo refers? quomodo suffers? an illum agnoſcis Dominum? an de ſummo eius Dominio ſentis & loqueris, vt ſentire par eſt? Agnoſce ex Veritate propoſita & declaranda: *Quanto enim minùs murmuramus, aut omnino tacemus flagellati à Domino, tanto altiùs altiſſimum eius Dominium prædicamus.*

Iſ. 5.

In Pſ. 31.

Sic porro declaratur: Quanto perfectius Diuino nos Dominio ſubiicimus, tanto illud altiùs prædicamus. Tres quippe modi ſunt, quibus de Deo, diuiníſque eius Attributis quid ſentiamus, expromere poſſumus. Primus, cùm de his verba facimus, & quantum in nobis eſt dignè & magnificè coram loquimur. *Beatus, & ſolus potens, REX Regum, & Dominus Dominantium.* Secundus, cùm ipſi nos ad Deum affectum noſtrum promimus: *Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati: Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat maieſtati tuæ.* Tertius denique, cùm reipſa nos diuino eius Dominio ſubiicimus, tunc opere magis loquimur, quàm vllis verbis, in hac potiſſimùm materia, vbi ſatis facile eſt dicere, Domine, Domine; ſed quando difficultas occurrit in colendo eius Dominio ſeu facienda voluntate, tunc reuera indicatur, quis illum agnoſcat Dominum, & quantò tùm perfectius, quis ſe Diuinæ illius Voluntati & Poteſtati ſubmittit, tunc altiùs prædicat, quàm ſit altum & ſummum eius Dominium, cui non poſſit reſiſtere, licèt velit; & cui nolit reſiſtere, licèt poſſit. *Seruus meus es tu, Iſrael, quia in te gloriabor*; Quando me ſcilicet verè Dominum tuum agnoſces: Tunc enim eſt gloria Domini, quando verè agnoſcitur Dominus; Et certè magna eſt etiam ſerui gloria, ſic Dominum poſſe agnoſcere,

1. Tim. 6. Apoc. 17. & 19.

Mardochæus. Eſther 13.

Iſ. 49.

Pſ. 105. vt inde glorietur: *Vt confiteamur Nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua.*

II. PVNCTVM.

SED quanto minùs murmuramus, aut omnino tacemus flagellati à Domino, tunc perfectiùs nos diuino eius Dominio ſubjicimus.

Tres ſunt etiam modi, quibus hæc ſubiectio à tribus hominum generibus in aduerſitate redditur. Primò, cùm qui aduerſis premuntur, dolent vehementer, & nonnihil murmurant; ſed Deum tamen reuerentur, nec irrumpunt in illas blaſphemiæ, & grauiorum murmurum voces, quas effundunt hi, qui nullo Dei

1. Cor. 10. timore coercentur. *Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & ab exterminatore perierunt:* inquit Apoſtolus loquens de Iſraelitis, quorum murmur fuit grauiſſimum, à quo qui ſe temperârit in aduerſis, dicetur ſe ſubiicere Deo, licèt alioquin de ſuis ille aduerſis grauiter doleat.

Secundò, cum in aduerſis poſiti non murmurant quidem de Deo, quem Bonum & Iuſtum norunt, ſicque ſe illi ſubiiciunt: ſed dolentes de aduerſitate, dolorem ſuum exprimunt & exprimendo augent, vel leniunt aliquando narratione ſuæ miſeriæ:

Tob. 10. *Heu heu me fili mi! vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ!* Sic pluribus abſentiam filij ſui Tobiæ, deflebat Mater.

Tertiò denique cùm neque murmure, neque fletu, nec vlla vocis acerbitate mouemur in aduerſis, ſed vel omnino tacentes, ſi qui rebelles animi motus inſurgant, ſilentio reprimimus, vel ſi quid loquimur, non niſi ad reprimendos alios nobis grauius indolentes loquimur: ſicut Tobias pater coniugem ſuam admo-

Ibid. 3. nebat: *Tace, & noli turbari, ſanus eſt filius noſter, ſatis fidelis eſt vir ille, cum quo miſimus eum.* Tunc perfecta iſta ſubiectio, tunc perfectiùs nos diuino Dominio ſubiicimus, quia ſic anima & corpore atque adeo nobis totis nos illi ſubmittimus: ſic intellectum, voluntatem, & omnes affectus circa illa bona, quorum iacturam facimus, vnâ linguæ continentiâ, Deo conſecramus;

Iac. 3. Nam, vt ait ſanctus Iacobus, *lingua conſtituitur in membris noſtris,* Id eſt, ſic loquimur pro vnaquaque parte corporis, aut animi noſtri, quaſi pars illa linguata eſſet, quaſi lingua illic eſſet, quæ

Digitized by Google

ius illius partis, ſi fortè læditur, tueatur. Quamobrem ſi lingua contineatur, cæteræ omnes partes continentur. Potens eſt ille vir continens linguæ ſuæ, *etiam fræno circumducere totum corpus*, ait idem ſanctus Apoſtolus. Sicque patet quàm perfectè & integrè, dum ſilemus in aduerſis, nos diuinæ ſubiicimus poteſtati. *Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.* Itane ſilendo loqueris? Itane loquendo ſiles? *Ibid.* *Pſ. 38.*

III. PVNCTVM.

QVANTO igitur minùs murmuramus, aut omnino tacemus flagellati à Domino, tanto altiùs altiſſimum eius Dominium prædicamus; quia ſic perfectiùs nos illi ſubiicimus, ſicque ſubiecti, tacentes magis loquimur, quàm ſi non ita ſubiecti, longos de Diuino Dominio ſermones haberemus. *Vide vt ſileas*: Hoc imprimis dictum à Propheta, Regi afflictiſſimo, quod ſi ſeruaret, futurum certò erat, vt afflictione quantocyus liber euaderet. Hoc etiam euidenter demonſtratur in beato illo Iobo, qui cum multa de Deo ſanè piè & ſapienter; ac nonnulla de ſe cum amicis ſuis egiſſet, ab ipſo tamen Deo tam ſeuere eſt admonitus, vt pœnituerit loquutum eſſe: *Inſipienter*, inquit, *loquutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam; Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pænitentiam in fauilla & cinere.* *Iſ. 7.* *Iob 42.*

Denique quid illuſtrius ad veritatis Confirmationem, quàm quod in Apocalypſi cuidam in aduerſis tacenti dicitur: *Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum, tentare habitantes in terra.* Tentatio illa fuit ingens perſecutio ſub Trajano, in qua multi fideles defecerunt à fide; neque hic forte fuiſſet conſtantior, niſi ſingulari Dei protectione ſeruatus eſſet; hanc vero meruit protectionem ſuâ patientiâ, & patientiam teſtatus eſt ſuo ſilentio; O ſilentium omni linguâ diſertius! *Apoc. 13.*

Vide quàm grauiter & quàm ſæpe contrà pecces; *Hæc dicit Dominus Deus; Vſquequò non vis ſubjici mihi?* Si vero numquam certiùs te illi ſubiicies, quàm ſi flagellatus taces, vſquequo murmurabis? vſquequò non ſilebis? An doles te à Deo patre in filium recipi? *At flagellat omnem filium quem recipit*, inquit Apoſtolus; Rurſúmque alibi: *Omnia facite ſine murmurationibus, &* *Exod. 10.* *Hebr. 12.*

Digitized by Google

Phil. 2. *haſitationibus vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei.* Quaſi diceret: hæc eſt certa nota, ſi flagellatus non murmuraueris. *Quaſi*
1. Pet. 1. *filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantia veſtra deſideriis.*

FERIA TERTIA.

DE COLLOQVIO NICODEMI CVM DOMINO IESV, QVI SE TVM VERE MAGISTRVM OSTENDIT.

Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti, Magiſter. Ioan. 3.

VERITAS PRACTICA.

Qui non renuntiat omnibus, non poteſt eſſe Chriſti Diſcipulus.

RATIO hæc eſt inter alias, quòd oportet Chriſti diſcipulum eſſe docilem & tractabilem, ſiue vt docentem Magiſtrum audiat, ſiue vt auditis credat, ſeu denique vt quod credit exequatur.

Sed niſi diſcipulus renunciet omnibus, non erit ita docilis.

Ergo nec erit etiam Chriſti diſcipulus: Quamobrem acceptanda renuntiatio, quæ proponitur, aut renuntiandum Chriſto Magiſtro.

I. PVNCTVM.

REMANSIT in vrbe Ieroſolyma, Chriſtus Dominus per dies feſtos Paſchæ, ibíque tùm pluribus editis miraculis, multos è Iudæis ad ſe conuertit, quos inter Nobi-

liſſimus ille eſt, de quo ſic Euangeliſta ſanctus Ioannes: *Erat autem homo, ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum: hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei; Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti, magiſter, nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.*

Tùm vero multis ei reſpondit Dominus Ieſus, quæ videri poſſunt, quibus ita permotus eſt Nicodemus, vt ſe deinceps diſcipulum eius palam profeſſus fuerit, & conſtanter pro eo contra Iudæos ſteterit, atque etiam Apoſtolis in fugam lapſis, audacter *Ioan. 7.*
ipſe cum Arimathæano Ioſepho, corpus Domini Crucifixi de *Ibid. 19*
cruce depoſuerit, & aromatibus conditum ſepelierit.

Admiranda quidem huius diſcipuli docilitas, qui tam facilem ſe præſtiterit ſuo Magiſtro, ſed magis admiranda Magiſtri dignitas, authoritas, ſapientia, bonitas & potentia, qui tam breui tempore tales formet diſcipulos. Tu tamen anime, qui hoc Magiſtro gaudes, vnde tam parum proficis? Fortè id defectu Veritatis propoſitæ, cui quantum tibi neceſſe eſſet, non te ſatis conformas. Vniuerſalis enim eſt & fixa Magiſtri ſententia, *Quòd omnis qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non po-* *Luc. 14.*
teſt eius eſſe diſcipulus. Ipſe eſt diuinus Magiſter, ipſa eſt Veritas, quæ hoc Effatum protulit; quando nulla ſuccurreret dicti ratio, ſufficit ſic dictum eſſe vt credatur: ſufficit ſic imperatum eſſe vt impleatur. Neque verò deſunt rationes, quæ id demonſtrent; Atque hæc inter alias videtur expendenda; Quòd oportet Chriſti diſcipulum eſſe docilem & tractabilem, ſiue vt docentem quietè audiat, ſiue vt auditis non reluctanter credat, ſiue vt quæ credit & quæ opere complenda ſunt, conſtanter impleat. Quæ cùm de omnibus diſcipulis erga quemuis magiſtrum dici poſſint, tum de Chriſti diſcipulis vel maxime, quòd quæ ſuis Chriſtus proponit, tam ſublimia ſunt, & ſupra omnẽ intelligendi facultatem; vt niſi diſcipulus ſit valdè docilis, numquam dicenti credat; *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum au-* *Ioan. 6.*
dire? dicebant illi indociles. Adde quod, etſi audiretur, & quantùm eſt ex parte intellectus, crederetur: durus tamen ita eſt ſermo voluntati, vt ne repugnet dictis, docilitas tam ſit neceſſaria, quàm facilis eſt alioquin voluntatis repugnantia. *Et non* *Ioan. 5.*
vultis venire ad me, vt vitam habeatis!

Atque hinc Prophetæ, hanc præcipue docilitatem, vel futu-

ram prædixerunt, vel vt neceſſariam denuntiarunt, vnde ipſe Dominus & Magiſter: *Eſt*, inquit, *ſcriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei:* non quòd omnes futuri ſint tales, ſed quòd omnes qui velint eius eſſe diſcipuli, tales vt ſint neceſſe ſit; Numquid vis eius diſcipulus fieri? Numquid vis fieri, quod ita neceſſe eſt fieri, vt niſi fiat, non ſis Chriſti diſcipulus?

Iſ. 54.
Ioan. 6.

II. PVNCTVM.

SED *niſi quis renuntiet omnibus, non erit Chriſto docilis.* Nam primò quidem non erit docilis circa hoc primum documentum, quo iubetur à Chriſto renuntiare omnibus. Deinde verò ſi ſe indocilem ita præſtet, vt iubenti Magiſtro renuntiare omnibus, non renuntiet; ſed ſibi reſeruet aliquid vel effectu vel affectu, profectò circa hoc etiam quod reſeruat erit indocilis, quando quid in particulari iubebitur quod illud ſpectet. Nam quamdiu erit inordinatus rei affectus, tamdiu erit indocilitas voluntatis, quæ non patietur tangi quod nimis diligit; Atque hæc indocilitas tam dura erit & pertinax, vt intellectum ad ſe pertrahat, & indocilem reddat ad credendum, quod alioquin facile crederet, ſi à peruerſa voluntate non peruerteretur.

Ioan. 3.

Hoc videlicet eſt, quod Magiſter noſter Nicodemum docebat dicens; *hoc eſt iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim eorum mala opera; omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius,* Id eſt, quando quis ita affectus eſt circa obiectum aliquod peccati, vt affectum nolit deponere: non vult cognoſcere ibi eſſe peccatum, ne hac cognitione cogatur affectum deponere, ſicque voluntas indocilis impedit intellectum, ne ſe docilem præſtet: ac proinde nulla eſt docilitas animi, niſi voluntas renuntiet vel his affectibus quibus detinetur, vel his mundanis rebus, quæ tales affectus excitant & nutriunt.

Luc. 8.
Eccleſi. 32.

Hæ ſunt fatales ſpinæ, quæ ſuffocant verbum Dei, ne fructum ferat: hæc ſunt zizania ſeminata in medio tritici. Hæc eſt via ruinæ & via laborioſa cui non eſt credendum ex cõſilio Sapientis, vt non offendas in lapides, & ne ponas animæ tuæ ſcandalum, id eſt, obſtacula & impedimenta fidei ac ſalutis.

Non

Digitized by Google

Non credes Euangelio, non credes dicenti Chriſto, ſi quid dixerit contra id quod ita diligis, & ita poſſides, vt ei renuntiare nolis. Teſtis ille adoleſcens, qui affixus bonis ſuis non credidit ſe reperturum theſaurum in cœlo ſi terrena deſpiceret. Teſtes illi qui Dominum contra diuitias diſputantem deridebant, *qui ſcilicet erant auari*, vt expreſſè refert Euangeliſta. Omnes illi denique teſtes, quibus exprobrabat, *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à Deo ſolo eſt non quæritis?* *Matth. 19.* *Luc. 16.* *Ioan. 5.*

Sicut ait de ſtulto Sapiens; *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi dixeris ea quæ verſantur in corde ſuo*: Ita planè de omni inordinato affectu; Vix aliud perſuaderi poteſt quàm quod diligitur. Præoccupata Mens eſt quæ vix vlli locum relinquat rationi & fidei. Nauis eſt anchorâ & funibus alligata certo cuidam loco, vnde ſe mouere non poteſt, quocumque aſpirante vento. Non eſt hoc eſſe tractabilem, non eſt hoc eſſe docilem, Væ nobis ſi tales habuiſſemus Apoſtolos. *Pr. 18.*

III. PVNCTVM.

QVI non ergo renuntiat omnibus, non poteſt eſſe Chriſti Diſcipulus, Quia non poteſt eſſe docilis, qualem oportet eſſe Chriſti diſcipulum: Vnde pridem Iſaias, *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.* Hi nempe ſunt dociles qui ſunt à ſuis abſtracti cupiditatibus, qui nulla re interna vel externa detinentur quin audiant & ſequantur docentem Chriſtum, qui propterea ſuis dicebat: *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Quaſi diceret, multi ſe dicunt diſcipulos meos, aut tales apparent, qui verè non ſunt. Nam hi verè ſunt diſcipuli, qui cùm audierint ſermonem meum, ſe ita dociles reddunt, vt ei credant & acquieſcant, quia ſic à me audierunt, licèt non capiant, licèt non intelligant, hoc vnum ſciunt, quod Chriſtus hoc dixerit & imperarit, & ſatis illis eſt ad obſequendum. Tum verò illi pòſt cognoſcent veritatem quam non intellexerant, antequam crederent: & cognita veritas ita confirmabit eos in fide & charitate, vt planè liberet intellectum non modò ab omni errore contrario, & voluntatem *Iſ. 28.* *Ioan. 8.*

Digitized by Google

ab omni affectu oppoſito; ſed etiam ab aduerſariis, & his inimicis qui contrà ſolent eos impugnare. Vide in 2. parte, Feria 2. infra Hebdomadam 4. poſt Paſcha, vbi hæc proponitur Veritas: Non eſt prius intelligendum vt credas, ſed primo credendum eſt, vt poſt intelligas.

Egregia verò eſt huius perfectæ docilitatis & renuntiationis forma in Propheta qui de ſe ait, aut de Chriſto in perſona ſua. *Iſ. 50.* *Dominus meus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me: Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus: Ideo poſui faciem meam vt petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar; Iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me, ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis eſt qui condemnet me?*

In his enim tria ſunt, quæ rem omnem conficiant. Primum eſt docilitas intellectus; *Ego autem non contradico.* Deinde voluntatis in rebus difficillimis, & vbi apparet manifeſta renuntiatio rerum cariſſimarum. *Corpus meum dedi percutientibus.* Denique ſi quid contrà intellectui & voluntati opponatur, hoc vnum reſponderi debet, quia ſic Dominus verbo & exemplo & auxilio, quo vno duce fretus nihil expaueſcat. Quid enim opponi poſſit contra verum Chriſti diſcipulum, quod non ipſi Chriſto poſſet opponi? At quid Chriſto poſſit opponi, quod non verus eius diſcipulus velit profiteri? *Matth. 10.* *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſeruus ſuper Dominum ſuum; ſufficit diſcipulo, vt ſit ſicut Magiſter eius, & ſeruo ſicut Dominus eius.* Velleſne ſupra eſſe? Ergo aut infrà, aut ſicut ille: ſicut ille ſuis omnibus renuntiauit; ſic te oportet tuis, ne ſit ſupra Magiſtrum Diſcipulus.

FERIA QVARTA.

DE ACCVSATIS A PHARISÆIS, APOSTOLIS, QVOS CHRISTVS DOMINVS

Digitized by Google

VT SVPREMVS IVDEX ABSOLVIT, ET ACCVSANTES CONDEMNAT.

Ecce quid faciunt diſcipuli tui Sabbatis, quod non licet. Marc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Qui nimis humana timet iudicia, non ſatis reueretur Diuina.

RATIO EST, Quia qui nimis humana timet iudicia, hoc timore ſæpius permouetur ad omittendum vel committendum aliquid contra Deum.

Sed quiſquis ita permouetur contra Deum, non reueretur diuina Iudicia.

Ergo neque ille qui nimis humana timet. Et tamen quanti ſunt in hoc nimio & peruerſo timore?

I. PVNCTVM.

IN id vnum videbantur intenti Phariſæi, vt modò accuſarent Magiſtrum apud diſcipulos: modò diſcipulos apud Magiſtrum: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Matth. 9. Sic paulò antè audiuimus eos de Magiſtro conquerentes. Nunc verò cum fortè diſcipuli Sabbato per ſata, ſiue per ſegetes iter haberent, & famem euulſis manu ſpicis ſolarentur: *Ecce*, inquiunt, *diſcipuli tui faciunt quod non licet.* At Dominus factorum omnium & dictorum Cognitor ac ſupremus Iudex, latâ ſententiâ declarat innocentes diſcipulos: Et accuſatos abſoluens, condemnat Phariſæos accuſantes. *Sic* Act. 10. *ipſe eſt conſtitutus à Deo Iudex viuorum & mortuorum. SIC ipſe eſt* Iſ. 33. *Dominus Iudex noſter, Legifer noſter, Rex noſter*, Sic ipſe denique de ſe ipſo: *Pater omne iudicium dedit Filio, vt honorificent* Ioan. 5.

Digitized by Google

omnes Filium, ſicut honorificant patrem.

Honorem illi exhibe vt Iudici, agnoſce quàm perfectè poſſideat omnes Iudicis partes ſeu qualitates; Iuriſdictionem, Scientiam, Æquitatem & alias. O ſumme Iudex, quis de his dubitet? Et tamen anime quàm parum reueremur eius iudicia! *Certè qui nimis humana timet, non ſatis reueretur diuina,* Et apertè ſentimus, quantùm humana timeamus.

Inordinatus vtrimque timor, & quâ parte deficit, & quâ excedit. Ad ſuum itaque medium vt reuocetur, expende quid ſit quod qui nimis humana timet iudicia, non ſatis reueretur diuina. Nempe hoc habet humanus timor, vt ne incidat in hominum iudicia, multa committat vel omittat contra diuinas leges. Sunt enim hæ diuinæ leges vel poſitiuæ omnes, vel negatiuæ, id eſt vel aliquid præcipiunt faciendum, vel prohibent ne quid fiat. In vtroque autem ſæpe aliter ſentiunt & iudicant homines, ac diuinæ ferunt leges: ſæpè homines damnant, quod probat & præcipit Deus; ſæpe etiam id eſt gratius hominibus,
Iſ. 55. quod odioſum eſt Deo: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus.* Atque hinc fit, vt qui nimis humana timet iudicia, omittat illud
Ioan. 12. quod præcipit Deus, vel committat quo prohibet, ne humano videlicet damnetur iudicio. *Dilexerunt,* inquit, *gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei*; Id eſt, maluerunt placere hominibus, aut magis timuerunt illis diſplicere, quàm Deo.
Ib. 29. Vnde licèt crederent Chriſto, non audebant tamen propter Phariſæos confiteri, *vt è Synagoga non ejicerentur*; O peruer-
Apoc. 21. ſum timorem! *Timidis & incredulis pars illorum erit in ſtagno ardenti igne.*

II. PVNCTVM.

SED quiſquis ita mouetur contra Deum, vt vel omittat quod præcipit, vel committat quod prohibet, non ſatis reueretur diuina iudicia.

Imò nec omnino reueretur, cùm apertè peccet in Deum, & ideo tantum peccet, vt placeat vel ne diſpliceat hominibus. Tum enim duo ſimul concurrunt, quæ diuinam offenſionem augent, vel plurimùm. Primum eſt culpa, quæ vel omiſſione

Digitized by Google

vel commiſſione contrahitur. Alterum eſt cauſa culpæ, nempe hominum maior metus & cultus, quàm Dei, quod poſtremum per ſe ſolũ valde iniurioſum eſt Deo. *Quid eſt homo,* inquit Sapiẽs, *& quæ eſt gratia illius? Et quid eſt bonum aut quid nequam illius?* Quaſi diceret, quid ſperandum boni, aut timendum mali ab homine, quod non magis à Deo ſperetur vel timeatur? Vnde ſi quis ſpe aliqua boni, vel timore mali prætulit hominem Deo, Deum valde offendit, à quo longè alia ſperanda eſſent bona, vel timenda mala. *De ore tuo te iudico ſerue nequam:* hoc illi diuinus dicet Iudex, nempe qui timore mali permoueris, quare non magis timuiſti malum, quod à me tibi grauius imminebat, quàm ab illo quem mihi prætuliſti? Eccleſi. 18. Luc. 19.

Atque hinc ſententia damnationis, quæ iam prolata eſt, *Duplicate duplicia ſecundum opera eius: in poculo quo miſcuit, miſcete illi duplum,* Id eſt, augete illi duplo pœnam pro illo peccato, quod timore hominum fecit, duplicetur pœna damni, duplicetur pœna ſenſus & omnia duplicentur, quia nimis timuit timendo homines, & non ſatis timuit non timendo Deum. Apoc. 18.

Satinne hæc grauia & pauenda, vt agnoſcas quàm grauiter ſe offenſum propterea demonſtret Deus, quod humano metu offendatur?

III. PVNCTVM.

Q*VI nimis igitur humana timet iudicia, non ſatis reueretur diuina;* Cùm ex humano illo metu multa peccet in Deum, quæ tanto certè grauiora ſunt, quanto Deus magis erat timendus, quàm homo cui præfertur. *Dico vobis amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant: oſtendam autem vobis quem timeatis, timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis hunc timete.* Luc. 12.

Sic timebat ille qui ab amicis importunè ſolicitatus, vt contra religionem humanis ſe tantiſper accommodaret iudiciis; *Etſi,* inquit, *in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam.* Sic de aliis Martyribus S. Ambroſius explicans illud Dauidis, *Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis trepidauit cor meum. PONE.* Eleazarus 2. Mach. 6. Pſ. 118.

Digitized by Google

inquit, *martyrem inter pericula conſtitutum, cùm inde immanitas beſtiarum ad incutiendum tremorem infremat, aliunde ſtridor candentium laminarum & flamma fornacis ardentis exaſtuet: ex parte alia perſonent tractus grauium catenarum, hinc carnifex cruentus aſſiſtat. Pone inquam circunſpectantem omnia plena ſuppliciis, deinde cogitantem mandata diuina, illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudeſcentis ærumnam; trepidare corde, ne dum præſentibus cedat, perpetuis ſe dedat exitiis; perturbari animo, dum futuri iudicij romphæam illam terribilem, quadam conſpectus ſpecie contuetur.*

Hoc eſt ſcilicet remedium inordinati timoris humani, diuinum ſibi grauiorem proponere; Neque id verò tantum, cùm de fide agitur, ſed in quolibet peccati caſu, qui frequentiſſimus

Prou. 29. eſt timenti nimis homines, iuxta illud Sapientis; *Qui timet ho-*

1. Cor. 4. *minem, cito corruet.* Ah quoties ſic corruiſti? Expende; Sic porrò Apoſtolus ſe contrà muniebat: *mihi pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque meipſum iudico: qui autem iu-*

Gal. 1. *dicat me, Dominus eſt*; Et alibi. *An quæro hominibus placere? ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Rurſúmque

1. Theſſ. 2. idem, *Ita loquimur non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra.*

Omnino vide libri tertij de Imit. Chr. caput triceſimum ſex-

Pſ. 118. tum. Et frequenter ora cum Dauide: *Iudica iudicium meum, & redime me.*

FERIA QVINTA.

DE SANITATE RESTITVTA OMNIBVS AD CHRISTVM ACCEDENTIBVS, QVI SE MEDICVM ANIMARVM AEQVE AC CORPORVM FECIT.

Multos enim ſanabat, itaut irruerent in eum, vt

eum tangerent, quotquot habebant plagas. Marci 3.

VERITAS PRACTICA.

Fruſtra multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi; *Ier. 46.* Quod grauius in te eſt malum, hoc minùs vis ſanari.

RATIO *poſtremæ partis quæ ſola difficultatem habet, hæc eſt inter alias, quia quod grauius in te malum eſt, quódque maximè Medicus tuus Chriſtus ſanare vult, eſt affectio quædam vehementior.*

Sed illa eſt, quam minus vis ſanari, & in qua curanda magis ei reſiſtis.

Ergo & quod grauius in te eſt malum, hoc minùs vis ſanari; ac proinde illud Ieremiæ facile ſequitur: fruſtra multiplicas medicamina; ſanitas non erit tibi. *Quod certè eſt expaueſcendum.*

I. PVNCTVM.

FREQVENTISSIMA eſt & penè quotidiana repræſentatio ſanitatis reſtitutæ à Chriſto Domino variis ægris, & malè habentibus quocumque genere morbi: Verùm hic apparent tria, quæ conſiderationem noſtram præcipuè figant & detineant in hac materia. Primum eſt quod *Matth. 12.* cùm Dominus ingreſſus eſſet Synagogam die Sabbati, ibique *Marc. 3.* homo eſſet habens manum aridam, obſeruabant Dominum ad- *Luc. 6.* uerſarij, ſi Sabbatis curaret, vt accuſarent illum. Tùm verò Ieſus hominem in medium venire iuſſit, & vt luculentior eſſet ſanitatis reſtitutio, coram omnibus eum ſanat, docétque omnes, adeo nihil eſſe, quod arguatur ſi ſanandis morbis operetur die feſto, vt vel maximè tam pium & religioſum opus tum ſit

pattrandum. Quo ſanè dicto & facto ſi vmquam alias, Medicum ſeſe profeſſus eſt, & hanc beneficentiæ ſuæ exercitationem quanti æſtimaret, planè indicauit.

Secundum verò quod aduertas; cùm nihilomnus Phariſæi non deſinerent murmurare, infrendere, & grauius aliquid meditari contra Dominum Ieſum; ne fortè propterea retardarentur Infirmi ab eo conueniendo, ſeceſſit inde in commodiorem locum, quò ſtatim omnes malè habentes confluxerunt & ſanati ſunt. Tertium denique, tanta erat ſanitatis recipiendæ facilitas, vt ſi vel leuiter eum tangerent, illico corpore curarentur & animo. O potentiam medici! ô bonitatem! quid eſt ergo anima mea, cur nondum ſanati ſumus, qui tam frequenter ad illum ipſum medicum accedimus, & tam multa medicamina ſumimus? Audi & contremiſce: *Quod grauius in te eſt malum, hoc minùs vis ſanari.* Fruſtra multiplicas medicamina, fruſtra medicum conſulis, quia quem vellet magis ſanare morbum, tu contrà reniteris, atque in hoc ſanando morbo, magis ei reſiſtis.

Quod ſanè ſi verum eſt, vides quàm ſit luctuoſum & tremendum: Quam verò id ſit verum, aperta eſt ratio; Quia quod grauius in nobis eſt malum, eſt affectio quædam vehementior circa quoduis obiectum, ſiue ſit complacentiæ, ſiue diſplicentiæ & auerſionis, ſiue in vanitatem alliciat, ſiue in voluptatem, aut in terrenas commoditates, ſiue in amicitiam perſonarum, ſiue in odium; quæcumque tandem ſit illa vehementior animi affectio, tu ipſe videris, illa eſt grauius animi malum, quia magis damnoſa eſt, magis intrinſeca eſt, magis cognita, magis voluntaria, magis occupat animum, magis intellectum obſtruit, magis voluntatem acuit ad crebriores, & vehementiores actus producendos, magis memoriam replet, & cæteras omnes animi operatio-
Pſ. 72. nes in ſe transformat. *Tranſierunt in affectum cordis:* hæc eſt prauitas cordis, hæc eſt propria concupiſcentia, iuxta quam ambu-
Iac. 1. lare dicuntur, qui ambulant in interitum ſuum; hoc eſt pecca-
2. Pet. 3. 1. Ioan. 5. tum ad mortem, de quo ſanctus Ioannes, & de quo ipſe Domi-
Ioan. 8. nus: In peccato veſtro moriemini, niſi ſcilicet opportunum adhibeatis remedium.

Ac propterea facile eſt cogitare, quàm prima & præcipua hæc ſit cura Medici animarum Ieſu, circa hoc grauius malum. Siue enim ſuam gloriam reſpiciat in curatione animæ, ſiue ipſius animæ

animæ bonum; certè vtriuſque intereſt, vt quod eſt grauius primò curetur. Nam, vt ait Sapiens, *languor prolixus grauat medicum: Breuem languorem præcidit medicus*, Id eſt, peritus in hac arte, in hoc oſtendit peritiam ſuam, ſi præcidat morbum: præcidit autem, cùm ad radicem & grauitatem mali quamprimùm ſe applicat. Vnde licet minores quidam morbi augeantur, ſi tamen curetur grauior, tum curari & ſanari infirmus dicitur. Sic planè in morbis animi, ſic præciduntur, quando quod eſt in infirmo grauius primò curatur, ſicque etiam permittuntur minora quædam mala, vt grauiora ſanentur; Quod expreſsè ſanctus Thomas poſt ſanctum Auguſtinum, refert de peccato immunditiæ ad remedium latentis ſuperbiæ, quæ vix alioquin curetur. Numquid is forte eſt grauior morbus tuus? Numquid à ſuperbia vel voluptate, plaga tua damnoſior? *Vide vias tuas in conualle; ſcito quid feceris, curſor leuis explicans alas ſuas.*

Eccleſi 10.

2. 2. q. 162. a. 6. ad 3.

Ier. 2.

II. PVNCTVM.

SED *illa eſt affectio, ille eſt morbus, quem minùs vis ſanari, & in quo curando magis reſiſtis Chriſto.*

Nam illa ipſa ratio ſeu cauſa, quâ fit vt affectio illa ſit in te vehementior, facit etiam vt in ea curanda magis reſiſtas. Quænam eſt enim illa cauſa, niſi natura deprauata, ſeu inclinatio naturalis & temperamentum proprium, quo in illud connaturale obiectum magis moueris, quàm in aliud? Atqui illa ipſa eſt naturalis inclinatio, quæ ſeſe opponit remediis, & quò eſt naturaliter vehementior, eo vehementiùs ſeſe opponit. Quod eſt enim magis naturale & proprium, tam alte infixum eſt & inſitum in ipſo animo, vt vix deponi poſſit; vix ſuadetur eſſe malum, vix aduertitur quoties in illud peccetur; vix creditur fieri poſſe etiam cum gratia, vt inde animus auertatur; adeo placet illud obiectum, vel oppoſitum diſplicet, vt ſtatim ex propoſita ſpecie, affectio moueatur in amorem vel odium, vnde cæteræ paſſiones excitantur, quibus ita implicatur animus, vt vix locus ſuperſit Gratiæ & libertati ad recipiendam ſanitatem.

Cùm ſanare vellem Iſrael, reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium, & fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris.

Oſee 7.

Tria iſta, *Iſrael, Ephraim & Samaria*, pro eodem à Propheta ponuntur: & ſenſus eſt, tunc apparere iniquitatem & malitiam peccatoris, cùm ſanatur à Deo: quia cum ſanare vellet Deus quod in ipſo grauius eſt, in hoc ipſo magis ei reſiſtit, quod eſt propriè, & verè eſſe malum ſeu iniquum & peccatorem grauiſſimum. Deinde verò quia peccator petit à Deo ſanitatem, & nonnulla etiam ſibi facere videtur ad hunc finem, quia tamen non facit quæ vellet Deus, idcirco operatur mendacium, mendax eſt & ſimulatus in ſua illa prætenta voluntate ſanitatis. Denique fur eſt intus, & latrunculus foris, id eſt naturalis inclinatio, & obiectum connaturale, quæ duo ſimul tam aptè inter ſe conueniunt, & colligantur, vt expugnent & ſpolient omnem gratiam, & remedia quæuis excludant.

Et certè quid efficacius Superbo, quam humiliatio? quid Indeuoto aptius quam Oratio? quid Guloſo, quid Auaro quàm temperantia & liberalitas? At propone ſua vnicuique remedia, nonne tum illi excandeſcent, nonne in Medicum efferentur? quia ſcilicet nihil minùs volunt, quàm quod inclinationi naturali magis repugnat, cùm tamen nihil ſit aptius ad illam curandam, quàm quod ipſi repugnat. Nonne hinc euidenter patet, illum eſſe morbum, quem minùs ſanari volumus, & in quo curando magis Chriſto reſiſtimus? Numquid te miſerum crederes, ſi te Chriſtus deſereret! At tu ſi Chriſtum curantem deſeris, numquid times te deſerendum?

III. PVNCTVM.

QVOD *grauius igitur in te eſt malum, & in quo curando maximè Chriſtus elaborat, hoc minùs ſanari vis*. Quia illa tua eſt affectio naturalis vehementior cui ſanandæ oppoſita remedia magis conueniunt, & illa ſunt quæ minus libenter recipis. *Cæleſtis medicus*, inquit S. Gregorius Papa, *ſingulis quibuſque vitiis obuiantia adhibet medicamenta. Nam ſicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præciperet humilitatem.* *Hom. 32. in Euang.*

Pateretur quidem lubricus ſe humiliari, & elatus continentiam fortè non recuſaret: ſed lubrico perſanando neceſſaria

eſt continentia; & elato humilitas; alioquin neuter ſanabitur. Et quamdiu quiſque, quod ſibi eſt neceſſarium ad ſanitatem recuſabit, non poteſt dici velle ſanari, quantóque acriùs id recuſabit, tanto dicetur veriùs ſanari nolle. Quæcumque porro alia ſibi conquirat remedia, fruſtra conquirit, fruſtrà multiplicat; *ſanitas non erit ei*, quia non eſt ſanitas niſi per remedia opportuna; cùm verò non ſint opportuna niſi quæ ſunt oppoſita morbo, fruſtra conquirit alia.

Hæc dicit Dominus; inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua, curationum vtilitas non eſt tibi, quid clamas ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus: Non quidem Deo, ſi vterere remediis quæ tibi offert, ſed tibi eſt inſanabilis, qui hæc fugiendo remedia, putas te poſſe curari aliis; Itane ageres in ægritudine corporis? Itáne tibi corpus, pluſquam anima; terra pluſquam cœlum; & tempus pluſquam æternitas? Hæc reuolue attentius: *& in tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Hæc ſi dicuntur à Scriptura pro ſanitate corporis, quanto magis pro ſalute animæ? *Si tanta cura agitur, vt aliquando plus viuatur*, inquit ſanctus Auguſtinus, *quomodo agendum eſt, vt ſemper viuatur?* Ier. 30. Eccleſ. 38. Serm. 64. de verbis Dom.

Vide in 3. parte, Feria quinta infra hebdomadam nonam.

FERIA SEXTA.

DE PRODVCTO AB EVANGELISTA, PROPHETAE TESTIMONIO, IN QVO DOMINVS ELECTVS DEI SERVVS DECLARATVR.

Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo benè complacuit animæ meæ. Matth. 12.

Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum, electus meus,

complacuit ſibi in illo anima mea. Iſ. 42.

VERITAS PRACTICA.

In paruis, maior eſt ſerui Dei fidelitas.

RATIO EST, Quia tunc maior videtur eſſe ſerui fidelitas, quando is conſtantiùs, & puriùs Domini ſui rationes reſpicit, & non ſuas.

Sed in paruis præcipuè rebus hæc præſtat ſeruus Dei.

Ergo in paruis maior eſt ſerui Dei fidelitas: quæ proinde præſtanda eſt vt debetur.

I. PVNCTVM.

CONSPIRANTIBVS contra Ieſum Pharizæis, ſeceſſit aliò Dominus, & ſecuti ſunt eum multi, quos omnes curauit, vt ſupra viſum eſt. His verò enarratis addit Euangeliſta; *Et præcepit eis, ne manifeſtum eum facerent, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: Ecce puer meus, quem elegi dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ, ponam ſpiritum meum ſuper eum, & Iudicium gentibus nuntiabit: non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium; & in nomine eius gentes ſperabunt.*

In quo quidem Prophetæ teſtimonio cùm multa conſideratione digniſſima, tùm illud præſertim, quod Dominus electus Dei Puer ſeu Seruus declaretur in rebus valde exiguis. Quid eſt enim illud, ſeceſſiſſe aliò, nec ſe manifeſtari velle, vt propterea fuerit adimpletum, quod Propheta prædixerat, futurum eum electum Dei ſeruum? Reuera quidem adimpleuit, quod prædictum fuit, non contendit, non clamauit, non reſiſtit repugnantibus ſibi Phariſæis, ceſſit tempori, ceſſit inuidiæ, nihil contrà retulit. Sed adeone magnum eſt & Diuinum non contendere, non clamare, non audiri, vt propterea Dominus ſin-

Digitized by Google

gulariter ELECTVS DEI SERVVS appelletur? Sic planè eſt; *In paruis maior eſt ſerui Dei fidelitas.* Quod de Chriſto iam patet ex illo teſtimonio: de nobis autem hac ratione declaratur.

In confeſſo eſt apud omnes, quod in eo potiſſimùm conſiſtat ſerui fidelitas, ſi conſtanter & purè Domini ſui rationes reſpiciat & non ſuas; atque adeo quo is conſtantiùs & puriùs ſic ſe geret erga Dominum ſuum, eo fidelior ſeruus & carior ſemper habebitur.

Duo hæc indiuiſim requiruntur, conſtantia & puritas. Conſtantia quidem, quia longè aliud eſt per plures annos integritatem ſuam probaſſe, quàm per aliquot dies aut menſes. Longè aliud eſt in multis aut quotidianis negotiis, quam in vno aut altero: longè aliud denique ſemper fuiſſe integrum, quàm aliquoties. Sic ſe Iacob Socero ſuo Labano probabat: *Viginti annis fui tecum: oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi, ego damnum omne reddebam, quidquid furto peribat, à me exigebas, die noctúque, æſtu vrebar & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis, ſicque per viginti annos in domo tua tibi ſeruiui.* Hoc eſt eſſe conſtantem, hoc eſt eſſe fidelem ex hac parte. Gen. 31.

Iam verò ex alia, Puritas æquè attenditur, quando ſcilicet ſeruus non tam mandata reſpicit, quàm ipſum mandantem. Nam in mandatis ſpectari poteſt commoditas, vel incommoditas, honor vel ignominia, facilitas vel difficultas; Qui verò ſuis commodis aut incommodis permouetur, longè abeſt ab illa fidelitate ſerui, qui ſolas Domini rationes reſpicit nullâ ſui habita ratione; nec tam ille ſeruit Domino ſuo quàm ſuis commodis. Eſto id omne exequatur, quod mandat Dominus, quia tamen dum in mandato reſpicit facilitatem & honorem, atque id propterea libentiùs exequitur, quam ſi difficile eſſet aut probroſum; certè multum detrahit de integritate fidelis ſerui, præſertim apud Deum, qui animum potius reſpicit, quo res fiunt, quàm res ipſas. Sic ſanctus Hieronymus ad Celentiam: *Prudentiſſimus* Ep. 10. *eſt*, inquit, *qui non tam conſiderat, quod iuſſum eſt, quàm illum qui iuſſerit, nec quantitatem imperij, ſed imperantis cogitat dignitatem.* In imperante, Deum; in imperio autem ſeſe homo attendit, Qualis vero diſtantia eſt Dei & hominis, tale eſt eius ſerui diſcri-

men qui pure Deum reſpicit, & eius qui non ita Deum ſpectat in omnibus.

II. PVNCTVM.

SED *in paruis præcipuè rebus hoc præſtat ſeruus Dei, id eſt manifeſtiùs ſe oſtendit conſtantem & ſe purè reſpicere Mandantem potius, quàm mandata.*

Nam primò de conſtantia, cum frequentiùs occurrant parua quàm magna, certè in paruis etiam facilius eſt ſe conſtantem probare, quàm in magnis; Eſto enim occurrant aliquando magna, in quibus ſis fidelis; at cum dictum ſit, non ex vno aut altero caſu fidelitatem probari, ſed ex multis; quis non videt multa illa quotidie in paruis tantùm rebus euenire, vbi ſe probabilem ſeruus exhibeat?

Deinde verò de Puritate quâ Imperans potius reſpicitur, quàm imperium, apertè patet in paruis rebus, vbi nihil adeo ſpectandum cernitur, quod animum pelliciat ad ſui conſiderationem, ſicut in magnis. Neque enim illic magnus prouentus aut jactura magna: non inde vllum decus, aut aliqua grauis iniuria: vnde ſi quis parua & quotidiana illa conſtanter & quâ poteſt ſolicitudine ac diligentia perficiat, profectò indicabit ſe vnum Imperantem purè reſpicere, ſe vni Deo intendere, ſe illi vni adhærere, & cum Dauide poſſe dicere; *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. ALII ſibi partes faciant de rebus humanis,* inquit ſanctus Auguſtinus, *clamet populus Dei, PARS MEA DEVS MEVS. Non ad tempus pars mea, ſed pars mea Deus in ſæcula.* (*Pſ. 72.*)

III. PVNCTVM.

I*N paruis maior eſt igitur ſerui Dei fidelitas, quàm in magnis*; Quia in illis maior conſtantia & puritas cultus Dei ſpectatur, in quibus tota conſiſtit fidelitas. *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* (*Matth. 25.*) Non commemorat Dominus, quæ magna ſeruus egerit, quia vbi agitur de compenſanda fidelitate ſerui, declarandum ſibi dumtaxat id videtur, in

quo eſt ſita illa fidelitas, vt alij ſerui doceantur & excitentur ad illam exercendam.

Sic rurſum alibi Dominus: *Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt, & qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt*; Quaſi apertè diceret, non à magnis, ſed à paruis rebus dignoſcitur fidelitas ſerui, quia ſæpe contingit, vt qui in magnis fidelis eſt, non ſit in paruis; vix autem fit vt qui in paruis ſit fidelis, non ſit in magnis. Et ſic primi hominis tentata eſt fidelitas in re exigua, qualis eſt pomi eſus. Sic primi Iudæorum regis in mora & expectatione Samuelis per vnam aut alteram horam. Sic plura ſuppeterent aliorum exempla, quibus Domini ſententia confirmetur, ſed ipſe Dominus in ſe ipſo ſuíſque rebus geſtis longè id euidentius manifeſtat, quàm in aliis. Cùm enim vellet indicare, quàm ſe conſtanter & accuratè fidelem exhiberet in obſeruanda lege, peribit, inquit, potiùs cœlum & terra, quin omnia fiant vſque ad vnum Iota vel vnum apicem. Cúmque ex veteri teſtamento referuntur in nouo, quæ ab eo erant obſeruanda, referri ea præcipuè voluit quæ ſpectabant res minimas, vt cùm vectus aſino Ieroſolymam ingrederetur; cùm in cruce potaretur felle & aceto; cùm eius veſtimenta diuiderentur; cùm hæc inquam & ſimilia referantur ab Euangeliſtis, quæ in diuinis eius factis non ſunt præcipua, præcipuè tamen additur; *vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas*, Quaſi magna voce diceretur, aduertendum id in primis eſſe quàm Chriſtus Dominus fidelis fuerit in his minimis, vt ſic fidelitatem eius imitemur.

Luc. 16.

1. Reg. 13.

Matth. 5.

Zacch. 9.

Pſ. 21.

Pſ. 68.

Matth. 21.

Quin & ipſe Deus Optimus Maximus, *Qui appendit tribus digitis molem terræ*, id eſt, tribus his Attributis vniuerſum regit mundum, Sapientiâ Bonitate & Potentiâ, nonne hæc in minimis magis elucere facit, quàm in magnis? Nonne magis mirandum, quod omnes capitis noſtri capillos habeat numeratos, & ad folium arboris decidens aduertat animum, quàm quod homines regat & Angelos? Nonne ad Bonitatem ſuam maximè declarandam ſic Sponſus ſponſæ loquitur: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui?* Quid minutius vno crine? Nonne ad Potentiam denique manifeſtandam illud diui Auguſtini valet dictum: *Deus creat minima corpore, acuta ſenſu animantia vt maiori attentione ſtupeamus agilitatem muſcæ volantis, quàm magnitudi-*

Iſ. 40.

Matth. 10.

Cant. 4.

Digitized by Google

l. 3 de Geneſi ad lit. c. 14. *nem Iumenti gradientis: ampliúſque miremur opera formicarum, quàm onera Camelorum.*

Si ſic Deus magnum ſe nobis probare voluit in paruis rebus, quanto illi nos magis in iſtis, nos qui tam parui ſumus. Si quid magnum peteret, excuſare poſſes tuam paruitatem, nunc verò cùm parua petat, quid excuſabis? Dices fortè illa eſſe indigna Deo, ſed putaſne tua maiora, digna eſſe Deo, niſi ea Deus acceptare dignaretur? Nunc verò cùm parua non modò libens acceptet, ſed te totum ex paruis metiatur, atq; ex fidelitate tua iudicium de te ferat: quid eſt quod illa non reddas? *Eccle. 7.* *Qui timet Deum, nihil negligit.* Expende quæ illa ſint quæ negligas, quantumque ſit arguenda talis negligentia, in re tam facili ſimul & tam pretioſa.

Vide in 3. parte, Sabbato infra hebdomadam quartam.

SABBATO.

AD HÆC S. IOANNIS BAPTISTÆ VERBA, DE CHRISTO DOMINO.

Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Ioan. 3.

VERITAS PRACTICA.

Hæc ſponſæ fides eſt, Vt ſicut neminem præter Sponſum velit diligere, Ita velit à nullo diligi.

RATIO EST, Quòd idcirco neminem præter Sponſum velit ſponſa diligere, vt ſic ſponſa tota ſit ſponſo, prout exigunt leges ſpiritualis matrimonij.

Sed niſi ſponſa vellet à nullo diligi, non ſic eſſet tota ſponſo, vt eſſe debet.

Ergo hæc ſponſæ fides eſt, vt ſicut neminem præter ſponſum velit diligere,

Digitized by Google

lit diligere, ita velit à nullo diligi. Quod tamen valde rarum eſt, ac proinde diligentiùs procurandum.

I. PVNCTVM.

AD hæc circiter tempora reuocandum eſt, quod ſanctus Euangeliſta refert de Chriſto Domino baptizante in Iudæa, quod cum diſcipuli ſancti Ioannis Baptiſtæ animaduerterent, adierunt Magiſtrum ſuum, & dixerunt ei; *Rabbi, Qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum: Reſpondit Ioannes & dixit; Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cælo, ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis quod dixerim, non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum. Qui habet ſponſam ſponſus eſt, amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi, hoc ergo gaudium meum impletum eſt: Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt.* *Ioan. 3.*

Videri poſſunt quæ plura ſequuntur in textu, & ex ſingulis fructus eſt decerpendus, qui cuique proprius ſit. Ad omnes autem maxime ſpectat, quod Chriſtus SPONSVS dicitur, ſponſus quidem Eccleſiæ vniuerſalis, atque in particulari cuiuſque animæ, quam ſibi in ſacramentis deſpondet, & propriam facit, iuxta illud Prophetæ; *Sponſabo te mihi in fide*; quo nomine *Oſee 2.* non tantùm intelligitur fides, quæ dicitur Theologica, ſed humana illa fides ſeu fidelitas, quæ ſolet inter coniuges dari & ſeruari.

Ac de fide Sponſi Ieſu non eſt dubium, quin ſe arctiùs obliget ad diligendam & fouendam illam animam, quam ſibi ſponſam facit. Neque item dubitari poteſt quin ſeruet fidem ſuam. *Ille fidelis permanet*, inquit Apoſtolus, *negare ſeipſum non poteſt.* *2. Tim. 2.* De fide autem animæ quanta incertitudo, quanta pericula! de hac propterea magis eſt cogitandum. *Hæc porro ſponſæ fides eſt ſeu fidelitas præſtanda ſponſo, vt ſicut neminem præter ſponſum velit diligere, ita velit à nullo diligi.*

Maior difficultas quoad intellectum & voluntatem videtur eſſe, quòd ſponſa velit à nullo diligi; atque idcirco vt id apertiùs declaretur, ſic formatur Veritas & conficitur eius ratio, vt

conſtet parem & eandem eſſe obligationem ex lege ſpiritualis huius coniugij, ſiue vt nullum ſponſa diligat præter Sponſum, ſiue vt à nullo alio velit ipſa diligi.

Quid eſt enim quod ſponſa præter ſponſum neminem diligat, niſi quod ratione deſponſationis nouo quodam iure ſic tota eſt Sponſi, vt ſe totaliter & totâ ſe ipſâ illum diligat, nihil vt ſuperſit dilectionis ad alium, niſi prout Sponſus permittet & ordinabit? Sic expreſsè dictum: *Dilectus meus mihi, & ego illi. EGO dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* Hoc eſt ita proprium & eſſentiale huic coniugio, vt in hac mutua donatione totius dilectionis, maximè ſitum & ſtabilitum eſſe coniugium videatur. Sic propterea ſponſus ſibi ſponſam deſpondiſſe dicitur, cùm ſeipſum totum pro ea dedit, vt ſic etiam intelligeret anima, tunc ſe illi tradituram in ſponſam, cùm ſe totam illi daret. Vnde Apoſtolus: *Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.*

Cant. 2. & 7. — *Epheſ. 5.*

Et certè ſi inter Coniuges talis debet eſſe donatio alterius ad alterum, vt iam non ſint duo, ſed vnum: quod non tantùm de corpore, ſed de corde ſeu dilectione intelligendum eſt, adeo vt nulla ſit par dilectio ſicut coniugum, nec parentes ipſi ſint tam impensè diligendi, vt expreſſe docet ſanctus Thomas; propteréaque dictum ſit: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna;* Quanto id magis requiritur inter Chriſtum & animam, non modò ratione dignitatis Chriſti, ſed ipſius Coniugij ſpiritualis, cuius figura & repræſentatio quædam eſt carnale coniugium, & humana inter Coniuges dilectio & ſociatio? Nam in re figurata plus ſemper ineſt, quàm in figura. O quàm præclarè virgo & Martyr Agnes; *Hæc ſponſi iniuria eſt, expectare placituram.* Recténe hoc intelligis? recténe ita ſentis?

2. 2. q. 26. a. 11. — *Gen. 2.* — *Matth. 19.*

II. PVNCTVM.

SED *niſi ſponſa velit à nullo diligi, non ſic erit tota Sponſo, vt eſſe debet.*

Digitized by Google

Temperari debet hæc propoſitio, ſicut & præcedens, inter duo extrema dilectionis, vt nec condemnetur ordinata dilectio inter homines, de qua nullomodo hîc agitur: nec inordinata illa tantum condemnetur quæ valde vitioſa eſt, & rara inter ſpirituales viros: ſed alia quædam minus inordinata intelligatur affectio quæ nimis frequens eſt viris etiam ſpiritualibus, nondum tamen plenè mortificatis, quâ ſcilicet volumus diligi, æſtimari, magnifieri, aut ſaltem nolumus negligi & contemni, atque ita ſæpè angamur & ſolicitemur animo, nùm bene alij de nobis ſentiant, nullo alio ad id inquirendum permoti motiuo, niſi amoris proprij & naturalis illius inclinationis, quâ vnuſquiſque ſeipſum nimis diligit. Hoc eſt quod ſponſa Chriſti non inquirit, hoc eſt quod non laborat & cogitat, hic eſt denique ſenſus quo dicitur niſi ſponſa velit à nullo diligi, non ſic erit tota Sponſo vt eſſe debet; Nam ſic volendo diligi ab aliis, nimis inordinatè ſe diligit, Et hæc inordinata ſui dilectio, diuidit illam à totalitate, ſeu à tota ſeipſa quam debet ſponſo, ſicque aliena eſt à dilectione ſponſi, ſicut inordinatus amor alterius. Cur enim vetatur dilectio alterius, niſi quia ſic diuideretur quæ indiuiſa eſſe debet, ſponſi dilectio, & per hanc diuiſionem tantum detraheretur de toto quod illi debetur, quantum alteri concederetur? vnde ſi anima ſimiliter per amorem ſui ipſius, ſe ab amore ſponſi diuidat, cur non æque vetetur iſte ſui amor, atque amor alterius?

Quod eo quidem magis verum eſt, quòd amor ſui ipſius ſit fundamentum, & radix amoris alterius, qui cum inordinatè amatur, vt ſupponimus, non amatur niſi amore concupiſcentiæ, id eſt, amore proprio, & amore ſui ipſius: Vnde à fortiori videretur hic amor proprius magis cauendus. *Volo vos*, inquit Apoſtolus, *ſine ſolicitudine eſſe; qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Expende illud, *& diuiſus eſt*, quaſi diceretur; En malum alieni amoris quod amantem ſolicitet, & his ſolicitationibus ac curis diuidat ab vnico illo obiecto, quod amari debet & in quo cætera ſunt amanda. Vnde manifeſtè patet, quòd vndecumque importuna illa ſolicitudo proueniat, æque damnoſa eſt, cùm hoc vno ſit damnoſa, quòd animum ſolicitet & diuidat. At verò ſi 1. Cor. 7.

Digitized by Google

velis amari, nonne ſic eris ſolicitus an ameris vt vis, an plus te alius diligatur, an præ illo contemnaris? Nonne hoc aliquando ſenſiſti? nonne hoc timuiſti? nonne, ſic in amore Chriſti diui-
Matth. 12. ſus fuiſti? *Omnis domus diuiſa contra ſe, non ſtabit*, dicit Dominus.

III. PVNCTVM.

HAEC eſt igitur ſponſæ fides, & præſtanda Sponſo fidelitas; vt ſicut neminem præter ſponſum velit diligere, ſic velit à nullo diligi: Quia quod in hac deſponſatione primarium ac penè vnicum eſt, vt Sponſa tota ſit Sponſo, ſicut Sponſus totus eſt ſponſæ, perinde vno violatur atque alio. Neque enim aliter violatur, quàm quod totalis dilectio diuidatur aut minuatur: diuiditur autem æquè ex illo amore ſui, quo anima vult ab alio diligi, atque ex illo amore, quo alium diligit. Nam æquè occupatur, æquè ſecum ſolicitatur & angitur an ametur, atque ſi amet.
Iac. 4. *Adulteri, neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur;* Vide vt adulterium vocetur iſta inordinata mundi amicitia, quia ſcilicet ſic fides data Sponſo violatur; Non eſt autem mundi amicitia, velle tantum diligere, ſed etiam velle diligi, imò in hoc præcipuè mundus diligitur, vt à mundo diligamur, hoc eſt quod præſertim prætendit concupiſcentia. Sicut verò non eſſet alienum ab amore diuino, ſi ſic à mundo diligaris vt non rependas mundanam dilectionem, ſic planè ſi diligis mundum, aut ſi à mundo vis diligi, tam pugnat cum amore diuino, cum amore ſponſæ ad ſponſum, quàm repugnat integritati cordis, ſeu integræ & totali dilectioni, quam ſponſa debet ſponſo.

Ioan. 15. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit; ſi de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus:* Quaſi diceret, hoc idem eſt vos meos eſſe totos, atque in odio mundi eſſe, quia vnum ſæpe ex alio ſequitur. Et tamen tu vis illa coniungere: Et Chriſti ſimul eſſe & mundi! Vide quàm longè ſis à Charitate, quæ vellet Chriſtum ab omnibus & omnino diligi. Cùm enim ab aliquo vis ſingulariter diligi, tùm Cor illius à quo vis diligi, ſubtrahis Chriſto Domino, ſicut tuum ſubtrahitur, quando aliquem diligis præter Chriſtum. Erubeſce de

Digitized by Google

hac perfidia, & ſine te moueri his Sponſi tui vocibus : *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus; Et ego ſuſcipiam te: Reuertere auerſatrix Iſrael, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis: verumtamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum præuaricata es, & diſperſiſti vias tuas alienis.* Vide caput octauum libri ſecundi de Imitatione Chriſti: Vbi hæc ad verbum, *Numquam cupias ſingulariter laudari vel amari, quia hoc ſolius Dei eſt qui ſimilem ſibi non habet. Nec velis quod aliquis in corde ſuo tecum occupetur, neque tu cum alicuius occuperis amore:* SED SIT IESVS IN TE, ET IN OMNI BONO HOMINE.

Ier. 3.

FINIS PRIMÆ PARTIS, IN VITAM DOMINI IESV.

Digitized by Google

VERITATES PRACTICÆ.

AD DIES FESTOS SANCTORVM QVI INCIDVNT IN HANC PRIMAM PARTEM.

IN FESTO SANCTI ANDREÆ APOSTOLI. Die 30. Nouembr.

AD HÆC EIVS VERBA:

O Bona Crux.

VERITAS PRACTICA.

Crux non eſſet bona, niſi bonum eſſet, Cruciari.

SENSVS Veritatis duplex eſt: primus, Crux non eſſet bona, niſi cenſeretur, & reputaretur bonum cruciari, quando cruciatus bono fine, & modo ſumitur. Secundus, non eſſet Crux bona, niſi ſic fieret bonum cruciari, aut niſi bonus eſſet cruciatus per bonum finem & modum quo debet ſumi.

RATIO autem pro vtroque ſenſu eſt, quòd non eſt Crux bona niſi in bono ſuo effectu.

Sed non eſſet bonus eius effectus, niſi eſſet bonum cruciari, quo ſenſu dictum eſt.

Digitized by Google

Ergo neque crux eſſet bona, niſi bonum eſſet cruciari; Et tamen quam multi hoc eſſe bonum negant qui bonam crucem prædicant!

I. PVNCTVM.

MVLTA ſunt quidem, quæ S. Andream multùm commendent. Primò enim primus ex omnibus Apoſtolis ſequutus eſt Chriſtum Dominũ, atq; etiam ante ipſum Apoſtolorum Principem Petrum, quem ipſe adduxit ad Ieſum. *Occurſus Andreæ primus contigit, cum minor eſſet Petrus tempore ætatis*, inquit Epiphanius. Deinde verò tanti erat apud Chriſtum meriti, vt cum Gentiles deſiderio videndi Domini ad Philippum acceſſiſſent; Philippus Andream priùs adierit, cum quo ſimul Dominum conueniret. Denique tam inſignis fuit eius modeſtia, & humilitas, vt cum talis tantúſque vir eſſet, numquam indignè tulerit, ſibi præferri fratrem ſuum Petrum, minorem ætate, & occurſu Chriſti, vt dictum eſt.

Ioan. 1.

Epiph. Hæreſi 51.

Ioan. 12.

Verùm quæ duæ res, verè magnos & ſanctos efficiunt, *MVLTA AGERE, ET MVLTA PATI*, hæ duæ ſunt quæ hunc ſanctum Apoſtolum præcipuè & inſigniter admirabilem faciunt. Dùm enim in Scythia, in Epiro, in Thracia, atque in Achaia diſſeminando Euangelio labores ſuos glorioſiſſimè poneret, tanto patiendi deſiderio flagrabat, quantum indicant hæ præclaræ voces, quibus ad mortem ductus, mortis ſuæ trophæum eſt alloquutus: *O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſolicitè amata, & iam concupiſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius, qui pependit in te.*

In Vigilia S. Andr.

VIDETIS, ait S. Bernardus, *quia non ſe capit præ magnitudine gaudij! Ita inquit, ET TV EXVLTANS. Ergone tanta eſt exultatio, vt exultet & ipſa Crux?*

Ex quibus & aliis pro animi deuotione expenſis, illud ad fructum & praxim præcipuè colligendum eſt, quàm verè bona Crux ſit dicenda, aut potiùs, *Quàm verè nulla crux bona ſit, niſi ſit bonum Cruciari*, quo ſenſu declaratum eſt.

Sic

Sic autem demonſtratur, quia non eſt Crux bona niſi in bono ſuo effectu. Quid eſt enim per ſeſe Crux, ſi ab ea bonum tollas effectum? Quid eſt niſi lignum & infame mortis inſtrumentum, quod in ſcripturis dicitur, *Maledictum, & Maledictus omnis qui pendet in ligno?* Gal. 3. Nonne propterea Chriſtus affixus eſt cruci, tamquam ſupplicio ad omnem cruciatum, vel ad omnem infamiam, quod excogitari poſſit, extremo? Quid eſt autem, quod poſtea crucem illam bonam & omni colendam cultu dicimus, niſi ex bono quem inde Chriſtus produxit effectu? O quantas illi debemus gratias, *qui vt nos de maledicto redimeret, factus eſt pro nobis maledictum!* Ibid.

II. PVNCTVM.

S*ED non eſſet bonus crucis effectus, niſi eſſet bonum cruciari, hoc ſenſu, vt dum bono fine & modo cruciamur, ſic cruciari ſit laudabile & glorioſum; neque etiam aliter ſit laudabile, niſi bono fine & conuenienti modo cruciemur.*

Tam multi quidem ſunt Crucis effectus, quanti ſunt & ipſius Chriſti Domini Mortis, quam in cruce perferre voluit; ſed illi omnes parum proſunt ad ſalutem & perfectionem, niſi hunc afferant fructum vt reputetur bonum & glorioſum cruciari, quando ſcilicet cruciatus bono fine & modo aſſumitur. Nam hic eſt veluti finis & ſcopus, quò alij effectus referuntur, vt ex Cruce videlicet, ſeu ex Chriſto pendente in cruce diſcamus ſic cum Eo pati, ſicque BONVM ET GLORIOSVM ESSE PATI, pro Dei gloria & pro æterna ſalute, ſicut Chriſtus propterea in cruce paſſus eſt.

Decorem certè & dignitatem ex Chriſti membris ſancta Crux retulit, vt dicebat ſanctus Andreas; Sed quem effectum habet ille decor, & illa dignitas, niſi vt cum eodem Apoſtolo crucem amemus, & bonum eſſe in cruce pati & mori credamus? Neque profecto aliter decorem & dignitatem ex membris Chriſti, Crux retulit, niſi quia Chriſtus crucem ſuo ſacro ſacrauit corpore, quod cruci affigi voluit? At nonne ſimul ſacros fecit cruciatus, quos non minus in cruce pertulit, quàm ipſam crucem? Dicam ampliùs, quod ſi propter quod vnumquodque tale eſt, & illud magis; certè videtur Cruciatus ſacratior eſſe

LII

Digitized by Google

factus à Chriſto Domino, quàm ipſa ſacra Crux, quod nonniſi propter cruciatum Chriſtus crucem aſcenderit, neque crux aliter noſtra eſt ſalus, quàm quod in ea Chriſtus ſit cruciatus, adeout ipſe Chriſti Cruciatus, ſit primò noſtra ſalus, tum deinde ab illo Crux communicationem nominis & fructus hauriat. *Hoc enim ſentite in vobis*, inquit Apoſtolus, *quod & in Chriſto Ieſu!* Quis ſenſus Chriſti patientis? an talis tuus?

Phil. 2.

QVOD verò non ſit aliter bonum cruciari niſi ex bono fine, & bono modo, id eſt niſi patienter cruciatum feramus, id apertius eſt, quam vt probetur fuſiùs. De fine quidem ſic egregiè S. Auguſtinus contra Manichæos, qui ſe multis affligebant modis. *Quæro à vobis quo fine faciatis?* tum poſt multa de boni finis habendi neceſſitate; *De Catilina*, inquit, *memoria proditum eſt, quod frigus, ſitim, famem ferre poterat: hæc erant illi ſpurco ſacrilegóque etiam cum Apoſtolis noſtris communia: vnde ergo diſcernitur Parricida iſte ab Apoſtolis noſtris, niſi fine illo quem diuerſiſſimum ſequebatur?*

L. 2. de Mori. Manich. c. 13.

De modo autem ſic liceat dicere; Cùm in inferno damnati clament ſe, *laſſatos fuiſſe in via iniquitatis & perditionis*; *& ambulaſſe vias difficiles*, vndenam hi diſcernuntur à Beatis, qui labore ſuo beatitudinem conſequuti ſunt, niſi ex diuerſo quo laborarunt modo? Neque alia eſt differentia vitij & virtutis, ſeu patientiæ, & impatientiæ, meriti & demeriti, quàm ex fine & modo patiendi. Nonne pœnam eandem vterque Latro cruci affixus cum Chriſto tolerabat? At nonne eiuſdem pœnæ exitus longè fuit diuerſus? vnde vero illa diuerſitas, niſi ex diuerſo patiendi modo? Quis denique fuerit diuerſus ille patiendi modus, conſidera; & vtri ſimilior exiſtas in pœnis tuis.

Sap. 5.

III. PVNCTVM.

CRVX *ergo non eſſet bona niſi bonum eſſet cruciari, quo ſenſu & qua ratione conſideratum eſt ab effectu crucis*, qui totus eò recidit, vt de pœnis præclare ſentiamus, & eas fortiter toleremus; aut certè nullus ſit nobis crucis fructus; Nec crucem illi bonam verè prædicare poſſunt, qui bonum negent cruciari. Hi nempe ſunt *Inimici crucis Chriſti*, quos deflet Apoſtolus, qui

Digitized by Google

licet crucem laudent, vituperant tamen cruciatus, nec quidquam libenter patiuntur, *quorum finis interitus; quorum Deus venter eſt* *Phil. 3.* *& gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.*

Hîc te ipſum noſce, hic te proba, téque interroga, quid ſentis de Ligno Crucis? Sanctumne putas ac colendum? ſed quid ſentis de aduerſo caſu? Itáne ſanctum ac bonum dices, ſicut ipſum crucis lignum? Itane cum ſancto Andrea: O bona crux! Sic planè ſentiendum ac dicendum eſſet: ſed quia longè eſt alius ſenſus tuus, ſed quia nonniſi doles & murmuras in aduerſis, quaſi mala ſint & non bona; hoc habeto, niſi reſipiſcas, te non aliter verè poſſe de ipſo crucis ligno dicere, bonam eſſe crucem, quia videlicet bonitas crucis in hoc eſt, vt bonam aduerſitatem credas: quam niſi bonam eſſe credideris, bonam eſſe crucem negas. O quanta eſt neceſſitas tolerandi cuiuſlibet aduerſi caſus! quanta eſt ſcilicet ſacræ colendæ Crucis!

Vide in feſtis Inuentionis & Exaltationis ſanctæ Crucis, Itemque in 2. parte infra Hebdomadam Paſſionis: Vbi plures de Cruce proponuntur Veritates.

DE S. FRANCISCO XAVERIO SOCIET. IESV, INDIARVM APOSTOLO.

Die 2. Decembr.

AD HÆC EIVS VERBA, CVM AGERETVR DE BONIS SENSILIBVS ABSTINENDIS:

Satis eſt Domine, ſatis eſt.

Et cùm de malis ſuſtinendis:

Amplius, Amplius.

Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientia. 2. Cor. 12.

VERITAS PRACTICA.

Hæc ſunt Apoſtolatus & perfectioris vitæ duo ſigna certiora, velle abſtinere libenter ab omnibus bonis: & omnia mala ſuſtinere.

RATIO EST, Quia certiora perfectionis, & Apoſtolatus ſigna ſunt in omni patientia.

Atqui hæc eſt omnis patientia, velle abſtinere ab omnibus bonis, & omnia mala ſuſtinere.

Ergo & hæc ſunt Apoſtolatus, & perfectioris vitæ duo ſigna certiora, quæ in ſancto Franciſco Xauerio eminent luculentiſſimè, & quæ nobis, noſtro in ſtatu proponuntur imitanda.

I. PVNCTVM.

TAM multa ſunt in ſancto Franciſco quæ ad omnis ſanctitatis & perfectionis exempla conſiderentur, vt niſi quibuſdam terminis contineantur, conſiderari fructuosè non poſſint. Continentur autem aptiſſimè hoc ſacro Apoſtoli nomine, quod non tantùm duodecim illis electis à Domino conuenit, ſed & pluribus aliis communicatur. *Salutate*, inquit Apoſtolus, *Andronicum & Iuniam, qui ſunt nobiles in Apoſtolis.* (Rom. 16.) Quotquot enim ſe ſtrenuè impendebant in proximorum ſalutem, hi Apoſtoli aut Apoſtolici viri dicebantur. Sed quia tamen non omnes paribus animis in hoc ſancto deſudabant opere, quicumque non ſincerè Chriſtum annuntiabant, vocabantur *Pſeudo-Apoſtoli, operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti*, vt ait ſanctus Paulus. (Phil. 1. 2. Cor. 11.)

Ac propterea, vt veri à falſis diſgnoſcerentur, erant certa ſigna, quibus quodammodo probarentur & tentarentur, vnde illa commendatio Epiſcopi Epheſini in Apocalypſi: *Scio opera tua, & laborem & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos, & non ſunt: & inueniſti eos mendaces.* (Apoc. 2.)

Digitized by Google

Quænam porrò illa erant ſigna certiora? Hæc videlicet duo, quæ ex ſancto Xauerio, in Veritatem propoſitam deriuantur: *Libenter abſtinere ab omnibus bonis ſenſibilibus; & omnia mala ſuſtinere propter Euangelium, propter electos, propter ſalutem proximi:* Quæ certè conſideratio non minùs erit vtilis conſideranti, quàm glorioſa ſancto Indiarum Apoſtolo, cuius inde Apoſtolatus gloria manifeſtè elucefcit.

Ratio autem deducitur ex S. Paulo, qui pro ſe dicere apud Corinthios cum cogeretur, *ſigna*, inquit, *Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientia:* quaſi diceret, probatus ſum omnibus modis qui patientiam exercent, & quibus ſolent probari veri Apoſtoli. Iam enim præmiſerat quod fusè deſcribit, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, in labore & ærumna, in fame & ſiti, in frigore & nuditate;* Quibus copioſè declaratis, ſic concludit; *Nihil minùs fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum, ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis & prodigiis & virtutibus.* 2. Cor. 11.

Signa quidem ſeu miracula iungebantur patientiæ, ſed vt optimè notat S. Ioannes Chryſoſtomus: *Non ſigna mirabiles Apoſtolos effecerunt: multi enim qui dæmones eiiciebant, quia peccatores erant, nihil tale fecerunt, ſed puniti ſunt: Quid eſt igitur, quod eos magnos oſtendit? pecuniarum contemptus, gloriæ deſpectus, ab omnibus vitæ huius negotiis ereptio: quæ ſi non habuiſſent, etiamſi mortuos ſuſcitaſſent, non ſolùm nullos iuuiſſent, ſed etiam ſeductores exiſtimati fuiſſent.* O quàm multi falluntur, qui prætextu iuuandi proximi nolunt aliquid pati, cùm nihil æquè faciat ad iuuandum proximum, quàm patientia. Hom. 46. in Matth.

II. PVNCTVM.

S*ED in his duobus actibus omnis patientia continetur, libenter abſtinere ab omnibus bonis ſenſibilibus; & mala omnia ſuſtinere, ſicut libenter abſtinuit & ſuſtinuit S. Franciſcus Xauerius.*

Nam cùm omnis patientia verſetur circa ea, quæ ſunt carni aut animo contraria, nihil autem ſit contrarium, quàm vel priuari bonis, quæ naturaliter apperimus: vel ſuſtinere mala, quæ refugimus: profectò hinc manifeſtè ſequitur, quòd omnis pa-

Digitized by Google

tientia in his duobus actibus continetur, quos Chriſtus Dominus, celeberrimâ ſuâ illa ſententiâ complexus eſt, quâ ſe ſequentes monet, *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie.* Eſt enim abnegare ſe ipſum, abſtinere bonis ſenſibilibus: & eſt tollere crucem, ſuſtinere mala, ſicut alibi fuſius exponetur.

Luc. 9.

De vita Contempt. c. 20.

Sic S. Proſper agens de fortitudine ſeu patientia; *Quæ ſi virtus,* inquit, *eſſet, fortiter etiam talibus blandimentis repugnaret, nec acquieſceret mollibus, quæ adiuuante Domino dura quæque vel aſpera ſuperâſſet.*

Quàm eximius autem fuerit S. Franciſcus in his duobus actibus, patet ex duobus illis dictis, quæ primo huius Conſiderationis aditu proponuntur, & ex illius factis totâ vitâ ſequentibus. Cùm enim abundaret cœleſtibus deliciis & gaudiis, *ſatis eſt Domine,* inquiebat, *ſatis eſt.* Quaſi diceret, oportet me iſtis etiam abſtinere bonis ſpiritualibus, ne quid ſit boni ſenſibilis, quod me tantiſper detineat ab indefeſſo labore iuuandi proximi, & quo me non libenter priuem ad illius ſalutem. Cùm verò illi obiicerentur pericula & incendia & mortes, & quidquid horrorem poteſt incutere: *Amplius,* aiebat, *amplius:* adeo ſitiens erat laborum, vt quidquid pateretur, ſitim patiendi acueret potiùs, quàm expleret, aut quam robur animi quoquo modo retunderet.

Atque hæc vniuerſim dicuntur de duobus illis primariis Patientiæ ſeu Fortitudinis actibus: Nam qui vellet particulatim de his ipſis edoceri, quàm eximius in vtroque fuerit ſanctus Franciſcus, oporteret primum eorum Caput quod in abſtinendo ponitur, ſua in membra partiri, quæ ſpectant Abſtinentiam circa triplex genus boni ſenſibilis quod eſt *honoris, commoditatum, & voluptatis.* Oporteret contemplari quanta fuerit eius Humilitas quæ *honores* ſpernit, quanta Paupertas quæ *commoditates* negligit, quanta Mortificatio quæ *voluptates* abhorret. Oporteret denique reuoluere quid de tribus illis Virtutibus, eodem ordine recenſitis, colligatur in ea Relatione quæ de rebus ab eo geſtis iuridice eſt inſtituta, cùm de Illo in Sanctorum numerum referendo, ageretur. Illic enim ad amuſſim ſic reuocata ſunt omnia, nihil vt prorſus in medium adducatur, quod non ſuis Authenticis & probatiſſimis, quantum quidem accuratè fieri potuit, nitatur teſtimoniis.

Digitized by Google

Sic porro de illius Humilitate paucis perſtringitur: *Humilitatis dono, Sanctitatis fundamento, ampliſſimè dotatum fuiſſe oſtenditur, cùm in interna & externa mirificè excelluerit. Ac primò, demiſiſſimè de ſeipſo ſentiebat, ſe viliſſimum omnium, & peccatorem maximum reputabat, omnibus inferiorem ſe eſſe affirmabat, & nihil erat tam vile & abiectum quo ſe dignum non putaret: nihil honorificum quo ſe indignum non iudicaret: itaut nulli præeſſe vellet, ſed omnibus ſubeſſe cuperet, omneſque propterea vt ſuperiores reuereretur.*

Secundò eandem probauit Humilitatem, honorifica quæque penitus ſpernendo, ad ſuas laudes non ſecus ac alij ad probra erubeſcens. Si quid eſſet vnde laus ipſi aliqua poſſet peruenire, vt in faciendis miraculis, ſtudiosè id factis & verbis celabat, & ſociorum, aliorumque meritis & interceſſionibus adſcribebat.

Authoritatem ampliſſimam Legati Apoſtolici qua inſtructus in Indiam miſſus, fuerat non ſolùm non iactauit, ſed data opera texit, quaſi gladium in vagina, adeo vt per decem annos, nemo illum Nuncium Apoſtolicum ſciuerit præter Epiſcopum Goanum, nec niſi ſemel, vltimo quaſi remedio, ad Dei Gloriam procurandam, ea poteſtate vſus eſt, re prius cum Epiſcopo Goano communicata, & illius permiſſa arbitrio.

Eadem Humilitas oſtenditur, ex propria ſui abiectione: nam Chriſtum imitatus cùm diues eſſet, omnium egenus fieri voluit, & dum lautè ex ſuo poſſet, ex alieno, precario victitare maluit: abiectiſſimo veſtitu ſemper vſus. Patet etiam ex quotidianis exercitijs & actionibus quibus ſolicitam operam præſtitit, tam in Indica nauigatione quàm in domibus Hoſpitalium Indiæ, viliora quæque miniſteria, vt iam dictum eſt, hilariter & ſponte eligendo. Ex humili reuerentia oſtenditur quâ ſemper veneratus eſt Epiſcopos, Sacerdotes, & Superiores quoſcumque, adeo vt cùm Beato Ignatio ſuo Superiori ſcriberet, nonniſi genibus flexis ſcriberet, reuerentiæ cauſa. Multáque ſunt alia ex quibus planiſſimè colligitur, Chriſti veſtigia Xauerium fuiſſe ſequutum, qui de ſe dixit: MITIS SVM, ET HVMILIS CORDE.

TVM verò de Paupertate conſequenter: *Paupertatem Euangelicam quam vouit, perfectiſſimè ab illo ſeruatam fuiſſe demonſtrat ratio vitæ quam ſemper ſeruauit in victu, veſtitu, ſupellectili, itineribus, habitatione. Victus namque fuit parciſſimi, non eo ſolùm vt corpus affligeret, ſed etiam vt Voto Paupertatis ſatisfaceret, vtque ve-*

Digitized by Google

rum pauperem ageret, quodcumque ſibi ab aliis vltrò ſubminiſtrabatur, & ea quæ ſolitus erat ipſe per ſe mendicare, aliis pauperibus diſtribuebat, contentus ipſe quolibet vili cibo, & pane obuio, vt latiùs dicemus, dùm de pœnitentia agetur. In veſtitu verò, non minùs tenax Paupertatis apparuit: erat enim plerumque attritus, reſartus, & aſſumentis interſectus, in ſumma optimarum veſtium copia, quæ certatim illi ab omnibus offerebantur. In ſupellectili præterea, eius Paupertas valde reſplenduit; eius in cubiculo nihil aliud elucebat niſi ipſa Paupertas, nudi namque erant parietes, lectulus potius ad arcendum ſomnum aptus quàm ad conciliandum, vtpote ſine culcitra, ſine lodicibus, vilibus tantùm ſtragulis duro ceruicali adiuncto; & præter iſta, non aliud quidpiam erat in cubiculo quàm pauci libri ſibi vel aliis neceſſarij.

In itineribus conficiendis, quæ tam longa, tam multa, tam difficilia fuere, tot longinquis peregrinationibus in vltimas terras ſuſceptis, ſtudium Paupertatis ſuum maximè probauit, nullo alio vectore quàm baculo pro equo & vehiculo vſus eſt: pedes ſemper incedendo, & non raròſine calceis, ſine alio tegumento plantarum: Viaticum non in pera & ſacculo, ſed in Dei benignitate, & aliena pietate repoſitum habebat: nullum ſecum ferre ſolitus, niſi vbi per deſerta & inuia loca eſſet incedendum: & tunc nil aliud parabat quàm cibum caſtrenſem & caſtigatiſſimum, & in toto longo ac impedito itinere Meacenſi, aſſa tantùm victitauit oriza, nec viatoriæ veſtes luculentiores erant quàm cibus, adeo pannoſus ſe in viam dabat, vt aliquando pueris ridiculo eſſet. E Luſitania in Indiam ſoluens precario ſemper in naui victitauit, nec ab illo inſtituto precibus Regij Prætoris, vllatenus abduci paſſus eſt. Idem inſtitutum in nauigationibus reliquis ſeruauit: numquam aliò diuertere ſolebat quàm in Publicas domos Hoſpitalium, vt quemadmodum precariò veſcebatur, ita mendicatò hoſpitaretur. Hoc in Italia, hoc in Luſitania, hoc in India ſemper præſtitit.

DENIQVE de mortificatione & Pœnitentia, quod eſt poſtremum è tribus Abſtinendi generibus, ſic eodem contextu pergitur: *Mortificationis ſtudium, & opera Pœnitentiæ in eo tales fuiſſe conſtat, quales ad inſignem & excellentem requiruntur Sanctitatem. Primo, eximia fuit in eo abſtinentia cibi, cùm non ſolum carnis & vini, ſed etiam panis triticei vſum procul à ſe abdicauerit. In priuata domo, & quoties apud alios non veſceretur, de induſtria inſulſis*

& vilibus

Digitized by Google

& vilibus vtebatur cibis , ac parciſſimè.

Secundo , maniſeſtè colligitur ex maceratione carnis : corpus enim frequentiſſimè flagellis cædebat , quandoque æneo filo contextis , quæ etiam ferreis punctis & ſtellulis de induſtria exaſperabat , itaut ſanguinem copioſè profunderet. Somno nonniſi breuiſſimo corpus recreabat , incommodè vel humi , vel fune nautico iacens , vel lectulo vilibus ſtragulis , vt ſupra dictum eſt , parato ; reliquum noctis orationi & contemplationi dabat , vel ægrotis viſendis. Quin extra ſolitum ſuum, longe plura & maiora pœnitentiæ opera exercebat ; ſæpius namque per plures dies , ab omni cibo abſtinuit , & aliquando à Dominica Paſſionis , vſque ad Sabbatum Majoris Hebdomadæ , ſæpe per biduum vel triduum , quandóque per quatuor totos dies , præſertim in principio ſuæ Conuerſionis ; quando etiam , vt doloris ſenſu magis cruciaretur , funiculis ſibi adeo arctè coxendices & lacertos conſtrinxit , vt cum plures dies eo in cruciatu iter agendo perſeueraſſet , animo repente deſtitutus præ doloris magnitudine , in media via conciderit , vinculis in carnem tam altè depreſſis , vt medici vulnus inſanabile indicauerint , actumque de eius vita eſſet , niſi miraculosè vincula rupta fuiſſent , ſine ope artis humanæ.

SIC itaque quod primum Patientiæ caput ſpectabat , in abſtinentia bonorum ſenſibilium , patet euidenter quàm fuerit ſuis omnibus numeris abſolutum , in ſancto Franciſco Xauerio: vnde reſtat , vt quid de Altero quod eſt in forti malorum omnium tolerantia conſtitutum , in eadem Relatione referatur, audiamus. Sic porro habet, cohærenter ad præcedentia. *FORTITVDINE , MAGNANIMITATE & PATIENTIA in laboribus tolerandis , & ſuperandis heroicè & inſigniter à Deo dotatus fuit. Mundum vicit ſui ipſius abnegatione , Chriſtum ſequutus , honores & dignitates ſibi oblatas ſpreuit conſtanter : vitam religioſam vilem & pauperem elegit , & fortiter retinuit : eluxitque ſæpe eius animi fortitudo , quod plagis & puſtulis Pauperum mendicorum lauatis, aquam ipſam qua illas abluerat non ſemel biberit.*

Nec ſolùm tam glorioſa de ſeipſo victoria eius emicuit inuictus animus , ſed etiam in agrediendis rebus arduis propter Dei amorem , & in ſuperandis difficultatibus, longinquas regiones ac Prouincias adiit, vitæ ſpreto periculo , nec barbarum & efferum in hoſpites Incolarum ingenium timuit ad Chriſtianam manſuetudinem inuitare , à quibus

ſibi mortem paratam eſſe audiebat. Ab anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo quo in Indiam nauigauit, vſque ad annum milleſimum quingenteſimum quinquageſimum ſecundum quo diem clauſit extremum, multas diuerſarum nationum & linguarum Prouincias prædicandi Euangelij cauſa peragrauit, contractis etiam ob aſſiduos labores morbis grauiſſimis; ſæpius naufragium paſſus eſt, æſtus, frigoris, nuditatis, vigiliarum, ſitis, famis incommoda diutiſſimè ſuſtinuit: nudis pedibus inter vepres & ſentes longiſſima itinera perfecit: contumeliis, probris, irriſionibus, & omnis generis illuſionibus, & iniuriis appetitus, verbera inſuper, lapidationes ac ſputa paſſus, omnia ſemper non ſolùm æquo animo ſed ſibi plaudente, illius verè diſcipulus qui Apoſtolis dixit: CVM VOS ODERINT HOMINES ET CVM SEPARAVERINT VOS, ET EXPROBRAVERINT, ET EIECERINT NOMEN VESTRVM TAMQVAM MALVM PROPTER FILIVM HOMINIS, GAVDETE, ET EXVLTATE. Deoque propterea in omnibus gratias hilaris & humilis agebat, & pro illuſoribus ac perſecutoribus deprecabatur.

Quæ quidem omnia confirmantur ex iis quæ de ipſius Charitate in Deum, & proximum iam paulò antè ibi fuerant memorata, his verbis ſane obſeruandis: *Oſtenditur eadem Charitas per extinctionem timoris in ſubeundis periculis, & arduis operibus aggrediendis, amore Dei: nam perfecta Charitas foras mittit timorem. Ille verò tantum abfuit à timore vt propter Deum non timuerit naufragium, peregrinationes per inuia & deſerta loca non formidauerit: nec feros Ethnicorum mores expauerit, quamuis ab omnibus, vno conſenſu, exitium ei imminere denuntiaretur. Nec minus elucet eius eximia in Deum Charitas ex contemptu rerum humanarum & mortis, qui in tota huius ſerui Dei vita ita elucet, vt verè cum Apoſtolo poſſet dicere, QVIS NOS SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI? TRIBVLATIO, AN ANGVSTIA, AN FAMES, AN NVDITAS, AN PERICVLVM, &c. IN HIS OMNIBVS SVPERAMVS PROPTER EVM QVI DILIGIT NOS.*

Hæc ſunt expreſſa verba Relationis factæ in Conſiſtorio, coram ſummo Pontifice, à Cardinale Montenſi, ex quibus tam manifeſtè Theſis ſimul & Hypotheſis declarantur, vt quàm apertum eſt in abſtinendo & ſuſtinendo propter ſalutem proximi, contineri omnem patientiam Apoſtolicam, tam apertè liqueat ſanctum Franciſcum Xauerium in vtroque ſimul excel-

Digitized by Google

iuſſe. O quales nos ſaltem pro ſalute noſtra deceret eſſe; cùm Ille tantùm laborauerit pro ſalute aliena!

III. PVNCTVM.

SIVE igitur vniuerſim ſpectemus Veritatem propoſitam, certa manet & conſtans; *Hæc eſſe Apoſtolatus & perfectioris vitæ duo ſigna certiora, VELLE ABSTINERE LIBENTER AB OMNIBVS BONIS: ET OMNIA MALA SVSTINERE*, quia in his duobus omnis perficitur Patientia, *Patientia autem*, inquit ſanctus Iacobus, *omne opus perfectum habet.* Siue particulatim illam Veritatem conſideremus in Apoſtolico noſtro Viro, non minus certa eſt & rata fixaque Veritas, hæc eius eſſe Apoſtolatus & perfectiſſimæ vitæ ſigna notiſſima: Vnde in ipſo primo memoratæ Relationis veſtibulo, poſtquam productus eſt ille de Apoſtolis pſalmi decimi octaui verſiculus: *In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum:* Tùm ſic pergit ſacer Relator: *Hos inter, ſeruus Dei Franciſcus Xauerium ita eluxit, vt in eo Diuini oraculi pars illa impleta eſſe videatur: Et in fines orbis terræ verba eorum. Diuino enim beneficio ſegregatus in Euangelium Dei quà immenſa patent Oceani littora, ad Orientem ſolem deduxit ſonum Apoſtolorum, & in fines orbis terræ, verba eorum. Nam vt taceam Indos, Brachmanas & Malabares ad quos aliqua Euangelij fama olim emanauit, & multorum ſæculorum ætatibus obliterata, Xauerij prædicatione reuixit: Ipſe primus Parauis, Malais, Iais, Acenis, Mindanais, Moluccenſibus ac Iaponibus Apoſtolico ſanè ſpiritu & virtute, Euangelicæ lucis fulgorem induxit, & ſalutem annuntiauit: Vltra quas Prouincias ad Orientem ſolem nihil reliquum orbis terrarum habet.*

Et nonnullis interiectis: *Hoc nomen Apoſtoli, Apoſtolicis factis primùm in Luſitania obtinuit, deinde in India, Iaponia, Sina & reliquis Orientis Prouinciis conſeruauit. Communi enim omnium conſenſu nonniſi Apoſtolus nominatur, meritóque tam honorifica appellatione dignus cenſetur qui Apoſtolico ſanè ſpiritu in tot Prouinciis Euangelium prædicauit, ita Domino cooperante, & ſermonem ſerui ſui confirmante ſequentibus ſignis, vt multa centena hominum millia doctrina & miraculis, Apoſtolorum miraculis ſimillimis, ab idolorum ſeruitute ad veram libertatem filiorum Dei traduxerit, in fide*

Digitized by Google

inſtituerit, & propria manu baptizauerit, inter quos Reges ac Principes non pauci numerantur. Quod Apoſtoli nomen ab hominibus ſeruo ſuo tributum inſigni miraculo Deus confirmaſſe videtur, cùm illi non ſolùm miraculorum ſed etiam linguarum dona conceſſerit, quibus olim Apoſtolos Ieroſolymis ad prædicatiorem Euangelij armauit.

De quo Linguarum dono ſic paulò poſt Idem expreſſiùs: *Diuerſarum namque gentium linguis, quas non didicerat cùm eas Euangelij cauſa adiret, ita eleganter & expeditè loquebatur, ac ſi ibi natus & educatus eſſet: & contigit non rarò vt eum Concionantem diuerſarum nationum homines ſuâ quiſque linguâ planè & politè loquentem audiuerit, id quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum non ſolum auxit venerationem Xauerij, ſed multos etiam ad fidem conuertit: Voluit enim Deus qui illum ad Prædicationem Euangelij in illis Prouinciis ſegregarat, vt ſicut in cæteris Apoſtolicum ſpiritum acceperat, ſic etiam dono linguarum Apoſtolis ſimilis eſſet: & vt non ſolum ſpiritus feruore eximio, ſed etiam variis linguis magnalia Dei vbique loqueretur.*

Ac demum in ea oratione quæ fuit habita coram eodem Summo Pontifice, & quæ Relationi ſubiungitur, ſic Orator paucis omnia contrahendo: *Nec contentus*, inquit, *tot vbique locorum terras, tot maria docendis populis perluſtraſſe, tot inſulas, Prouincias, regna Deo peperiſſe, à capite rem exorſus in Sinas expeditionem adornat, atque emenſo iterum Oceano in Sancianum inſulam, Sinis proximam defertur, Sinarum clauſtra ſeueriſſimis quamquam legibus, cuſtodiiſque firmata tentaturus, vbi derelictus ſimul ab Interprete, ſimul ab hoſpite, morbo correptus, deſerta in inſula, in humili tugurio, in magna rerum omnium inopia, hoc vnum ægerrimè ferens ſe iuuandorum hominum aditu prohiberi; cæterùm Dei deſiderio videndi, ſupra modum incenſus, annos natus quinquaginta quinque decennio poſt ſuum in Indiam aduentu, quarto ante Ignatij obitum anno, ſanctiſſime moritur: Indiarum Apoſtoli nomen conſecutus, non tam aliorum prædictionibus, aùt Luſitanorum, Indorumque conſenſu populorum, quàm propriis virtutibus, quibus ſe Apoſtolorum ad vitam conformauit, ac donis atque miraculis, quibus ad Apoſtolorum gloriam extulit illum Deus, adeout toto Oriente, non alio nomine quam Sanctus atque Apoſtolus appellaretur ab omnibus, etiam ab Ethnicis, qui ad eius ſepulchrum accedere venerabundi, eiuſque opem implorare conſueuerunt.*

Digitized by Google

Verùm ad nos redeamus, & quantam vnuſquiſque partem in hac Apoſtoli dignitate conſequitur, ſeu quantum quiſque à ſanctis & Apoſtolicis viris in ſuum velit deriuare profectum, tantum imitari conetur hunc verè ſanctum & Apoſtolicum Virum, non in linguarum aut miraculorum dono, ſed in abſtinendo & ſuſtinendo. Tota vitæ Chriſtianæ diſciplina duobus hiſce conſtat capitibus, *Abſtine & ſuſtine:* Abſtine à ſenſibilibus bonis: Suſtine mala oppoſita. Quia videlicet illa ſunt duo tantũ, quæ nos retardent, aut boni ſenſibilis cupiditas, aut mali metus. Nonne hoc experiris, ſi quid boni operis eſt exequendum! Nonne inde eſt quidquid omittis boni, vel quidquid committis mali? Viſne hoc etiam ſcire apertiùs? audi ſanctũ Auguſtinum: *Omnia peccata duæ res faciunt in homine, Cupiditas, & Timor; Cogitate, diſcutite, interrogate corda veſtra, perſcrutamini conſcientias, videte vtrum poſſint eſſe peccata, niſi aut cupiendo aut timendo. Proponitur tibi præmium vt pecces, id eſt, quod te delectet, facis propter quod cupis: Sed fortè non induceris donis; terreris minis; facies propter quod times. Si cupiditas non valuit, fortè timor valebit. Porro autem ſi de Scripturis contra cupiditatem venit tibi in mentem, quid prodeſt homini ſi totum lucretur mundum, animæ vero ſuum detrimentum patiatur! veniat etiam contra timorem in mentem: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Ex quibus vides quanti referat abſtinere & ſuſtinere, cùm inde vel virtutes vniuerſæ, vel peccata omnia enaſcantur.

In Pſ 79. *Matth.16.* *Ibid. 10.*

Sic Idem S. Auguſtinus de Chriſto Domino: *Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vitia fecit: omnia quæ vitare cupientes à ſtudio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit: Non enim vllum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea quæ ille contempſit, aut fugiuntur ea quæ ille ſuſtinuit.*

L.1 de vera Rel.c.16

Quid magis oppoſitum Chriſto, quid magis indignum eſt Apoſtolico viro, quid magis alienum à ſectatoribus Apoſtolorum, quàm ſectari quod fugit Chriſtus, aut fugere quod eſt ſectatus? Hæc tu ipſe fugies & illa ipſe ſectaberis, niſi omni ſtudio & contentione abſtineas, & ſuſtineas.

Digitized by Google

Die 6. Decembr.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Ait illi Dominus eius; Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Matth. 25.

VERITAS PRACTICA.

Numquam meliùs ſibi prouidet fidelis Dei ſeruus, quàm ſi nihil ſibi retinens, totum ſe Domino, ſuaque omnia conſecret.

RATIO EST, Quia dum Dei ſeruus nihil ſibi retinet, diuinam ad ſe prouocat Benignitatem.

Sed non melius ſibi prouidet, quàm ſic prouocando ad ſe diuinam Benignitatem.

Ergo numquam meliùs ſibi prouidet fidelis Dei ſeruus, quàm ſi nihil ſibi retinens, totum ſe Domino ſuáque omnia conſecrat. Quod paucis his verbis ſanctus Hieronymus clarè complexus eſt: *Optimus diſpenſator eſt, qui ſibi nihil reſeruat.*

I. PVNCTVM.

TAMETSI hoc Euangelium de quinque talentis, commune eſt omnibus Confeſſoribus, Epiſcopis ſeu Pontificibus: peculari tamen ratione referri poteſt ad ſanctum Nicolaum, cuius quinque talenta quæ accepit à Domino, ſigillatim memorari poſſunt; quinque item quæ ſuperlu-

Digitized by Google

cratus eſt : ac poſtremo quinque, quibus inſuper à Domino ad noſtrum ſubſidium liberaliter & magnificè eſt inſignitus. Habentur illa fuſiùs in meditatione, de eo edita, vnde hæc breuiter referuntur.

Primò quidem, de quinque talentis acceptis, Primum fuit, bona indoles ſeu natiua propenſio in bonum, poterátque illud Sapientis vſurpare, *puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam.* Sap. 8. Secundum fuit, cor docile & tractabile, vt à quibus regendus eſſet, facillimè regeretur. Tertium, auerſio & fuga praui malorum conſortij. Quartum, perfacile ad ſcientias comparandas ingenium. Quintum, facundia naturalis & ingenita, vt poſſet vere dicere, *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt verbo.* Iſ. 50.

Deinde verò quinque alia quæ ſuperlucratus eſt talenta, hæc recenſentur. Primum, applicatio bonæ indolis ad omne genus bonorum operum, ad orationem, ad ieiunium & eleemoſynam; in quibus piis exercendis operibus inſignis fuit à pueritia. Secundò, docilitatem ſuam non modo puer exercebat erga ſuperiores, ſed vir factus & creatus Epiſcopus ſeſe aliis Epiſcopis ſummittebat, vt penè nihil ageret, niſi ex conſilio duorum aut trium, quos ſibi propterea elegerat conſulendos. Tertio, quam improborum fugam & auerſionem iam à primis annis vehementem ſenſerat, ſic in dies expertus eſt vehementiorem, vt ab Epiſcopatu in deſertum migrare cogitaret, atque etiam demigrâſſet, niſi voce diuina retentus audiuiſſet ſe poſſe ſaluari in medio nationis prauæ. Quartò, facilitate ingenij ad ſcientias, ſcientiã ſacrarum ſcripturarum, ſcientiam ſanctorum & ſalutis, ſcientiam animæ, ſibi cumulatè comparauit. Quinto, facundiam naturalem, exercitatione frequenti tam potentem & efficacem reddidit, vt non minùs valeret in diſſuadendis erroribus contra Fidem, quàm in perſuadendis Chriſtianæ Religionis veritatibus.

Poſtremò denique, quæ à Domino præter Beatitudinem, & Gloriam eſſentialem ſit munera conſecutus, & gratias in humanum genus conferendas, tanto in numero celebrantur, vt S. Bernardus affirmet poſt memoriam Virginis ſingularis, nullum eſſe qui memoretur dulciùs, aut inuocetur frequentiùs; Ex his tamen recenſentur quinque fauores præcipui. Primus, ſte- *Serm. de S. Nicolao.*

Digitized by Google

rili partum impetrare. Secundus, captiuos captiuitate liberare. Tertius, tempeſtates maris ſedare. Quartus, balſamum è corpore, ad omnem morbum curandum profundere. Quintus, deſperatos peccatores ab ipſis inferorum ereptos faucibus, ad meliorem vitam reuocare.

Hæc ſunt & multa alia, ſupra quæ conſtitutus eſt fidelis Chriſti ſeruus, ſanctus Nicolaus, qui cùm neglectis ſuis priuatis rationibus vni Domino ſeruiendo vacaret, ſua magis promouit, quàm ſi ſuis ſolum intendiſſet. Hinc orta eſt Veritas, quæ modo expendenda proponitur, Vt in quocumque vitæ genere quis verſetur, *numquam meliùs ſibi prouideat, quàm ſi nihil ſibi retinens, nullâ ſui ratione habitâ, totum ſe Domino ſuaque omnia dedat & conſecret.*

Ratio eſt perſpicua, quia cùm Dei ſeruus, ſic Deo ſeruit totus, vt nihil planè ſibi reſeruet, diuinam in ſe prouocat benignitatem. Deus eſt quidē diues in omnes, etiam antequam quid mereātur, imò etiam poſtquam demerentur, ſed in eos præcipuè diuitias Bonitatis ſuæ explicare, qui ſint in ſe liberales & munifici, nemo dubitare poteſt, quin dubitet de Dei Bonitate & æquitate. Nam ſi tu qui hæc meditaris aut legis, nolles tibi exprobrari hominem aliquem ſuis ſtipendiis tibi ſeruientem egeſtate opprimi, cùm poſſes eum ſuſtentare: quid putas de Bonitate Dei ad tuam comparata? Itáne te bonum credes, vt quod humanæ eſt bonitatis nolis omittere; Et non credes Deum ita eſſe bonum? Oporteret illum aut neſcire, aut non poſſe, aut non velle adeſſe homini, ſic ſibi ſeruienti. Vtrum ex his dices? Non duo prima; nam illi detrahere ſcientiam & potentiam, nimis capitale eſt & blaſphemum. Vnde reſtat tertium, quòd nolit. At vide quàm ſit iſtud longè capitalius cùm magis directè pugnet contra Bonitatem Dei, cuius proprius actus eſt velle bonum. *Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis pater veſter.* Luc. 11.

II. PVNCTVM.

SED *non melius ſibi prouidere poteſt Dei ſeruus, quàm ſic prouocando diuinam Benignitatem.* Vnde enim habet homo, vt benè ſibi prouidere poſſit? nempè ex his tribus: primò quòd naturaliter

raliter benè ſibi velit, deinde quòd ſciat quid ſit ſibi vtile; ac poſtremò quòd id poſſit. Qui fœliciores ſunt in his tribus, hi fœliciùs & meliùs ſibi ſuiſque rebus prouident. At quantumcumque fœlices in his & periti poſſint eſſe homines, quis dubitet Deum longè in omnibus eminentiorem eſſe? An neſcis ipſum tibi melius bene velle, quàm tu tibi; An ignoras ipſum meliùs noſſe quid tibi ſit vtile, quàm tu id noſcas; Ipſum denique quàm tu poſſis, meliùs poſſe. Vnde planè ſequitur, vt quanto Deus homine eſt melior, ſapientior & potentior, tanto meliùs homini prouideatur à Deo, quàm ab homine; ac proinde cùm hanc ille habeat Diuinam Prouidentiam, qui ſibi diuinam procurauit benignitatem; quis non videt non poſſe aliter meliùs ſibi prouideri? *Conuertimini & videbitis*, inquit Propheta, *quid ſit inter iuſtum & impium; & inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei.* Math. 3.

III. PVNCTVM.

SIC *eſt igitur, vt habet Veritas: Numquam meliùs ſibi prouidet Dei ſeruus, quàm ſi nihil ſibi retinens totum ſe ſuáque omnia Deo dedat & conſecret.* Sic enim diuinam benignitatem & prouidentiam ſibi conciliat, quæ tanto eſt aptior noſtris rebus feliciter procurandis, quo Deus maior eſt homine. *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis,* 1. Pet. 5. inquit S. Petrus, cui conformiter Apoſtolus: *Scio cui credidi & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem:* 2. Tim. 1. quaſi diceret, quod eſt valde obſeruandum; non hîc expecto tales eius prouidentiæ & fidelitatis effectus, vt nihil eorum quæ ad hanc præſentem vitam ſpectant, deeſſe poſſit; cùm & ipſa præſens vita ſit tandem deſitura: Sed hoc ſcio, & certus ſum, quòd quidquid boni vel mali accidat, hoc totum rectè ordinet & prouideat in illum Diem qui numquam deſiturus eſt, & ad quem niſi omnia noſtra dirigantur, non poſſunt dici feliciter ſuccedere, aut bene prouiſa eſſe. *Quid enim proficit homo, ſi lucretur vniuerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?* Luc. 9. Hæc eſt itaque vna rei noſtræ felicitas, ſi felicitati æternæ coaptamur & diſponimur. Quod cùm maximè & indubitatè prouideat diuina Benignitas illis potiſſimum, qui ſibi fi-

rum pauperem ageret, quodcumque ſibi ab aliis vltrò ſubminiſtrabatur, & ea quæ ſolitus erat ipſe per ſe mendicare, aliis pauperibus diſtribuebat, contentus ipſe quolibet vili cibo, & pane obuio, vt latiùs dicemus, dùm de pœnitentia agetur. In veſtitu verò, non minùs tenax Paupertatis apparuit: erat enim plerumque attritus, reſartus, & aſſumentis interſectus, in ſumma optimarum veſtium copia, quæ certatim illi ab omnibus offerebantur. In ſupellectili præterea, eius Paupertas valde reſplenduit; eius in cubiculo nihil aliud elucebat niſi ipſa Paupertas, nudi namque erant parietes, lectulus potius ad arcendum ſomnum aptus quàm ad conciliandum, vtpote ſine culcitra, ſine lodicibus, vilibus tantùm ſtragulis duro ceruicali adiuncto; & præter iſta, non aliud quidpiam erat in cubiculo quàm pauci libri ſibi vel aliis neceſſarij.

In itineribus conficiendis, quæ tam longa, tam multa, tam difficilia fuere, tot longinquis peregrinationibus in vltimas terras ſuſceptis, ſtudium Paupertatis ſuum maximè probauit, nullo alio vectore quàm baculo pro equo & vehiculo vſus eſt: pedes ſemper incedendo, & non raro ſine calceis, ſine alio tegumento plantarum: Viaticum non in pera & ſacculo, ſed in Dei benignitate, & aliena pietate repoſitum habebat: nullum ſecum ferre ſolitus, niſi vbi per deſerta & inuia loca eſſet incedendum: & tunc nil aliud parabat quàm cibum caſtrenſem & caſtigatiſſimum, & in toto longo ac impedito itinere Meacenſi, aſſa tantùm victitauit oriza, nec viatoriæ veſtes luculentiores erant quàm cibus, adeo pannoſus ſe in viam dabat, vt aliquando pueris ridiculo eſſet. E Luſitania in Indiam ſoluens precario ſemper in naui victitauit, nec ab illo inſtituto precibus Regij Prætoris, vllatenus abduci paſſus eſt. Idem inſtitutum in nauigationibus reliquis ſeruauit: numquam aliò diuertere ſolebat quàm in Publicas domos Hoſpitalium, vt quemadmodum precariò veſcebatur, ita mendicatò hoſpitaretur. Hoc in Italia, hoc in Luſitania, hoc in India ſemper præſtitit.

DENIQVE de mortificatione & Pœnitentia, quod eſt poſtremum è tribus Abſtinendi generibus, ſic eodem contextu pergitur: *Mortificationis ſtudium, & opera Pœnitentiæ in eo tales fuiſſe conſtat, quales ad inſignem & excellentem requiruntur Sanctitatem. Primo, eximia fuit in eo abſtinentia cibi, cùm non ſolum carnis & vini, ſed etiam panis triticei vſum procul à ſe abdicauerit. In priuata domo, & quoties apud alios non veſceretur, de induſtria inſulſis & vilibus*

& vilibus vtebatur cibis, ac parciſſimè.

Secundo, manifeſtè colligitur ex maceratione carnis: corpus enim frequentiſſimè flagellis cædebat, quandoque æneo filo contextis, quæ etiam ferreis punctis & ſtellulis de induſtria exaſperabat, itaut ſanguinem copioſè profunderet. Somno nonniſi breuiſſimo corpus recreabat, incommodè vel humi, vel fune nautico iacens, vel lectulo vilibus ſtragulis, vt ſupra dictum eſt, parato; reliquum noctis orationi & contemplationi dabat, vel ægrotis viſendis. Quin extra ſolitum ſuum, longe plura & maiora pœnitentiæ opera exercebat; ſæpius namque per plures dies, ab omni cibo abſtinuit, & aliquando à Dominica Paſsionis, vſque ad Sabbatum Majoris Hebdomadæ, ſæpe per biduum vel triduum, quandóque per quatuor totos dies, præſertim in principio ſuæ Conuerſionis; quando etiam, vt doloris ſenſu magis cruciaretur, funiculis ſibi adeo arctè coxendices & lacertos conſtrinxit, vt cum plures dies eo in cruciatu iter agendo perſeueraſſet, animo repente deſtitutus præ doloris magnitudine, in media via conciderit, vinculis in carnem tam altè depreſsis, vt medici vulnus inſanabile iudicauerint, actumque de eius vita eſſet, niſi miraculosè vincula rupta fuiſſent, ſine ope artis humanæ.

SIC itaque quod primum Patientiæ caput ſpectabat, in abſtinentia bonorum ſenſibilium, patet euidenter quàm fuerit ſuis omnibus numeris abſolutum, in ſancto Franciſco Xauerio: vnde reſtat, vt quid de Altero quod eſt in forti malorum omnium tolerantia conſtitutum, in eadem Relatione referatur, audiamus. Sic porro habet, cohærenter ad præcedentia. *FORTITVDINE, MAGNANIMITATE & PATIENTIA in laboribus tolerandis, & ſuperandis heroicè & inſigniter à Deo dotatus fuit. Mundum vicit ſui ipſius abnegatione, Chriſtum ſequutus, honores & dignitates ſibi oblatas ſpreuit conſtanter: vitam religioſam vilem & pauperem elegit, & fortiter retinuit: eluxitque ſæpe eius animi fortitudo, quod plagis & puſtulis Pauperum mendicorum lauatis, aquam ipſam qua illas abluerat non ſemel biberit.*

Nec ſolùm tam glorioſa de ſeipſo victoria eius emicuit inuictus animus, ſed etiam in agrediendis rebus arduis propter Dei amorem, & in ſuperandis difficultatibus, longinquas regiones ac Prouincias adiit, vitæ ſpreto periculo, nec barbarum & efferum in hoſpites Incolarum ingenium timuit ad Chriſtianam manſuetudinem inuitare, à quibus

Digitized by Google

ſibi mortem paratam eſſe audiebat. Ab anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo quo in Indiam nauigauit, vſque ad annum milleſimum quingenteſimum quinquageſimum ſecundum quo diem clauſit extremum, multas diuerſarum nationum & linguarum Prouincias prædicandi Euangelij cauſa peragrauit, contractis etiam ob aſſiduos labores morbis grauiſſimis; ſæpius naufragium paſſus eſt, æſtus, frigoris, nuditatis, vigiliarum, ſitis, famis incommoda diutiſſimè ſuſtinuit: nudis pedibus inter vepres & ſentes longiſſima itinera perfecit: contumeliis, probris, irriſionibus, & omnis generis illuſionibus, & iniuriis appetitus, verbera inſuper, lapidationes ac ſputa paſſus, omnia ſemper non ſolùm æquo animo ſed ſibi plaudente, illius verè diſcipulus qui Apoſtolis dixit: CVM VOS ODERINT HOMINES ET CVM SEPARAVERINT VOS, ET EXPROBRAVERINT, ET EIECERINT NOMEN VESTRVM TAMQVAM MALVM PROPTER FILIVM HOMINIS, GAVDETE, ET EXVLTATE. Deoque propterea in omnibus gratias hilaris & humilis agebat, & pro illuſoribus ac perſecutoribus deprecabatur.

Quæ quidem omnia confirmantur ex iis quæ de ipſius Charitate in Deum, & proximum iam paulò antè ibi fuerant memorata, his verbis ſane obſeruandis: *Oſtenditur eadem Charitas per extinctionem timoris in ſubeundis periculis, & arduis operibus aggrediendis, amore Dei: nam perfecta Charitas foras mittit timorem. Ille verò tantum abfuit à timore vt propter Deum non timuerit naufragium, peregrinationes per inuia & deſerta loca non formidauerit: nec feros Ethnicorum mores expauerit, quamuis ab omnibus, vno conſenſu, exitium ei imminere denuntiaretur. Nec minus elucet eius eximia in Deum Charitas ex contemptu rerum humanarum & mortis, qui in tota huius ſerui Dei vita ita elucet, vt verè cum Apoſtolo poſſet dicere, QVIS NOS SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI? TRIBVLATIO, AN ANGVSTIA, AN FAMES, AN NVDITAS, AN PERICVLVM, &c. IN HIS OMNIBVS SVPERAMVS PROPTER EVM QVI DILIGIT NOS.*

Hæc ſunt expreſſa verba Relationis factæ in Conſiſtorio, coram ſummo Pontifice, à Cardinale Montenſi, ex quibus tam manifeſtè Theſis ſimul & Hypotheſis declarantur, vt quàm apertum eſt in abſtinendo & ſuſtinendo propter ſalutem proximi, contineri omnem patientiam Apoſtolicam, tam apertè liqueat ſanctum Franciſcum Xauerium in vtroque ſimul excel-

iuiſſe. O quales nos ſaltem pro ſalute noſtra deceret eſſe; cùm Ille tantùm laborauerit pro ſalute aliena!

III. PVNCTVM.

SIVE igitur vniuerſim ſpectemus Veritatem propoſitam, certa manet & conſtans; *Hæc eſſe Apoſtolatus & perfectioris vitæ duo ſigna certiora, VELLE ABSTINERE LIBENTER AB OMNIBVS BONIS: ET OMNIA MALA SVSTINERE*, quia in his duobus omnis perficitur Patientia, *Patientia autem*, inquit ſanctus Iacobus, *omne opus perfectum habet.* Siue particulatim illam Veritatem conſideremus in Apoſtolico noſtro Viro, non minus certa eſt & rata fixaque Veritas, hæc eius eſſe Apoſtolatus & perfectiſſimæ vitæ ſigna notiſſima: Vnde in ipſo primo memoratæ Relationis veſtibulo, poſtquam productus eſt ille de Apoſtolis pſalmi decimi octaui verſiculus: *In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum:* Tùm ſic pergit ſacer Relator: *Hos inter, ſeruus Dei Franciſcus Xauerium ita eluxit, vt in eo Diuini oraculi pars illa impleta eſſe videatur: Et in fines orbis terræ verba eorum. Diuino enim beneficio ſegregatus in Euangelium Dei quà immenſa patent Oceani littera, ad Orientem ſolem deduxit ſonum Apoſtolorum, & in fines orbis terræ, verba eorum. Nam vt taceam Indos, Brachmanas & Malabares ad quos aliqua Euangelij fama olim emanauit, & multorum ſæculorum ætatibus obliterata, Xauerij prædicatione reuixit: Ipſe primus Parauis, Malais, Iais, Acenis, Mindanais, Moluccenſibus ac Iaponibus Apoſtolico ſane ſpiritu & virtute, Euangelicæ lucis fulgorem induxit, & ſalutem annuntiauit: Vltra quas Prouincias ad Orientem ſolem nihil reliquum orbis terrarum habet.*

Et nonnullis interiectis: *Hoc nomen Apoſtoli, Apoſtolicis factis primùm in Luſitania obtinuit, deinde in India, Iaponia, Sina & reliquis Orientis Prouinciis conſeruauit. Communi enim omnium conſenſu nonniſi Apoſtolus nominatur, meritóque tam honorifica appellatione dignus cenſetur qui Apoſtolico ſanè ſpiritu in tot Prouinciis Euangelium prædicauit, ita Domino cooperante, & ſermonem ſerui ſui confirmante ſequentibus ſignis, vt multa centena hominum millia doctrina & miraculis, Apoſtolorum miraculis ſimillimis, ab idolorum ſeruitute ad veram libertatem filiorum Dei traduxerit, in fide*

inſtituerit, & propria manu baptizauerit, inter quos Reges ac Principes non pauci numerantur. Quod Apoſtoli nomen ab hominibus ſerno ſuo tributum inſigni miraculo Deus confirmaſſe videtur, cùm illi non ſolùm miraculorum ſed etiam linguarum dona conceſſerit, quibus olim Apoſtolos Ieroſolymis ad prædicatiorem Euangelij armauit.

De quo Linguarum dono ſic paulò poſt Idem expreſſiùs: *Diuerſarum namque gentium linguis, quas non didicerat cùm eas Euangelij cauſa adiret, ita eleganter & expeditè loquebatur, ac ſi ibi natus & educatus eſſet: & contigit non rarò vt eum Concionantem diuerſarum nationum homines ſuâ quiſque linguâ planè & politè loquentem audiuerit, id quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum non ſolum auxit venerationem Xauerij, ſed multos etiam ad fidem conuertit: Voluit enim Deus qui illum ad Prædicationem Euangelij in illis Prouinciis ſegregarat, vt ſicut in cæteris Apoſtolicum ſpiritum acceperat, ſic etiam dono linguarum Apoſtolis ſimilis eſſet: & vt non ſolum ſpiritus feruore eximio, ſed etiam variis linguis magnalia Dei vbique loqueretur.*

Ac demum in ea oratione quæ fuit habita coram eodem Summo Pontifice, & quæ Relationi ſubiungitur, ſic Orator paucis omnia contrahendo: *Nec contentus*, inquit, *tot vbique locorum terras, tot maria docendis populis perluſtraſſe, tot inſulas, Prouincias, regna Deo peperiſſe, à capite rem exorſus in Sinas expeditionem adornat, atque emenſo iterum Oceano in Sancianum inſulam, Sinis proximam defertur, Sinarum clauſtra ſeueriſſimis quamquam legibus, cuſtodiiſque firmata tentaturus, vbi derelictus ſimul ab Interprete, ſimul ab hoſpite, morbo correptus, deſerta in inſula, in humili tugurio, in magna rerum omnium inopia, hoc vnum ægerrimè ferens ſe iuuandorum hominum aditu prohiberi; cæterùm Dei deſiderio videndi, ſupra modum incenſus, annos natus quinquaginta quinque decennio poſt ſuum in Indiam aduentu, quarto ante Ignatij obitum anno, ſanctiſſime moritur: Indiarum Apoſtoli nomen conſecutus, non tam aliorum prædictionibus, aut Luſitanorum, Indorumque conſenſu populorum, quàm propriis virtutibus, quibus ſe Apoſtolorum ad vitam conformauit, ac donis atque miraculis, quibus ad Apoſtolorum gloriam extulit illum Deus, adeout toto Oriente, non alio nomine quam Sanctus atque Apoſtolus appellaretur ab omnibus, etiam ab Ethnicis, qui ad eius ſepulchrum accedere venerabundi, eiuſque opem implorare conſueuerunt.*

Digitized by Google

Verùm ad nos redeamus, & quantam vnuſquiſque partem in hac Apoſtoli dignitate conſequitur, ſeu quantum quiſque à ſanctis & Apoſtolicis viris in ſuum velit deriuare profectum, tantum imitari conetur hunc verè ſanctum & Apoſtolicum Virum, non in linguarum aut miraculorum dono, ſed in abſtinendo & ſuſtinendo. Tota vitæ Chriſtianæ diſciplina duobus hiſce conſtat capitibus, *Abſtine & ſuſtine:* Abſtine à ſenſibilibus bonis: Suſtine mala oppoſita. Quia videlicet illa ſunt duo tantū, quæ nos retardent, aut boni ſenſibilis cupiditas, aut mali metus. Nonne hoc experiris, ſi quid boni operis eſt exequendum! Nonne inde eſt quidquid omittis boni, vel quidquid committis mali? Viſne hoc etiam ſcire apertiùs? audi ſanctū Auguſtinum: *Omnia peccata duæ res faciunt in homine, Cupiditas, & Timor; Cogitate, diſcutite, interrogate corda veſtra, perſcrutamini conſcientias, videte vtrum poſſint eſſe peccata, niſi aut cupiendo aut timendo. Proponitur tibi præmium vt pecces, id eſt, quod te delectet, facis propter quod cupis: Sed fortè non induceris donis; terreris minis; facies propter quod times. Si cupiditas non valuit, fortè timor valebit. Porro autem ſi de Scripturis contra cupiditatem venit tibi in mentem, quid prodeſt homini ſi totum lucretur mundum, anima vero ſuum detrimentum patiatur! veniat etiam contra timorem in mentem. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Ex quibus vides quanti referat abſtinere & ſuſtinere, cùm inde vel virtutes vniuerſæ, vel peccata omnia enaſcantur. *In Pſ 79.* *Matth.16.* *Ibid. 10.*

Sic Idem S. Auguſtinus de Chriſto Domino: *Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vitia fecit: omnia quæ vitare cupientes à ſtudio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit: Non enim vllum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea quæ ille contempſit, aut fugiuntur ea quæ ille ſuſtinuit.* *L.1 de vera Rel.c.16*

Quid magis oppoſitum Chriſto, quid magis indignum eſt Apoſtolico viro, quid magis alienum à ſectatoribus Apoſtolorum, quàm ſectari quod fugit Chriſtus, aut fugere quod eſt ſectatus? Hæc tu ipſe fugies & illa ipſe ſectaberis, niſi omni ſtudio & contentione abſtineas, & ſuſtineas.

Digitized by Google

Die 6. Decembr.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Ait illi Dominus eius; Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Matth. 25.

VERITAS PRACTICA.

Numquam meliùs ſibi prouidet fidelis Dei ſeruus, quàm ſi nihil ſibi retinens, totum ſe Domino, ſuaque omnia conſecret.

RATIO EST, Quia dum Dei ſeruus nihil ſibi retinet, diuinam ad ſe prouocat Benignitatem.

Sed non melius ſibi prouidet, quàm ſic prouocando ad ſe diuinam Benignitatem.

Ergo numquam meliùs ſibi prouidet fidelis Dei ſeruus, quàm ſi nihil ſibi retinens, totum ſe Domino ſuáque omnia conſecrat. Quod paucis his verbis ſanctus Hieronymus clarè complexus eſt: *Optimus diſpenſator eſt, qui ſibi nihil reſeruat.*

I. PVNCTVM.

TAMETSI hoc Euangelium de quinque talentis, commune eſt omnibus Confeſſoribus, Epiſcopis ſeu Pontificibus: peculari tamen ratione referri poteſt ad ſanctum Nicolaum, cuius quinque talenta quæ accepit à Domino, ſigillatim memorari poſſunt; quinque item quæ ſuperlu-

Digitized by Google

cratus eſt: ac poſtremo quinque, quibus inſuper à Domino ad noſtrum ſubſidium liberaliter & magnificè eſt inſignitus. Habentur illa fuſiùs in meditatione, de eo edita, vnde hæc breuiter referuntur.

Primò quidem, de quinque talentis acceptis, Primum fuit, bona indoles ſeu natiua propenſio in bonum, poterâtque illud Sapientis vſurpare, *puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam.* Secundum fuit, cor docile & tractabile, vt à quibus regendus eſſet, facillimè regeretur. Tertium, auerſio & fuga praui malorum conſortij. Quartum, perfacile ad ſcientias comparandas ingenium. Quintum, facundia naturalis & ingenita, vt poſſet vere dicere, *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt verbo.* *Sap. 8.* *Iſ. 50.*

Deinde verò quinque alia quæ ſuperlucratus eſt talenta, hæc recenſentur. Primum, applicatio bonæ indolis ad omne genus bonorum operum, ad orationem, ad ieiunium & eleemoſynam; in quibus piis exercendis operibus inſignis fuit à pueritia. Secundò, docilitatem ſuam non modo puer exercebat erga ſuperiores, ſed vir factus & creatus Epiſcopus ſeſe aliis Epiſcopis ſummittebat, vt penè nihil ageret, niſi ex conſilio duorum aut trium, quos ſibi propterea elegerat conſulendos. Tertio, quam improborum fugam & auerſionem iam à primis annis vehementem ſenſerat, ſic in dies expertus eſt vehementiorem, vt ab Epiſcopatu in deſertum migrare cogitaret, atque etiam demigrâſſet, niſi voce diuina retentus audiuiſſet ſe poſſe ſaluari in medio nationis prauæ. Quartò, facilitate ingenij ad ſcientias, ſcientiã ſacrarum ſcripturarum, ſcientiam ſanctorum & ſalutis, ſcientiam animæ, ſibi cumulatè comparauit. Quinto, facundiam naturalem, exercitatione frequenti tam potentem & efficacem reddidit, vt non minùs valeret in diſſuadendis erroribus contra Fidem, quàm in perſuadendis Chriſtianæ Religionis veritatibus.

Poſtremò denique, quæ à Domino præter Beatitudinem, & Gloriam eſſentialem ſit munera conſecutus, & gratias in humanum genus conferendas, tanto in numero celebrantur, vt S. Bernardus affirmet poſt memoriam Virginis ſingularis, nullum eſſe qui memoretur dulciùs, aut inuocetur frequentiùs; Ex his tamen recenſentur quinque fauores præcipui. Primus, ſte- *Serm. de S. Nicolao.*

raliter benè ſibi velit, deinde quòd ſciat quid ſit ſibi vtile; ac poſtremò quòd id poſſit. Qui fœliciores ſunt in his tribus, hi fœliciùs & meliùs ſibi ſuiſque rebus prouident. At quantumcumque fœlices in his & periti poſſint eſſe homines, quis dubitet Deum longè in omnibus eminentiorem eſſe? An neſcis ipſum tibi melius bene velle, quàm tu tibi; An ignoras ipſum meliùs noſſe quid tibi ſit vtile, quàm tu id noſcas; Ipſum denique quàm tu poſſis, meliùs poſſe. Vnde planè ſequitur, vt quanto Deus homine eſt melior, ſapientior & potentior, tanto meliùs homini prouideatur à Deo, quàm ab homine; ac proinde cùm hanc ille habeat Diuinam Prouidentiam, qui ſibi diuinam procurauit benignitatem; quis non videt non poſſe aliter meliùs ſibi prouideri? *Conuertimini & videbitis*, inquit Propheta, *quid ſit inter iuſtum & impium; & inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei.* Malth. 3.

III. PVNCTVM.

SIC eſt igitur, vt habet Veritas: Numquam meliùs ſibi prouidet Dei ſeruus, quàm ſi nihil ſibi retinens totum ſe ſuáque omnia Deo dedat & conſecret. Sic enim diuinam benignitatem & prouidentiam ſibi conciliat, quæ tanto eſt aptior noſtris rebus feliciter procurandis, quo Deus maior eſt homine. *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis,* 1. Pet. 5. inquit S. Petrus, cui conformiter Apoſtolus: *Scio cui credidi & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem:* 2. Tim. 1. quaſi diceret, quod eſt valde obſeruandum; non hîc expecto tales eius prouidentiæ & fidelitatis effectus, vt nihil eorum quæ ad hanc præſentem vitam ſpectant, deeſſe poſſit; cùm & ipſa præſens vita ſit tandem deſitura: Sed hoc ſcio, & certus ſum, quòd quidquid boni vel mali accidat, hoc totum rectè ordinet & prouideat in illum Diem qui numquam deſiturus eſt, & ad quem niſi omnia noſtra dirigantur, non poſſunt dici feliciter ſuccedere, aut bene prouiſa eſſe. *Quid enim proficit homo, ſi lucretur vniuerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?* Luc. 9. Hæc eſt itaque vna rei noſtræ felicitas, ſi felicitati æternæ coaptamur & diſponimur. Quod cùm maximè & indubitatè prouideat diuina Benignitas illis potiſſimum, qui ſibi fi-

dunt & totos tradunt: certè hi ſunt qui ſibi maximè prouident, dum nihil ſibi reſeruant, vt toti illius ſint, qui hoc vnum expectat, vt eos tamquam ſuos in ſuam ipſe felicitatem rectà ducat, & introducat. *Intra in gaudium Domini tui:* O quale gaudium! qualis introitus! quid non propterea dandum eſſet, ſi emi poſſet? *Et tamen venale eſt*, inquit S. Auguſtinus, *eme ſi vis, non multum exæſtues de re magna propter pretij magnitudinem: tantum valet, quantum habes. Noli quærere quid habeas, ſed qualis ſis; res iſta tanti valet, quantum es tu! Te da & habebis illam.* Hoc eſt nihil tibi de te reſerua in Chriſti ſeruitio, & habebis Chriſtum, qui vera Via eſt ad æternam illam Vitam.

Matth. 25.

Sermon. 64. de verbis Dom.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Die 8. Decembris

Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Cant. 4.

VERITAS PRACTICA.

Conceptio ſine macula non poteſt verè coli cum macula.

VEL SIC

Præuaricatorem eſſe oportet, qui Conceptionem ſine macula, colat cum macula.

SENSVS eſt, quòd quiſquis aliquam in ſe agnoſcit peccati ſeu deprauati affectus maculam, quam non velit deponere, non poteſt verè colere Conceptionem Beatiſſimæ Virginis, ſicut hodie colenda proponitur ſine vlla peccati macula: aut ſi hanc colat cum macula, præuaricator ſit reputandus, iuxta illud Dauidis, Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. *Pſ. 118.*

RATIO EST, quia præuaricator is dicitur qui contra id agit quod profitetur.

Sed qui colendo Conceptionem ſine macula, non vult deponere

Digitized by Google

quam in ſe agnoſcit maculam, contra id agit quod profitetur. Ergo eum præuaricatorem eſſe oportet; aut ne tam infami ſe inficiat nomine, deponat maculam quiſquis conceptam ſine macula velit colere Beatam Virginem.

I. PVNCTVM.

QVOD piè creditur, & quod colendum hodiè proponitur de Conceptione Beatiſſimæ Virginis, ſic breuiter habe & contemplare. Illo ipſo primo inſtanti quo creata eius anima infundenda erat formato corpori, in vtero Beatæ Annæ matris, atque vt cæteræ animæ in originale peccatum iam iam lapſura erat; præuenit Deus hunc lethalem lapſum, & Gratiâ ſanctificante, quæ cum tali peccato repugnat, ita illam animam præmuniuit, vt ſancta ſimul ac concepta fuerit; vnde eius Conceptio dicitur immaculata, id eſt abſque vlla prorſus peccati macula; vnde illi hæc ex Canticis, & Sacris Pſalmis ab Eccleſia concinuntur: Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*; Ibid. 6. *QVAM pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis*; Id eſt in ipſo primo exortu. *Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus: Deus in medio* Pſ. 45. *eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo. Venite & videte opera Domini quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella vſque ad finem terræ: Arcum conteret & confringet arma.* Id eſt nulla erit repugnantia carnis cum ſpiritu, quandoquidem nullum eſt peccatum, quod eſt origo & fomes talis repugnantiæ, Lib. de Emmanuele. *Quæ eſt iſta terra,* inquit Richardus Victorinus, *de qua bella omnia auferuntur, niſi illa de qua Idem Propheta, veritas de terra orta eſt; Cæteris ſanctis præcipitur vt in mortali eorum corpore peccatum non regnet, ſoli virgini ſingulariter datur, vt mortale corpus eius peccatum non inhabitet.*

His & ſimilibus aliis cogitationibus & affectibus immaculatum hunc Beatiſſimæ Virginis Ortum ſaluta, venerare, & omni pietatis officio proſequere. Et vero id digne & verè numquam facies, niſi quam noris in te peccati maculam hodie ſtudeas eluere, & omnino deponere. Neque enim Conceptio ſine macula poteſt verè coli cum macula. Præuaricantes ſunt qui-

dem omnes peccatores, ſed hi tales maximè reputandi, qui cum voluntariâ peccati maculâ, immaculatam Sanctiſſimæ Virginis Conceptionem ſe colere profitentur.

Ratio quæ affertur eſt facilis, dum ſemel benè intelligatur quid ſit præuaricari, ſeu eſſe præuaricatorem; Id autem Scriptura ſatis apertè declarat, cùm ait: ***Noli praeuaricari in amicum.*** *Eccleſi. 7.* Id eſt noli quidquam committere, quo videaris non eſſe eius amicus, cuius te tamen amicum profiteris. Et alibi: ***Interpretes tui præuaricati ſunt in me,*** *Iſ. 43.* id eſt, cum præ ſe ferrent explicare legem, aliter interpretati ſunt ac explicanda erat: vel, ſuis ipſis operibus deſtruxerunt, quod aſtruebant interpretando legem, cùm aliter viuerent, quàm viuendum ex lege ſcirent. Sic *Gal. 2.* aptè Apoſtolus: ***Si quæ detruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo.*** Ex quibus manifeſtè patet præuaricatorem eum dici, qui aliud agit, & aliud profitetur. Quod eſt valde probroſum. ***Deprehenderis & detegeris Chriſtiane,*** inquit ſanctus *De Symbolo ad Catec.* Auguſtinus, ***quando aliud agis, & aliud profiteris.***

II. PVNCTVM.

SED qui colendo Conceptionem ſine macula, non vult deponere quam in ſe agnoſcit peccati maculam, contra id agit quod profitetur, ſeu aliud agit, & aliud profitetur.

Quid eſt enim colere Conceptionem ſine macula, quàm profiteri, & præ ſe ferre quod eſſe ſine macula, ſit tam magnum, tam laudabile, támque diuinum, vt æſtimetur à nobis religioſè colendum & celebrandum? Et certè ita eſt, nulla par dignitas, nullæ diuitiæ, nullus honor aut gloria, nullum denique creatum bonum poteſt venire in comparationem immaculatæ animæ. Nam ſi de ſapientia ſic Sapiens loquitur; ***præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius: nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius:*** *Sap. 7.* Quantò id magis verum de Gratia, cuius minimus gradus tanto ſupra ſapientiam & omnia creata bona præeminet, quanto ipſa ſapientia cæteris præſtat bonis.

Sic apertè Eccleſiaſticus: ***Quàm magnus,*** inquit, ***qui inuenit ſapientiam & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Dominum.*** *Eccleſi. 25.* Ti-

mor Dei ſe ſuper omnia ſuperpoſuit; Quaſi diceret, quidquid magni & admirandi cogites de homine, niſi voluntariâ culpâ vacet, quantùm quidem per Dei gratiam vacare poteſt, non eſt ille vir tantus, quantus eſt timens Deum, qui ſe illo timore vel à contrahendi peccati macula continet, vel contractam quàm citò poteſt deponit, quia puritas vitæ præſtat omnibus æſti-

Ibid. 26. mandis; quantumcumque ſint illa pretioſa. *Omnis ponderatio*, ait Idem, *non eſt digna continentis animæ.*

Atque hanc integerrimam vitæ puritatem tanti æſtimabat ſapientiſſima Virgo, vt ipſi Maternitati diuinæ non dubitaret eam præponere: vnde ſi optio illi data fuiſſet eligendi, aut maternitatem Dei cum peccato originali, vel cum alia demum peccati macula; aut immaculatam puritatem ſine maternitate Dei; maluiſſet pura eſſe ſine Dei maternitate, quàm mater eſſe ſine tali puritate. Quod ex eius reſponſione ad Angelum, facile eſt

Luc. 1. colligere, *quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?*

Nec erat alius Filij eius, Domini noſtri ſenſus, cùm diceret

Matth. 12. nuntianti matrem adeſſe; *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres*

Luc. 11. *mei?* Vel cùm inclamanti, *beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*, reſponderet, *quin imò, beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Nam ſic indicabat, vt interpretatur S. Auguſtinus, & alij, *beatiorem eſſe virginem*, & digniori titulo ſuam eſſe matrem, quòd ſancta eſſet, quàm quod præcisè ſua mater eſ-

L. de ſancta Virg. c. 1. ſet: *Nec materna*, inquit, *propinquitas Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde, quàm carne geſtaſſet.*

Hoc eſt igitur quod profitemur hodie, cùm Beatiſſimæ Virginis Conceptionem ſine macula colimus; hoc eſt quod in ea colitur, *purum ſcilicet, & immaculatum eſſe*, quod eſt certè colendum. Itane vero id colis qui quam in te agnoſcis peccati maculam, non vis deponere?

Hoc quidem profiteris, ſed nonne aliud agis & aliud profiteris? Cur enim peccati maculam retines; niſi aliquid in peccato tibi placeat, & quod probatum velles ab omnibus? At verò ſi eſt aliquid quod in peccato placere & probari poſſit, quid eſt quod eſſe abſque peccato ſit ita laudabile, ſicut laudatur hodie in immaculata Virgine, & ſicut tu ipſe celebrandum profiteris?

Si de originis peccato duntaxat ageretur, ſi de aliquo veniali,

Digitized by Google

quo vix vllus eximitur: tolerari res poſſet; ſed cùm voluntarium ipſe peccatum admittas, & admiſſum retineas, & approbes, atque etiam ab aliis approbatum velles, ne illud deponere cogereris; hoc eſt profectò tam aliud & tam diuerſum ab eo, quod hodie profiteris in laudata Virgine, quàm peccatum & non peccatum. Tu bonum & beatum profiteris in ſancta Virgine, abſque peccato eſſe; tibi autem eſſe in peccato bonum & beatum cenſes, quandoquidem in eo non remaneres, niſi tibi bonum eſſet. Quid illud tandem eſt, niſi aliud dicere & agere, atque aliud profiteri? Sunt quidem aliqua bona quæ probentur in vno magis, quàm in alio: ſed peccatum in nullo probari poteſt. Diuitias & honores vnus cum laude contemnet, quas alius merito retinere poteſt; At ſolum eſt peccatum, quod nemo iure retineat, & quod nemo verè improbet, ſi tantillum in ſe probet. *Nimis odito execrationem*, Id eſt, quamtumcumque tibi videaris eam odiſſe, maiori etiam habenda eſt odio. Eccleſ. 17.

III. PVNCTVM.

P*RAEVARICATOREM igitur cum eſſe oportet, qui Conceptionem ſine macula colat, cum voluntaria macula.* Quia in colendo talem Conceptionem videtur eam maculam deteſtari, quam tamen dum in ſe admittit aut retinet, adeo non deteſtatur, vt amet & approbet, ſicque aliud agit, & aliud profitetur, quod eſt ſeipſum negare, & præuaricatorem conſtituere; atque in offenſam Dei non leuem incurrere. Vnde ipſe per Prophetam. *Ponam*, inquit, *faciem meam in eos, eò quod prauaricatores extiterint.* Sic enim videtur augeri peccatum ex mente ſimulata & ex duplici corde, quod apparet in probando ſimul & improbando peccato. Vnde & rectè Sapiens: *Anima praaricatorum iniqua.* Nam ſic iniquè agit & contra Deum, & contra ſeipſam. Neque valet quod dicas te non amare peccatum, cùm rem ipſam ames cui annexum eſt peccatum. Neque etiam excuſat, quòd longè ſit alia noſtri ratio & Beatæ Virginis, à qua omnem culpam remoueri dignitas eius exigit: à nobis autem noſtra conditio non ita poſtulat. Id enim falſum eſt de grauioribus & voluntariis illis culpis quas fouemus, & quas ſic debemus, quantum Ez. 15. Pr. 14.

Digitized by Google

cum gratia poſſumus, deuitare, vt nihil putemus magis noſtrum, quàm, *Immaculatos nos cuſtodire ab hoc ſæculo.*

Iac. 1. Iſ. 46. *MEMENTOTE iſtud & confundamini: Redite prauaricatores ad cor:* Nempe vt hæc cogitet & recogitet coram Deo, & Beatiſſima Virgine, cui quantum vitæ Puritas placet, tàm diſpliceat Impuritas neceſſe eſt. Effunde quas voles preces; adorna quo velis munere, ſacras eius imagines & ſacras eius ædes: Erumpe in eius laudes quantumuis eximias, nihil agis ad eius cultum, niſi puritatem vitæ quam maximè colit, & quâ maximè ſe colendam indicat, ſtudioſiùs conſecteris. Pr. 8. *Nunc ergo filij audite me, beati qui cuſtodiunt vias meas.* Eccleſi. 24. BALSAMVM *non mixtum odor meus: & flores mei, fructus honoris & honeſtatis. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini,* Id eſt, Immaculatæ meæ Conceptioni vos conformate.

IN EADEM DIE,

AD ILLVD APOCALYPSIS 21.

Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.

I. PVNCTVM.

PRIMO id dicitur de cœleſti Ciuitate ſeu Beatitudine, in quam certum eſt nihil niſi purum & ſanctum intrare: vbi maximè adimpletur quod ait Apoſtolus de Chriſto Domino, Epheſ. 5. *Qui ſeipſum tradidit pro Eccleſia vt illam ſanctificaret, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.*

DEINDE vero id accommodatur Beatiſſimæ Virgini quæ Pſ. 45. eſt *Ciuitas Dei de qua glorioſa dicta ſunt:* Et ſemper dici debent, vt eſt in Pſalmo: Et in quam non intrabit aliquod coinquina- Pſ. 9. tum ſiue originale ſiue actuale. *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur.*

DENIQVE de Eadem etiam modò id dici poteſt, quo ſenſu dicimus, intrare in animum alicuius, id eſt, ſibi beneuolum & gratioſum

Digitized by Google

gratioſum facere : *Sicque non intrabit in eam aliquod coinquinatum*, perinde eſt ac dicere, nullus coinquinatus eo vitio quo præcipuè inquinatur animus, nimirum Impudicus, Impurus, Immundus, & quiſquis huiuſmodi eſt affectu & habitu, nullus intrabit in animum eius, quidquid faciat vt ſibi eam beneuolam & gratioſam reddat, nihil faciet, niſi mutet mentem, & impurus eſſe deſinat. Quod vt plenius ad praxim expendatur, ſic eſt concepta

VERITAS PRACTICA.

Aut puritatem Beatiſſimæ Virginis neget Impurus, aut concedat ſe abnegatum à tam pura Virgine.

RATIO EST, Quia qui neget tantam eſſe puritatem Virginis Matris, quanta eſt ipſa in ſe puritas; negabit eius puritatem.

Sed ſi porrò concedat talem eius puritatem, neceſſe eſt vt concedat ſe à tali puritate, ſiue à tam pura Virgine abnegatum.

Ergo aut puritatem Beatiſſimæ Virginis Impurus neget, aut concedat ſe abnegatum à tali Virgine; quorum alterutro negato vel conceſſo quid deteſtabilius? quid damnabilius?

PRIMA propoſitio non poteſt aliter declarari quam exponendo talem fuiſſe puritatem Beatiſſimæ Virginis Matris, qualis ipſa in ſe poteſt eſſe puritas, id eſt, quanta poteſt cogitari maxima, id eſt, quanta ipſa eſſet pura creata Puritas ſi reipſa ſubſiſteret. Sic enim expreſsè Eccleſia, dum ſanctam & immaculatam laudat Virginem : *Sancta*, inquit, *& immaculata Virginitas quibus te laudibus efferam neſcio. Sic decens, erat*, inquit ſanctus Anſelmus, *vt ea puritate qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Et S. Ambroſius : *Sit vobis tamquam in imagine deſcripta Virginitas, vitaque Mariæ, de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis.* Sic denique quidquid ad extollendam puritatem Scriptura vel in figuris obuolutum, vel in perſonis repræſẽtatum, vel in verbis expreſſum habet, hoc

L. de Concept. Virg. c. 18.

L. 2. de Virg.

totum ſancti Patres ad ſanctiſſimæ Viginis referunt puritatem, neque dum tamen ſatis eam extuliſſe putant; Vnde eſt illud
Serm. de Aſſumpt. Virg. egregiè dictum à Sophronio; *Quidquid eſt mentis humanæ ſi adhiberetur, non poſſet cogitare quàm eſſet illa, indeſinenter affixa Deo, vt in ea nihil eſſet mundanus quod violaret affectus.* Vides itaque quam ſit verè dictum quod Impurus negaret puritatem Virginis, qui talem ei puritatem denegaret.

II. PVNCTVM.

SED ſi porrò Impurus talem ei concedit puritatem, contemplare quam non minus ſit certum, quod ſimul neceſſe eſt vt concedat ſe à tam pura Virgine abnegandum & repellendum, aut iam eſſe abnegatum & repulſum.

Quod enim faceret Puritas, hoc pura Virgo faciat neceſſum eſt, ſi ipſa eſt puritas, cùm ſeipſam negare non poſſit, neque à ſe ipſa degenerare aut tantillum deſciſcere. Quid autem faceret Puritas cum Impuro? Alterutrū profectò è duobus; aut ab
1. Cor. 15. eo perdatur, aut illum perdat. *Neque enim*, vt ait Apoſtolus, *corruptio incorruptelam poſſidebit:* Non eſt vlla virtus tam ſui tenax, & magis indiuiſa quam pura Puritas. Aut pura eſſe deſinet ſi quid impurum ſibi accedere patiatur, aut ſi pura conſiſtat, numquam illud patietur.

Patietur Humilitas aſſidere ſibi ſuperbum; Feret manſuetudo iracundum; Portabit inuidum Charitas; Intemperantem Temperantia ſuſtinebit; Suum denique vnaquæque Virtus oppoſitum vtcumque tolerabit; ſola eſt Puritas quæ ſimul cum impuro non poteſt tuta quieſcere, non poteſt quieta ſubſiſtere. *Diſcede à me pabulum mortis, quia iam ab alio Amatore præuenta ſum.* Solo Impuri aſpectu ſic in ſancta mouebatur Agnete Puritas, vt quamquam ætate, Virgo infirma eſſet, virtute tamen tam robuſta & conſtans erat, vt auderet ſic loqui, ſic contendere, ſic certare, & vincere.

Non eſt pro aliis virtutibus tale inſtitutum certamen quale
Sap. 4. pro Caſtimonia, *Quæ*, vt ait Sapiens, *in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens:* Id eſt, ſic decertans, vt non modo ſe inquinari non patiatur, ſed neque inquinatum ſibi accedere; perdat potius cuncta, quàm vel le-

Digitized by Google

uiter attrectetur. Dabit in Ioſepho pallium ; Dabit in alio linguam contra impurum, conſpuendam ; In alio dabit oculos eruendos potius quam maculandos : Et in magno Ioanne dabit caput, Caput illud Sanctiſſimum, ne dicatur vidiſſe impuritatem, & tacuiſſe. Nam ſi herba quædam, ſi nonnullæ gemmæ, ſi apes cum impuro ita pugnant vt ſimul non poſſint quieſcere, quid ipſa faciet Puritas ? quid ingenitus à natura rationali Pudor, vel infuſus à gratia ?

HINC tam ſeuera Pauli contra Corinthios animaduerſio, quod vel vnum impurum in ſua ſecum ciuitate paterentur : *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit ?* Non eos arguit quod impuri eſſent, quod impuritati conſentirent, aut quoquo inde modo ad ſe contraherent ; ſed hoc vnum quod illum apud ſe ſinerent viuere qui non purè & ſanctè viueret, non quod in eodem habitarent cubiculo, non quod in eadem domo, non quod in eadem vicinia ; ſed quod eum tantum in eadem Ciuitate, licet ampliſſima paterentur, nec inde illum expellerent, nihil vt habere poſſent cum illo commercij, non tantum vſu, non tantum victu, nec tantum colloquio, ſed nec acceſſu nec viſu. *Auferte*, inquit, *malum ex vobiſipſis*. Sic nempe Puritas impurum abnegat, & à ſe abjicit. *1. Cor. 5.* *Ibid.*

III. PVNCTVM.

AVT ergo puritatem Beatiſſimæ Virginis Impurus neget, aut concedat ſe à tali puritate abnegandum. Nam ſi neget eam ipſam eſſe Puritatem, negabit eſſe puritatem Virginis matris : aut ſi talem illi concedat puritatem, concedat etiam neceſſe eſt, vt in ipſum Virgo exerceat quidquid Puritas exerceret, ſi ſola per ſe ageret. Quid autem Puritas exerceret, niſi quod ſibi tam intimum & connaturale eſt, vt puritas non eſſet, niſi oppoſitam impuritatem penitus abhorreret, *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras ?* Nulla certe, Sed tamen aliqua fieret potius lucis & tenebrarum conſociatio, quàm puritatis & impuritatis. Hoc eſt quod ipſa Virgo puriſſima cuidam Adoleſcenti non ſatis caſto, quondam indicauit, dum ſibi preces fundenti dapes exquiſitas obtulit in vaſe lutoſo & ſordido comedendas. Exhorruit ſcilicet Adoleſcens ; At illa, inquit, *2. Cor. 6.*

Digitized by Google

ſic tu mihi horrorem inferscum preces alioquin pias tu immundus & impurus offers. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Iacob inhabita*, Non in Eſau, non in fornicatore & profano Eſau, vt declaratur fuſius in Feſto Annuntiationis.

Eccleſ. 24. Hebr. 11.

Hoc ergo cogitet quiſquis impurus accedit, puriſſimam Virginem oraturus, cogitet ſe ad ipſam Puritatem accedere, ſe puritati velle communicare, nec velle tamen impuritatem deponere: quod eſt puritatem ita offendere, vt non poſſit ad ſe accedentem non exhorreſcere. *Lauamini mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, & venite.* Alioquin, *ſcitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Chriſti*; ac proinde etiam tamquam exhæres à Regina matre, & tamquã à Sara Iſmael, domo & aſpectu eiectus eſt, depulſus eſt, & abnegatus. At quò tandem fugiet, offenſa Virgine? ſublatũ eſt omne prorſus effugium. Vide & recole memorandã Sanctorum Patrum ſententiam: *Sicut omnis ab illa conſpectus impoſſibile eſt vt pereat, ſic ab illa deſpectus neceſſe eſt vt intereat.* Cumque illud totum damnum ex vna Impuritate naſcatur, quis ſanæ mentis & de ſua ſalute tam parum ſolicitus, vt non potius ſerio cogitet de mundando corde, quam ſe tot damnis abjiciat, tamque certis periculis? Sic dicuntur *deſperantes* qui ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, quia reuera nihil deſperatius, nihil deploratius. *Salua animam tuam, feſtina, & ſaluare ibi.*

Iſ. 1. Eph. 5. Gen. 21. Gal. 4. Feria ſexta infra Hebd. 1. Adu. Eph. 4. Gen. 19.

SIC FORTE ETIAM BREVIVS POSSET CONCIPI VERITAS.

Nemo amans impuritatis, amat Beatam Virginem.

RATIO à priori eſt, quod nemo eum amare dicendus eſt cui non timet diſplicere, ſua culpa quam poſſet tollere.

Sed amans impuritatis non timet diſplicere Beatæ Virgini ſuâ illâ culpâ grauiſſimâ quam poſſet tollere. Ergo non amat Beatam Virginem, quidquid ſibi fingat.

RATIO à poſteriori eſt, quod nemo ſit amans Beatæ Virginis qui ab ea non ametur. Sed amans impuritatis, non amatur à Beata Virgine. Ergo nec eius amans eſt: & neſcit quid ſit eam amare, vel amari ab illa.

Digitized by Google

EGO, inquit, *diligentes me diligo, in viis Iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum Iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Prou. 8. Hoc eſt videlicet eam diligere, In iiſdem Iuſtitiæ viis in quibus ambulat, ambulare. Et hoc eſt ab ea diligi, ab ea copiosè ditari, & repleri bonis cœleſtibus. At certe amans impuritatis non is eſt qui ſic amet & ametur.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Quam in ſe amat Beata Virgo puritatem, in nobis amat: Et quam in ſe odit impuritatem, in nobis odit.

RATIO eſt, quia quam in ſe amat puritatem, aut quam in ſe odit impuritatem, idcirco ſic amat & ſic odit, quia ſic placet Deo: & quidquid Deo placet, vt vel amet, vel oderit, ſic illa ſemper amat & odit. Atqui hoc etiam Deo placet vt quam in ſe amat puritatem, in nobis amet, & quam in ſe odit impuritatem, in nobis oderit. Ergo illa quod in ſeipſa, hoc in nobis amat & odit. Non eodem quidem in gradu puritatem amat in nobis atque in ſe, quia non idem gradus ſaltem poſitiuus in nobis, Deo placet, ſicut in illa; ſed quam videt placere Deo in nobis puritatem, certe ſic illa vellet & ſic amat, ſicut ſuo modo ſuam amat. Quidquid ſit autem de poſitiuo puritatis gradu, cum certum ſit de negatiuo nullum Impuritatis actum & gradum voluntarium placere Deo in nobis, ſic profectò illa omnem impuritatem in nobis odit, & tam vehementer odit quàm in ſe oderat, & quàm videt placere Deo, vt in nobis oderit & deteſtetur.

Iam vero quale eſt illud odium quo in ſe impuritatem odit? aut quale eſt illud quod de nobis in Deo videt! cogita, recogita vehementer, vt ſentias in te quod ipſa de te ſentit: *Quaſi libanus non inciſus vaporaui habitationem meam.* Eccleſ. 24.

AD ILLA CANTICORVM VERBA:

Sicut lilium inter ſpinas, ſic Amica mea inter filias. Cant. 2.

VERITAS PRACTICA.

Quod ſis tamquam ſpina natus, poteſt quidem Beata Virgo compati: Sed quod modo tamquam ſpina viuas inter lilia, non poteſt pati.

SENSVS infra commodius declarabitur.

RATIO quoad poſtremam partem quæ ſola probatione indiget, hæc eſt, quod Beata Virgo non ſic poteſt lubens volenſque pati ſeu ferre tuas culpas, quin eas improbet & omni modo inſectetur:

Sed quod modo, tamquam ſpina viuas inter lilia, tua vnius culpa eſt.

Ergo id illa non poteſt pati.

IMPRIMIS explicandum eſt quomodo in ſua Conceptione Beatiſſima Virgo fuerit, ſicut Lilium inter ſpinas; id eſt quâ differentia lilium à ſpinis differt, ſic Beata Virgo à reliquis hominibus. Triplex autem notari poteſt differentia.

Prima, quod lilium ſit aſpectu pulchrum & iucundum, ſpinæ autem deformes ſtrigoſæ & nullo modo gratæ. Sic Beata Virgo dum eſt concepta in Gratia, tota gratioſa, tota pulchra, & ſine macula fuit in oculis Dei. Cæteri vero infantes dum in peccato concipiuntur, & manent, filij ſunt iræ, ſunt inquinati culpa quam vocant originali, & nullo modo grati. Ephes. 2.

Deinde lilium læue eſt, politum & ſuaue tactu: Spinæ vero aſperæ, aculeatæ & vix tractabiles. Sic Beata Virgo tota ſuauis eſt ſine vllo carnis ſtimulo, ſine vllo peccati fomite; Cæteri autem cum Apoſtolo ingemiſcunt & dicunt, *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ. VIDEO aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* 2. Cor. 12. Rom. 7.

Denique lilium expanſis in cœlum foliis ſurſum erigitur, & recto conſiſtit ſitu: Spinæ autem deorſum repunt & in terram totæ incuruantur. Sic immaculata Virgo nulli humanæ obno-

xia corruptelæ, non in terra figit ſuas curas & cogitationes, ſed in cœlum, cœleſteſque motus tanta facilitate fertur cum ſua Gratia, quanta nos inde auocamur. O verè lilium inter ſpinas, ò vere pulchra & ſuauis & electa inter omnes, ſine te tangi noſtris miſeriis, moueat te miſeranda noſtra condicio. Compatietur illa quidem noſtris humanis & naturalibus miſeriis, quibus ex aliena potius culpa ſubiacemus quam noſtrâ, ſed quod noſtra culpa ſimus miſeri, non hoc prouocat cœleſtem miſericordiam, ſed iram excitat. *Iudith. 8.*

HOC eſt quod continet propoſita Veritas, hoc eſt tamquam ſpinam naſci, naſci cum illis defectibus qui diſcernunt ſpinas à lilio; Et quod quidem ita ſis natus, tibi compatitur: Sed quod modò tamquam ſpina viuas inter lilia, modò cum poſſis in Chriſto tuis reſiſtere naturalibus concupiſcentiis, ſic tamen illis cedas, quaſi non eſſet Chriſtus: tua eſt culpa, tua eſt malitia. Quod autem ſic tua culpa fit, non poteſt æquis Virgo videre oculis, non poteſt æquo pati animo, cùm præſertim inter Eos viuas qui velut lilia, cœleſti puritate nitent, & quid poſſis cum Gratia, ſuo te doceat exemplo, ſuo comitetur præſidio.

O quantùm tu te ipſe diſiungis à Virgine! Hæc facta eſt lilium inter ſpinas; & tu inter lilia, te vltrò ſpinam facis! *florete flores quaſi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam.* *Eccleſi. 39.*

AD HÆC PSALMI TRIGESIMI TERTII VERBA:

Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.

VERITAS PRACTICA.

PVERIS MAXIME COMMENDANDA.

Quem docet Virgo timorem Domini, tantò meliùs concipitur, quantò meliùs edocetur immaculata Eius Conceptio.

RATIO EST, Quia quem docet Virgo timorem Domini, tantò

Digitized by Google

melius concipitur, quantò exemplum eius quo illum timorem docet, eſt efficacius.

Sed quantò melius edocetur immaculata eius Conceptio, tantò eſt efficacius eius exemplum quo illum timorem docet.

Ergo & quem docet Virgo timorem Domini, tantò melius concipitur, quantò melius edocetur immaculata eius Conceptio; Ac proinde diligenter audienda eſt, vt doceamur in praxi ſanctum illum timorem Domini.

I. PVNCTVM.

NVLLA eſt ætas, nulla Condicio, nulluſue hominum ſtatus in quo Timor Domini non ſit valdè commendandus, atque etiam valde neceſſarius, nam *qui ſine timore* Eccleſ. 7. *eſt, non poterit iuſtificari*; Et *ſi non in timore Domini tenueris te in-* Ibid. 27. *ſtanter, citò ſubuerteret domus tua.* Tamen hic affectus pueros, & eos qui incipiunt vacare ſuæ ſaluti vel maxime decet & iuuat, vnde dicitur *Initium ſapientiæ, Timor Domini*, & ipſa Sapientia Ib. 1. præſertim monet: *fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore.* Quamobrem licet omnes Chriſtiani dicantur & ſint filij Beatiſſimæ Virginis Matris, poſſintque re vera his compellari vocibus: *Venite filij, audite me:* tamen hi filij proprie ſunt Pueri vel Iuniores in cultu Domini, quos optima Parens diligenter inſtruit, & quod primum docet eſt timor Domini. *Venite timorem Domini, docebo vos*, hic eſt ſcholarum & ſodalitatum finis præcipuus, vt diſcatur ille S. Timor qui tãto ſupra ſcientiã & quaſlibet artes excellit, quantò ipſa ſcientia & humana quæuis ſapientia præſtant cæteris caducis bonis. Iam enim audiuiſti Sapientem ita nobis denuntiantem: *Quàm magnus qui inuenit ſapientiam* Ibid. 25. *& ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Dominum. Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit. Beatus homo cui donatum eſt habere timorem Dei: qui tenet illum, cui aſſimilabitur?*

Cum autem multa ſint vnde hic ſanctus timor hauriri poſſit, tum ex Beata Virgine, *quæ eſt Mater pulchræ dilectionis & ti-* Ibid. 24. *moris, & agnitionis & ſanctæ ſpei.* Mirum certe quod illa ſimul eſſe poſſit mater ſpei, & timoris: aut ſi forte diuerſæ hæ affe-

ctiones.

ctiones diuerſis repræſententur myſteriis, quomodo in Conceptione timor exhiberi poteſt, vbi potius apparet eſſe ſpes & gaudium totius humani generis? Hoc eſt modò exponendum & audiēda imprimis propoſita Veritas quæ ſic coniungit affectum timoris cum myſterio Conceptionis, vt non poſſit melius concipi ſanctus ille timor, quàm intelligendo quàm ſit illa pura & immaculata Virginalis Conceptio: nec vtilius explicari poſſit hæc ſingularis puritas, quàm vt diſcatur ille timor, quē Virgo docet ſuæ vitæ puritate. Cùm ſint porrò variæ diuerſæque timoris ſpecies, delibari poſſent ex ſingulis aliqua, vnde ad illum tādem deueniatur qui ad praxim eſt maxime opportunus, ad verſiculi ſenſum præſertim accommodatus, atq; ad fructum imprimis vberrimus, quo videlicet ſic timetur & colitur Dominus, vt ab omni ſpecie mala caueamus, ſitque illa *ſcientiæ religioſitas quæ cuſtodiet & iuſtificabit cor: iucunditatem ac gaudium dabit*, vt ait Sapiens, id eſt, religioſa Conſcientia & *ſecura mens quæ eſt quaſi iuge conuiuium.* Hic eſt ſanctorum timor ſeu timor qui facit ſanctos, nam cùm ſanctitas ſit vitæ puritas, neque alio ſuauiori ſimul ac efficaciori modo promoueatur illa puritas quam ſancto & caſto timore Domini, vere hic eſt ſanctorum timor de quo dicitur, *Timete Dominum omnes ſancti eius*; Et *miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Ibid. 1. Prou. 15. Pſ. 33. Luc. 1.

Vox quidem vniuerſalis eſt, Timor ſeu timere, ſuo complexu continens quidquid ad cultum & ſeruitutem Dei ſpectat, ſed huius cultus & ſeruitutis pars prima cùm ſit cauere prorſus omni peccato, atque eius anſas, occaſiones & ipſam vmbram fugere: *Nam qui amat periculum, in illo peribit*: meritò pro hac cautela & fuga Timor ſingulariter vſurpatur, dicunturque vna hac voce præcipui Cultores Dei, *Viri timorati, ſeu timentes Deum & pauidi. BEATVS homo qui ſemper eſt pauidus, qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum.* Eccleſ. 3. Prou. 28.

Atque hac in religionis parte tam inſignis & eximia fuit, Beatiſſima Virgo Deipara, vt cùm triennis adhuc eſſet, ſeceſſerit in templum Domini, longè à ſæcularibus diſiuncta negotiis & commerciis, *Vbi neceſſe eſt*, inquit S. Leo, *de mundano puluere etiam religioſa corda ſordeſcere*: vel cùm inde deducta eſt vt ſponſo traderetur: *Sola in penetralibus*, ait S. Ambroſius, *quam nemo virorum viderit, ſolus Angelus repererit, ſola ſine comite, ſola* Serm. 4 de Quadr. Lib. 2. in Lucam.

ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab Angelo ſalutatur. Eam ob cauſam ſi foras ex Charitate prodeündum fuit, ſi viſitanda cognata Elizabeth, nonniſi *cum feſtinatione* perget, vnde idem ſanctus Doctor: *Diſcite Virgines non circumcurſare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones. Maria in domo ſera, feſtina in publico, manſit apud cognatam ſuam tribus menſibus.*

Sed cur non pluribus manſit? cur non eo potiſſimum tempore quo erat paritura fœtum Elizabeth? quo plus illi auxilij delatura Virgo videbatur? Quia nempe ad inſperatum ſterilis partum futurus erat nimius vicinorum concurſus, nimis effuſæ turbæ, nimis apertus loquendi aditus, vnde tum ſanctus timor receſſum conſuluit, & maluit Virgo Sanctiſſima, dum hæc humana fugeret conſortia, ſeruandi exemplum timoris Domini nobis dare, quàm ſi remaneret diutius, audaciores redderet poſteros qui audirent illam in mediis conſtitiſſe turbis. Vide quæ de hoc exemplo fuſius in Aduentu, quarta hebdomada pertractantur: Vbi non leuiter expendendum quod refertur illam reuelaſſe ſanctæ Brigittæ, quàm tota eſſet in hoc ſancto timore Domini, vnde id profecto patebit quod in prima propoſitione præmittitur, tanto melius concipi timorem illum quem ſuo nos exemplo docet, quanto eius exemplum eſt efficacius & luculentius. Idcirco enim ne ignoraretur, palàm facere voluit & verbis tam ex-
L. 1. Reuel. c. 10. preſſis quàm ſunt iſta quæ retulit: *Timens vehementiſſimè ne os loqueretur, ne auris, ne oculi viderent delectabilia, timida quoque fui in ſilentio, & multum anxia.* Neque id ſemel tantum, aut in aliquo forte periculoſiori loco; ſed vbique & ſemper, cùm ipſa vltro præueniret loca & tempora, vbi metus non pateretur illam conſiſtere. Nonne hoc eſt timere? nonne hoc eſt timoris exemplum dare? nonne hoc eſt exemplo ſuo nos docere?

II. PVNCTVM.

SED *quantò melius edocetur immaculata eius Conceptio, tantò eſt efficacius eius exemplum, quo illum timorem docet.*

Nam tantò eſt efficacius eius exemplum, quantò liquebit apertius non ſic illi timendum fuiſſe ſicut nobis: Quod enim alij timeant homines in peccandi periculis, certe eſt quod timeant

quia ſunt homines vaſa portantes lutea, quæ tam facile eſt ſolui & perire, quam procliue eſt concupiſcentiæ, vel bonis lenocinantibus demulceri: vel malis terrentibus cedere,& in peccatum trahi; Beatiſſima verò Virgo non ſic erat lutoſa & fragilis, vt timeret ſolui & peccare; vnde quod timeret, mirum eſt magis, & magis efficax ad timorem docendum.

Nunc autem, vndenam habes, vndenam hauris, vndenam liquet,quod illa non eſſet peccatis obnoxia,ſicut cæteri homines? Nonne ex eius præſertim immaculata Conceptione? Nonne quò melius intelligitur & creditur hæc eius ſingularis prærogatiua, liquidius etiam patet, quam longe fuerit ab illa cauſa & radice malorum omnium quæ eſt humana cupiditas, & inde actus ac habitus efformati? Qui enim dicit immaculatam Conceptionem, dicit nullum peccatum originis, nullum peccati fomitem, nullam prorſus malam concupiſcentiam, nullam cadendi procliuitatem, nullam peccandi aptitudinem, ac proinde nullam prorſus timendi cauſam. Quæ tametſi ex aliis eius donis & gratiis quibus præuenta fuit, poſſunt quoquo modo intelligi, non ita tamen apertè & dilucidè, ſicut ex immaculato quem dicimus eius ortu: nam ipſa tùm mali radix eſt præciſa, imo ne radix quidem vlla permiſſa eſt, ſed quo inſtanti eſt orta beata illius anima, hoc ipſo infuſa eſt gratia quæ dicitur Sanctificans, & lethali peccato qualis eſt originalis macula, plane repugnãs vt ſupra dictum eſt: *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus, Deus in medio eius non commouebitur, Adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Pſ. 45.

Vnde quantò melius hæc eius immaculata Conceptio iam docetur & creditur, tantò magis apparet nullam fuiſſe cauſam cur timeret in peccati periculis, vbi tamen cùm valde timuerit: certe hinc ſimul apparet eius exemplum,quo nos timore ſuo timere docet, eſſe expreſſius & efficacius ad eum finem quem intendit. *Columnæ cæli contremiſcunt & pauent ad nutum eius*; Quid Iob 26 nos humunculi? *Quid facient tabulæ ſi tremunt columnæ? aut quomodo virgulta immobilia ſtabunt, ſi huius pauoris turbine etiam cedri quatiuntur?* Sic apte ſanctus Gregorius. 16. Mor. 1

III. PVNCTVM.

Q*VEM docet igitur Virgo timorem Domini, tantò melius concipitur, quantò melius edocetur immaculata eius Conceptio,*

quia tanto melius timor concipitur, quanto exemplum Beatæ Virginis quo nos illum timorem docet, eſt efficacius: eſt autem tanto efficacius quantò apparet manifeſtius illi non ita fuiſſe timendum à peccato: nullibi vero id apparet euidentius quam in eius immaculata Conceptione, ex qua fortis facta eſt illa Mulier

Prou. 31. quæ non timeret domui ſuæ à frigoribus niuis: omnes enim domeſtici ſenſus eius, ſiue interni ſiue externi, veſtiti ſunt duplicibus, id eſt, duplici gratia, qua euitaret omne malum, & faceret omne bonum.

Quare ergo ſic timuit ſicut timebat? Nempe id videbat ita ordinatum eſſe ab Illo cui debebat acceptam gratiam immaculatæ ſuæ Conceptionis: ſe videbat ita exemptam miſeriis quibus ſubiacemus, vt malum quidem culpæ deuitaret, non pœnæ: videbat quidem ſe Dei gratia numquam peccaturam, licet in mediis peccandi periculis & occaſionibus verſaretur, ſed ſimul etiam videbat hanc eſſe Dei voluntatem, vt vel illa fugeret pericula, vel ſi non poſſet fugere, ſic in illis timeret ſicut ſi reuera peccare poſſet.

Hebr. 7. Sic Chriſtus ipſe Dominus qui vt Apoſtoli verbis vtar, ſanctus erat, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus & excelſior cœlis factus, ſicque nullo prorſus modo peccatum poſſet incurrere; vitabat tamen illa quæ ſunt nobis peccandi pericula, quales ſunt mundani honores, humanæ laudes, ſæcularis pompa, & ſimilia peccatorum fomenta: nec Petro ſibi blandius

Matth. 16. colloquenti dubitabat reſpondere; *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi*; quaſi timeret à Tentatore, quaſi timeret de aliquo culpæ caſu. Non quod reuera iudicaret inde ſibi timendum eſſe, ſed quod ita ſe vellet gerere, vt ſuo nos efformaret exemplo; ſicut cùm circumcidi, cùm baptizati, cum tentari voluit, & turbari, cùm in horto mœrere, triſtari, pauere, & ſimiles humanos affectus induit, tunc *noſtro pauore trepidabat*, inquit S. Leo: vel vt ait

Serm. 3. de Paſſ. S. Auguſtinus, *nos in ſe tranſtulit, nos in te ſuſcepit*, Id eſt, id in ſe

Tract. 52. in Ioan. effecit quod in nobis futurum aut à nobis faciendum demonſtrabat.

Rom. 7. Sic cùm Apoſtolus diceret ſe *carnalem eſſe, ſe venundatum ſub*

1. Cor. 4. *peccato, ſe non intelligere quod operaretur*, non id in propria perſona dicere, ſed in noſtra, multi Patres affirmant; quod & ipſe Apoſtolus in alio loco ſignificat euidentius cùm ait poſt multa

Digitized by Google

de ſe abiectè dictà, *hac autem, fratres, transfiguraui in me & Apollo, propter vos, vt in nobis diſcatis ne ſupra quàm ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum inflętur pro alio. Quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris?* Quaſi diceret, ſi nos qui longe plures, & ſublimiores gratias accepimus, ita parùm gloriamur, vt etiam abiectiſſimè de nobis ſentiamus, quantò magis vos inanem illam qua mouemini, cauere debetis gloriam? quantò magis demiſsè de vobis loquendum eſt & ſentiendum?

Sic plane Virgo Sanctiſſima, ſic vnumquemque noſtrum quem videret liberius circumſpectantem, colloquentem, & agitantem quæ in peccatum poſſent impellere, commoneret & diceret: Ego illud non eſſem auſa reſpicere: Ego mihi timuiſſem ab illo loco, & viro. Non putaſſem mihi licere tam familiariter cum his & illis conuerſari.

Tu qui proiectus es ad omnem audaciam, tu qui nihil horum times, quaſi ſat tutus & munitus ſis contra quoſlibet caſus, quid illi reſponderes! an te ſecuriorem putas Beata Virgine? an illi timendum erat, Deo ſic volente: tibi vero nil eſſe quod timeas, licet hunc ipſum Deus, quem volebat à Virgine, velit à te timorē?

An recte illa & ſapienter timebat? reſponde. Cur porro ita recte & ſapienter niſi quia ſic ordinarat Deus, vt timeret & fugeret quaſuis peccatorum illecebras; licet nulla timoris aut fugæ ſubeſſet ratio? Tu vero qui in peccatis natus es totus, tu cuius concupiſcentia velut ignis exardeſcit, tu qui bibis ſubſannationem quaſi aquam, tu te in ipſas peccandi proiicies vias, nec timebis à ſcandalo? hoc eſt, *aduerſus Deum manum ſuam tendere,* Iob 15.
& contra omnipotentem roborari. Hoc eſt currere aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armari: vt eſt in libro Iob.

Quà fronte audebis Virginem inuocare, tibi vt adſit in periculis, qui ſponte quæris pericula? O quàm ille ſapientius qui dice- Prou. 1.
bat: *pepigi pedus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.* Iob. 31.
Quam enim partem haberet in me Deus deſuper! Id eſt, quomodo alioquin ſimul cum Deo conuenirem in ſalute mea? ſicut enim nihil poſſem niſi me adiuuaret: ita nec proderit eius auxilium niſi de meo id conferam quod vult à me conferri. *Nunc ergo filij audite me, Beati qui cuſtodiũt vias meas. Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abjicere eam. VENITE filij, audite me, ti-*

Prou. 14. *morem Domini docebo vos. SAPIENS timet & declinat à malo: ſtultus tranſilit & confidit.* Hic eſt timor quem docet, hic eſt timor quem qui diſcunt, ſe veros eius filios probant: qui vero nolunt diſcere, ſeſe ab illa ſubtrahunt, & ſubtractionis dicuntur filij
Hebr. 10. in perditionem.

AD HÆC VERBA, PROVERBIORVM OCTAVO.

Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.

VERITAS PRACTICA.

Periculum in mora.

SENSVS & Ratio eſt, quòd dum quis moratur & differt B. Virginem colere, formantur in eius animo quædam abyſſi vitiorum.

Sed dum hæ formantur abyſſi in eius animo, periculum eſt ne vnquam fructuosè B. Virginem colat.

Ergo periculum in mora, quâ quis videlicet moratur colere B. Virginem: Ac proinde maturandus in pueris eius cultus: vt de illis poſſit dicere: NONDVM ERANT ABYSSI, ET EGO IAM CONCEPTA ERAM.

I. PVNCTVM.

SICVT triplex Conceptio Beatæ Virginis obſeruari poteſt, ita & triplex genus abyſſorum, ante quod ſit concepta, ſecundum triplicem Scripturæ ſenſum, literalem, allegoricum, & moralem.

Prima Conceptio eſt in mente Dei, qui ab æterno illam ordinauit, vt eſſet Mater filij, & iis exornauit animi corporiſque dotibus, quales exigeret tanta Maternitas, ſeu tãtæ Matris Dignitas & Eminentia. Tum vero nondum erant abyſſi, & iam concepta erat, hoc eſt literali ſenſu, nondum erat illa pars maris quæ

abyſſus dicitur, id eſt, aquarum tanta congeries, vt quanta illa ſit, indagari non poſſit. Cum autem ab æterno eſſet illa prima Conceptio, non eſt mirum ſi abyſſos præceſſerit, quæ ſuo tantum tempore formatæ ſunt cum reliquis mundi partibus. Abyſſorum tamen meminit præ multis aliis, quod velut abyſſus quædam Gratiarum & meritorum fuerit illa Virginalis Maternitas, ad quam primo concepta ſeu præuiſa & ordinata dicitur.

Secunda Conceptio, quæ ſingulariter hac ſolenni die memoratur, eſt primus eius ortus in vtero ſanctæ Annæ coniugis Beati Ioachimi, de quibus ſeparatim ſunt inſtitutæ cõſiderationes & Veritates Practicæ. *Tunc nondum erant abyſſi & iam concepta erat:* Id eſt allegoricè, peccatum originale, & conſequentes inordinati motus, ac pœnæ ſpirituales, quæ velut abyſſi quædam inundant ſuper vniuerſam humanã naturam: & à primo Conceptionis ſeu Creationis animæ momento, quo peccati huius macula contrahitur, per errores doloreſq; diuerſos, vt ait S. Auguſtinus, trahimur ad extremum vſque ſupplicium. At nondum iſtæ erant abyſſi, quando concepta eſt Immaculata Virgo, quia concepta eſt in Sanctificante Gratia, ſicut ſupra declaratur: Nec poſtquam Concepta eſt, irruerunt illæ abyſſi, quia omnĩ prorſus peccato & peccati fomite libera extitit: vnde ſicut ait ſanctus Hieronymus in hæc Euangelij Verba de Maria & Ioſepho, *antequam conuenirent:* Non ſequitur quod poſtea conuenerint; ſic cùm dicitur, nondum erant abyſſi & iam concepta erat; non ſequitur quod abyſſi poſtea fuerint. *In Enchi.*

Tertia denique Conceptio eſt, cùm in mentibus noſtris ſic formatur Beata Virgo, vt illi nos ſecundum Deum, totos dedamus & conſecremus, velut Parẽti optimæ, velut Dominæ colentiſſimæ, velut Duci ſalutis certiſſimæ, velut ſtellæ maris, aut ſyderi nauigationis noſtræ tutiſſimo: ſic in nobis dicitur inhabitare iuxta illud, *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit* *Eccleſi. 24.* *mihi, in Iacob inhabita.* Quo in genere Conceptionis tunc Beata Virgo moraliter dicet: *nõdum erat abyſſi, & ego iam concepta eram,* quando videlicet à pueris vel puris quorumlibet mentibus ſic concipietur vt nondum innatæ cupiditates in prauos creuerint habitus, nondum naturales affectus tranſierint in deſideria illa nociua quæ velut abyſſi magnæ mergunt homines in interitum *1. Tim. 6.* & perditionem. Hoc eſt quod gratulabunda prædicat in octauo

Digitized by Google

illo prouerbiorum capite, vnde Thematis Verba deſumpta ſunt. Caput illud eſt velut nobile Canticum, quo inſignite magnificat Gratias diuinitus ſibi collatas, quas inter, illa eſt ſingularis & eximia, quod ſibi deditos ad æternam ſalutem proueħat, Eò enim reliquæ referuntur partes: vnde concludit, *qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Quia verò multi ſe putabunt eam inueniſſe, qui tamen inde vitam non inuenerint, nec ſalutem hauſerint: ſeſe his verbis explicat, & reddit ipſa quodammodo rationem cur illi potius quam alij ſalutem ſunt conſequuti, cùm omnes eius ſodales & filij crederentur, *Nondum*, inquit, *erant abyſſi, & iam in iis qui ſalui ſunt, concepta eram.* Nondum erant praui affectus & habitus, nondum inueterati peruerſi mores, quando me inceperunt colere, & idcirco fructuosè præ cæteris, me coluerunt, operæ ſuæ fructum

Pr. 8. retulerunt, *Qui manè vigilant ad me, inuenient me,* id eſt, qui mature, qui in primis annis.

Alioquin certè PERICVLVM IN MORA: Tanti refert quantocyus ſeſe illius obſequio mancipare, quanti refert hunc æternum referre fructum, vt per illam ſaluemur.

Hæc eſt omnibus quidem valde ſalubris Veritas, ſed maximè Pueris exponenda, quibus per ætatem magis licet maturare cultum Beatiſſimæ Virginis.

Sic autem exponi facilè poteſt ex iam dictis, vt primo explicatè deſcribatur quod ait S. Auguſtinus, paulatim in animis noſtris formari vitioſos habitus, qui hoc ſenſu dicuntur abyſſi, quod ſicut abyſſo quis inuolutus vix emergat, & certò pereat; ita qui forte in iſtos inciderit deprauatos habitus, vix inde poſſit exur-

L. 8. Confeſſ. c. 5. gere. *Quippe ex voluntate peruerſa, facta eſt libido: & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur,*

Pſ. 41. *facta eſt neceſſitas. SIC abyſſus abyſſum inuocat;* ſicut vnda impellitur vnda. Et verò Deus etiam dicitur has abyſſos facere quia per-

Ezech. 16. mittit à nobis fieri, vnde eſt illud Prophetæ: *Cum adduxero ſuper te abyſſum, & operuerint te aquæ multæ.*

Quod autem aſſeritur in hac prima propoſitione tunc formari abyſſum, dum quis moratur diutius B. Virginem colere, perinde eſt ac ſi diceretur, ſic prauos illos contrahi habitus, per liberiorem ætatis licentiam, qualis eſt eorum plerumque qui ſuæ minùs vacant ſaluti, nec illa opportuna captant media, qualis eſt par-

eſt parthenica Sodalitas, aut ſimiiis quædam colendæ Virginis Inſtitutio. Tunc illi pedetentium eò profundi peccatorum tendunt, quod maxime verebatur Dauid: *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Quò ſane ſpectat illud Sapientis ad patrem de cura filij, monitum: *Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans eſt, ne fortè induretur & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum & operare in illo; ne in turpitudinem illius oſtendas:* Id eſt, ne alioquin ſis particeps & velut cauſa turpioris vitæ quam aget niſi ſic mature curuetur & tundatur. O quàm multi iam fortè miſerandum in hunc ſtatum deuenerunt!

Pſ. 68.

Eccleſi. 30.

II. PVNCTVM.

S*ED dùm hæ formantur abyſſi in cuiuſquam animo, periculum eſt ne vmquam fructuosè colat Beatam Virginem.*

Primo quidem niſi puritate colatur, vix colitur, vt iam ſupra eſt demonſtratum. At in illa vitiorum abyſſo, quæ puritas? *Abyſſus dicit, non eſt in me*; liceat hoc vſurpare de Puritate, quod Iobus de Sapientia. Deinde verò quando cupiditates ita robuſtæ ſunt vt reſiſtant Gratiis, nonne periculum, eſt in illa reſiſtentia? Quid proderit ad ſalutèm tuam, Virginis Cultus, niſi conferat gratias: quid vero proderit illas conferre, niſi recipias? *Stetit vnda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.*

Iob. 28.

Exod. 15.

Denique, licet Gratiæ reciperentur ad tempus, & nonnullis quibuſdā diebus, viderentur illi reſipiſcere, tamen ipſa mole deprauatæ conſuetudinis ſic opprimuntur vt ſtatim recidant. *Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat, turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* Nonne hoc periculoſum? nonne hoc damnoſum? nonne hoc nimis frequens?

Pſ. 106.

III. PVNCTVM.

E*RGO periculum in hac mora:* periculum ne abyſſi vitiorum formentur: periculum ne illis formatis contemnatur Virginis Cultus: periculum ne in illo contemptu deſeraris à gratia:

Digitized by Google

periculum ne in illa deſertione pereas, ac tandem illud ſequa-
Exodi 15. tur: *abyſſi cooperuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.*

Quamobrem, ne differas non modo te adiungere illius Cul-
tui & famulatui, ſed in illo etiam cultu & famulatu, ne moreris
id diſcere quod eſt in eo præcipuum & ſalubrius: Ne moreris id
velle amplecti quod didiceris : ne moreris id exequi quod am-
plexus fueris: aut certe quia quod eſt præcipuum & ſalubrius, ne-
Eccleſ. 17. gatiuè potius, vt aiunt, quàm poſitiuè perfinitur, *non demoreris
in errore impiorum*, in illo ſcilicet errore quo fouetur impie-
Ier. 4. tas. *Vſquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? FERTILIS
fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fæcibus ſuis: nec trans-
Ibid. 48. fuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigrationem non abiit: idcirco
permanſit guſtus eius in eo, & odor eius non eſt immutabis.* Diuina
plane verba, quibus denuntiatur quanti referat in ſequentes an-
nos, pietati ſe tradere vel negare, iam inde à primis annis. Quod
Ep. 7. ſanctus Hieronymus ſic paucis reddidit: *difficulter eraditur quod
rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priſtinum can-
dorem reuocet? Recens teſta diu & ſaporem retinet, & odorem quo
primum imbuta eſt.*

Prou. 9. Ac denique vox illa Sapientiæ, vox eſt Virginis Matris: *Si
quis eſt paruulus, veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt: venite, come-
dite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. Relinquite in-
fantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ*, quas ſcilicet
eos docebit qui ſe diſciplinæ ſuæ crediderint, cuius hoc eſt pri-
mum caput, ne vocati morentur venire, quia periculum in tali
mora.

Die 21. Decembr.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Ioan. 20.

VERITAS PRACTICA.

Ex vulnere remedium.

SENSVS poteſt eſſe duplex: Primus, quòd ex vulnere Chriſti, remedium cuiuſlibet mali ſpiritualis educi poſſit, ſicut ſanctus Thomas incredulitatem ibi depoſuit: & ſicut in 2. parte, Dominica prima poſt Paſcha, fuſius declaratur.

Alius vero qui magis hîc conſideratur, ſenſus eſt, quòd ſicut idem ſanctus Apoſtolus ex incredulo factus eſt valde fidelis, ita ex ſuo quilibet emergens vitio, cum diuina gratia in virtute oppoſita fit præſtantior, quàm ſi tali vitio non fuiſſet addictus; ſicque fiat ex morbo ſanitas firmior, & ex vulnere ſalubrius remedium.

RATIO cur id ita fiat cum diuina gratia, hæc eſt inter alias, quòd virtus qualibet tunc præſtantiùs exercetur, quando quis diligentiùs cauet, ne in vitium illi contrarium ruat.

Sed qui ex ſuo verè reſurgat vitio, diligentius cauet ne in illud incidat.

Ergo & virtutem oppoſitam tali vitio, præſtantiùs exercebit; ac proinde remedium trahet ex vulnere; Quod quàm ſit opportunum & vtile, ſicut euidens eſt: ita diligenter in praxim vt aduocetur, curandum eſt.

I. PVNCTVM.

ADMIRANDVS certè hic Apoſtolus, ſiue cùm à fide recedit, ſiue cùm ad eam regreditur. Sicut inſignis fuit eius incredulitas, ita & inſignis fides ſeu fidelitas. Incredulitas eò vſque proceſſit, vt Reſurrectionem Chriſti Domini nuntiantibus Apoſtolis omnibus, planè negarit fidem, neque ſe vmquam crediturum affirmarit, niſi ipſe videret fixuram clauorum, & mitteret digitum ſuum in locum clauorum, & manum.

Digitized by Google

ſuam in latus eius: quaſi ipſe Dominum obligare vellet ad hunc manifeſtandi ſui modum; aut alioquin non crederet. Qualis, audacia! Atque in ea incredulitate dies octo continuos perdurauit, nec fortè vmquam reſipuiſſet, niſi Dominus diuina ſuâ bonitate permotus, octauo poſt Reſurrectionem die, rurſus conueniſſet Apoſtolos, vbi tum erat Thomas.

En ergo iterum huius vnius gratia; *venit Ieſus ianuis clauſis; & dixit; pax vobis. Deinde dicit Thomæ: infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam: & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus.* Tunc videlicet firmiſſimè credidit, & confeſſus eſt aliud, quàm quod vidit. *Tangebat hominem,* inquit ſanctus Auguſtinus, *& Deum confitebatur.* Aptiſſimè verò Theophilactus: *Qui priùs fuerat infidelis, poſt lateris tactum, optimum ſe Theologum oſtendit, duplicem Naturam & vnam hypoſtaſim Chriſti, ediſſerens; dicens enim, Dominum, naturam humanam; dicens Deum, diuinam confeſſus eſt, in vno & eodem.* In qua fidei profeſſione, retinenda & prædicanda tam conſtans & firmus fuit, vt præ aliis omnibus eius exemplum nobis proponatur: *O quàm bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, in omnibus;* Sap. 12. *ideóque eos qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris: vt relictâ malitiâ credant in te, Domine.*

Sic proficiendum ex culpis & vitiis noſtris; ſic ex lapſu reſurgendum, & currendum vehementius: ſic denique, *Ex Vulnere remedium,* quando ſcilicet cum Diuina gratia, quæ ſæpe *ſuperabundat vbi abundauit delictum,* Rom. 5. quiſquis è ſuo velit emergere vitio, tùm in Virtute oppoſita ſe præſtantiorem efficiet. Ratio eſt valde conſideranda; Tunc enim eò præſtantior eſt omnis Virtus, quantò minus habet de vitio ſibi contrario; ſicut maius eſt frigus, quò minùs habet permixti caloris, & illud aurum & argentum eſt purius, quod eſt magis ab omni alia defæcatum materia: Pr. 25. Vnde Sapiens, *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.* Ibid. 4. At vero ne quid ſubrepat vitij, quid magis opportunum ex parte noſtra, quàm ſi omni cuſtodiâ cor noſtrum obſeruetur, demúſque operam, vt, quod monet Apoſtolus, *induamus nos armaturam Dei, vt poſſimus ſtare aduerſus inſidias diaboli, vt* Eph. 6. *poſſimus reſiſtere in die malo, vigilantes in omni inſtantia?* Itáne tu accinctus? itáne vigilas? Nonne hoc tuis toties inſuſurrat auri-

Digitized by Google

bus; *Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non* *Apoc. 3.*
enim inuenio opera tua plena coram Deo meo?

II. PVNCTVM.

SED *qui ex ſuo verè reſurgat vitio, diligentius cauet ne in illud incidat.*

Hæc eſt enim certior veræ emendationis nota, vnde Sapiens. *Eccleſi. 17.*
Conuertere ad Dominum & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Reuertere ad Dominum & auertere ab Iniuſtitia tua; & nimis odito execrationem.

Sic omnes paſſim Patres, & Doctores in hac diligentiori cautela bonam Pœnitentiæ ſeu Reſipiſcentiæ partem ponunt. *Agere pœnitentiam*, inquit Lactantius, *nihil aliud eſt, quàm profiteri & affirmare ſe vlterius non peccaturum.* Itémque alibi quod ſupra paucis attingitur: *Is enim quem facti ſui pœnitet, errorem ſuum intelligit, ideóque græci melius & ſignificantius* μετάνοιαν *dicunt, quàm nos poſſumus reſipiſcentiam dicere. Reſipiſcit enim ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigátque ſe ipſum dementiæ, & confirmat animum ſuum ad rectius viuendum, tum illud ipſum maximè cauet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur.* *6. Inſtitut. 13. & 24.*

Sanctus quoque Gregorius in hoc argumento multus eſt, primò quidem in moralibus, diſtinctè & particulatim oſtendit quomodo vnumquodque Spiritus ſancti donum ex ſui decremento creſcat, & *ſapientia vnde quaſi amittitur, inde certius poſſidetur.* Tùm vniuerſim, quantum ex ſuis defectibus boni proficiant, *Mira*, inquit, *nobiſcum diſpenſatione agitur, vt mens noſtra culpæ nonnumquam pulſatione feriatur. Nam eſſe ſe magnarum virium homo crederet, ſi nullum vmquam earumdem virium defectum, intra mentis arcana ſentiret. Sed dum tentatione irruente quatitur, & quaſi vltra quam ſufficit fatigatur, ei contra hoſtis ſui inſidias munimen humilitatis oſtenditur, & vnde ſe pertimeſcit eneruiter cadere, inde accipit fortiter ſtare. Tentatus autem non ſolum vires à quo accipiat diſcit, ſed quanta eas vigilantia ſeruet, intelligit. Sæpe enim quem tentationis certamen ſuperare non valuit, ſua deterius ſecuritas ſtrauit. Nam dum laſſum ſe quiſque in otio remittit, diſſolutam mentem corruptori proſtituit*; Et quæ plura ibi proſequitur. In Paſtorali vero, Admonitionem bene longam ad illos qui *L. 2. Mor. c. 36. & 37* *3. p. Adm. 31.*

Digitized by Google

admiſſa plangunt, nec tamen deſerunt, ex variis ſcripturæ locis
Hom. 34. contexit. In Euangelicis autem homiliis ſic etiam dilucidius: *Nonnunquam hi qui ſe aliqua illicita egiſſe meminerunt, ex ipſo ſuo dolore compuncti, inardeſcunt in amorem Dei, ſeſeque magnis in virtutibus exercent: cuncta difficilia ſancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, flagrant deſiderio, ad cæleſtem patriam anhelant, & quia ſe erraſſe à Deo, conſiderant, damna præcedentia lucris ſequentibus recompenſant.* O certe fœlicem culpam quæ ſic expiatur, vt expiatus animus ſit cautior ad euitandas alias, & promptior ad omne opus bonum.

III. PVNCTVM.

SIC ergo vnuſquiſque virtutem oppoſitam ſuo vitio vnde emergit, præſtantiùs exercebit, atque ex vulnere ſic remedium conficiet, dum illud ipſum vitium eò cauebit cautiùs, quo ſe alias minùs continuit, aut quo ſuæ magis pœnitet incontinentiæ. Sic fiunt
Rom. 6. *arma Iuſtitiæ Deo, quæ fuerunt arma iniquitatis peccato. ET ſicut fuit ſenſus noſter vt erraremus à Deo, ſic decies tantùm, iterum*
Bar. 4. *conuertentes requiramus eum.*

Sic per ipſa vitia & paſſiones noſtras affectu & profectu aſcen-
Serm 96. de Temp. dendum ſæpe monet S. Auguſtinus: *Si vtique vnuſquiſque noſtrum ſubdere eas ſibi ſtudeat, ac ſuper eas ſtare conſueſcat; ex ipſis ſibi gradum conſtruit, quo poſſit ad ſuperiora conſcendere. Eleuabunt nos, ſi fuerint infra nos; de vitiis noſtris ſchalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus.*

O quale incrementum noſtri profectus ſpiritualis, cùm non modò ex bonis quæ agimus, ſed ex ipſis etiam malis perpetratis fructum poſſimus carpere & profectum. Nec illud viri ſancti
l. 1. de Imit. Chr. c. 25. monitum hic omittendum: *Enimuerò illi maximè præ aliis in virtutibus proficiunt, qui ea quæ ſibi magis grauia & contraria ſunt, virilius vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, & gratiam meretur ampliorem, vbi magis ſeipſum vincit, & in ſpiritu mortificat; Sed non omnes habent æquè multum ad vincendum & moriendum: diligens tamen æmulator, valentior erit ad proficiendum, etiamſi plures habeat paſſiones, quàm alius bene morigeratus, minùs tamen feruens ad virtutes.*

Digitized by Google

Huc denique multi transferunt monitum illud Sapientis: *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris: quia Curatio faciet ceſſare peccata maxima.* Id eſt, ſi grauiore aliqua tentatione vel Dæmonis vel Concupiſcētiæ percellaris, ne deſperes propterea, nec quidquam putes tibi deperire, ſi modò tibi attendas & inuigiles: nam tantum abeſt, vt inde pecces grauius, quin potius grauiora inde ceſſent peccata, propter illam vigilantium diuino munitam ſubſidio. O numquam ſatis agnitum & laudatum bonum Deum, qui dum bona quæ nobis confert in malum tranſuertimus, mala ſua conuertit in noſtrum bonum. Eccl. 4.

Quàm plurimæ ſunt aliæ Veritates quæ in hanc aliunde diem transferri poſſint. Nos hîc eas modò aſcribimus, vt vnuſquiſque videat quàm ſic commodè paſſim poſſit excerpere quas legendo annotarit affines argumento quod tractat, ſi minus forte ſingulis in diebus eſſent à nobis obſeruatæ.

Quo magis Chriſto ſubjicimur, eò magis erigimur.

In 2. parte, Feria 3. infra hebdomadam Quinquageſimæ.

In plagis ſanitas.

Dominica 1. poſt Paſcha.

Quantò eſt de peccato maior triſtitia, tantò eſt peccatori maius gaudium de fontibus Saluatoris.

In eadem Dom. ad hæc verba: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.

Videri etiam poteſt Feria 3. infra hebdomadam 3. poſt Paſcha.

Læſi amoris ira quo eſt ſuauior, eò eſt potentior.

Feria 6. infra hebdomadam 3. Quadrageſimæ de ſancto Petro reſpecto à Domino, & conuerſo.

In dubio certius eſt & rationi conformius, aliorum ſe rationi conformare quàm propriæ.

Sabbato infra hebdomadam 2. poſt Paſcha.

Digitized by Google

Non prius intelligendum vt credas, ſed primò credendum eſt, vt poſt intelligas.

Feria 2. infra hebdomadam 4. poſt Paſcha.

Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus Idololatriæ, nolle acquieſcere.

Sabbato infra hebdomadam 4. poſt Paſcha.

Qui ſenſu ſuo priuato ſaniorem ſe aliis putat, ſano ſe priuat ſenſu.

Feria 5. infra Octauam Aſcenſionis.

Reuocanti hominem Deo ab errore viæ ſuæ non obſequi, peius eſt quàm primò vocantem ne erraret, non ſequi.

In eadem 2. parte, in fine, vbi de variis ſtatibus, quarta Conſideratione.

Maioris eſt animi ſe diuinæ Fidei ſupponere, quàm ſe illi opponere.

In 3. parte, Feria 2. infra hebdomadam 6. poſt Pentecoſten.

Numquam illuſtriùs ſe manifeſtat Chriſtus, quàm dùm animæ peccatricis illuſtrat Conſcientiam: & peccatum latens ibi manifeſtat.

In eadem parte, Feria 4. infra hebdomadam vndecimam.

Nullus eſt Chriſtianus qui non credat Chriſtum eſſe Deum, & vix eſt vllus Chriſtianus qui hoc verè credat.

In eadem 3. parte, In feſto Transfigurationis Domini.

Niſi diligenter aduertas, ore facta confeſſio, factis à te negatur.

In 4.

In 4. parte, Feria 2. infra hebdomadam 15. poſt Pentecoſten. Videri etiam poteſt alia eiuſdem Feria.

IN FESTO CONVERSIONIS SANCTI PAVLI APOSTOLI.

Die 25. Ianuarij.

Domine quid me vis facere? Actuum 9.

VERITAS PRACTICA.

Sicut frequenter dicendum cum Dauide, *Dixi nunc cæpi*: ſic ſimul cum Apoſtolo, *Domine quid me vis facere.*

RATIO EST, Quia idcirco frequenter dicendum cum Dauide, Dixi nunc cæpi, *ad renouandum animum, qui alioquin inueteraſceret.*

Sed nihil aptius ad illam animi renouationem, quàm quod dicit Apoſtolus; Domine quid me vis facere.

Ergo ſicut frequenter cum Dauide, ſic cum Apoſtolo ſentiendum & dicendum.

I. PVNCTVM.

SINGVLAREM prorſus & planè admirandam huius ſancti Apoſtoli Conuerſionem, quæ fusè deſcribitur in actis Apoſtolorum, & de qua ſatis eſt ampla vernacula meditatio, breuiſſimè continent & complectuntur pauca illa verba, quæ prima ipſe protulit Chriſto Domino ſe vocanti. DOMINE QVID ME VIS FACERE. *Hæc plane fratres*, inquit ſanctus Bernardus, *perfectæ Conuerſionis eſt forma.* O

Act. 9. & 22. Gal. 1.

In Conuerſ. S. Pauli.

Digitized by Google

verbum breue, ſed plenum, ſed viuum; ſed efficax, ſed dignum omni acceptione! Iam illi quidem conuerſi erant, & profeſſi, quibus ſic S. Abbas loquitur: ſed quia frequenter inſtituenda eſt Renouatio animi, quæ eſt altera veluti conuerſio, ſicut ipſe Apo-
2. Cor. 4. ſtolus de die in diem ſe renouari dicit, Idcirco vnicuique etiam Religioſo proponi merito debet, hæc formula conuerſionis, vt quoties animum renouare velit, & dicere cum Dauide, *Dixi, nunc cæpi*, ſic toties cum Apoſtolo dicat: *Domine quid me vis facere*; quia ſic reuera de nouo incipit, ſic renouatur ſi ſit verè indifferens & paratus ad quamlibet Dei voluntatem: neque aliter verè renouatur.

Quàm frequenter verò talis inſtauranda Renouatio, quantúmque valeat ad illam rectè formandam, recta verborum Apoſtoli & ſincera vſurpatio, ſic declaratur.

Humana natura ſuo corruptionis pondere numquã ceſſat ad ima prolabi & deficere, niſi crebris & frequentibus inſtauretur adiumentis. Hæc autem prolapſio & defectio, nihil eſt aliud quàm augeri concupiſcentiam, & ſic præualere contra ſpiritum, vt quò illa eſt vehementior, hic ſit infirmior. Inter adiumẽta porrò quibus deficiens inſtauratur natura, vel proficiens retardatur concupiſcentia, potentiſſimum illud eſt, quod dicitur Renouatio animi, quæ directè opponitur veteri & corrupto, ſecundum de-
Epheſ. 4. ſideria erroris, homini, qui ſe ſuáque in omnibus quærit: hunc
Coloſſ. 3. enim hominem imprimis exuit, *& deponit cum actibus ſuis, ac nouum induit eum qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit illum*; VT nihil *iam quod caro blanditur libeat, nihil quod carnalem vitam trucidat, ſpiritus perhorreſcat*, quemad-
Hom. 11. in Euang. 27. Mor. 13. modum ait S. Gregorius. Itémque alibi eleganter; *Vetuſta vitæ protinus vſus mutatur, vt anima ſuperne ſpiritu afflata, & in ſummis appetat quæ contempſerat, & contemnat in infimis quæ appetebat.*

Hoc eſt verè renouari, & hoc eſt tam crebro & frequẽter vſurpandum, quàm frequens & quotidiana eſt naturæ ſeneſcentis prolapſio, quæ non aliter aptiùs cum diuina gratia reparatur.
Rom. 6. Epheſ. 4. Vnde illud toties in ſcripturis: *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ*;
22. Mor. 2. & apriſſimè S. Gregorius: *Neſcit mens per torporem veteraſcere, quæ ſtudet per deſiderium ſemper inchoare. Hinc Pſalmiſta qui ad perfectionis iam culmen peruenerat, quaſi inchoans dicebat, dixi nunc cæpi, quia videlicet ſi ceſſare ab inchoatis bonis nolumus, valde neceſſe*

Digitized by Google

eſt vt inchoare nos quotidie credamus. An illud verè agnoſcis quàm ſit neceſſarium? An defectum tuum ſentis? an de remedio cogitas? Vno verbo, vel deficis, vel proficis; neque in medio ſtare potes: Vtrum verò è duobus?

LI. PVNCTVM.

SED nihil aptius ad illam animi renouationem, quam quod dicit Apoſtolus, Domine, quid me vis facere?

Sic enim non minùs efficaciter, quàm breuiter totum illud conficitur, quo conſtare Renouationem, dicebatur: nempe ſic vetus homo exuitur, atque induitur nouus, dùm ſic indifferens & paratus eſt animus, vt nullâ prorſus habita ratione appetitus, velit vnum aut nolit, quod Deus ordinârit. Sic perfectè impletur quod ab Apoſtolo tam vehementer commendatur, *vt exhibeatis*, inquit, *corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum, & nolite conformari huic ſæculo, ſed Reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Dico enim vobis, per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: Et vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei, ſicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Rom. 12.

Quaſi diceret, in hoc apparebit vos huic ſæculo non conformari, ſed potiùs verè reformari & renouari, ſi voluntatem Dei quæratis; quæ quidem Dei voluntas tam ſtudiosè ſemper quærenda eſt, vt licèt illa nobis appareat, tamen vltra inquirendum & probandum ſit, vtrum aliquid aliud velit à nobis, vel in ſubſtantiæ rei agendæ, vel in modo, vel in fine, vt non tantum faciamus quid velit, ſed quomodo velit & quamobrem velit; atque ita ſicut non debemus eſſe contenti quacumque Dei voluntate bona, ſed etiam beneplacentem, & perfectam adimplere par eſt, ſi quam talem nobis demonſtret: ſic planè ſi vnam ſolam notam faciat, illa vna ſola ſatis eſſe nobis debet, quia nec magis nec minùs, quam purè velit Deus, volendum eſt: Cùm in hoc vno ſita ſit tota noſtra perfectio, licèt illud quod nobis ordinat, non eſſet in ſe perfectiſſimum; quatenus tamen ſic nobis eſt ordina-

Digitized by Google

tum, cenſeri debet noſtra perfectio, ſicut perfectio manus eſt tangere, non videre, licet videre ſit aliquid perfectius aut nobiliùs quàm tangere.

Quidquid itaque aliud cogitari poſſet ad perfectam animi renouationem, vix eſſe poſſet aptius, quàm hoc Apoſtoli dictum, *Quid me vis facere*, cùm ſi quid præter diuinam voluntatem cogitetur, nihil aptum animæ, nihil perfectioni congruum cogitetur. Coloſſ. 1. Hinc idem Apoſtolus tam ſæpe ſolicitéque ſuis; *Non ceſſamus*, inquit, *pro vobis orantes & poſtulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes.* Ibid. 4. Et paulo poſt: *Semper ſolicitus pro vobis in orationibus; vt ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei,* quaſi dicat, nihil in animo ſupereſſe debet, quod non repleatur Dei voluntate, & nulla Dei voluntas deſit oportet, quæ non totum occupet animum. O verè tùm diues animus ſi tali repletur bono, quo dum repletus fuerit, in vno cuncta poſſidet.

III. PVNCTVM.

SICVT *ergo frequenter dicendum cum Dauide*, DIXI NVNC CAEPI, *ſic ſimul cum Apoſtolo*, DOMINE QVID ME VIS FACERE; Quia illud vtrumque ad animi renouationem perfectè inſtituendam eſt ita neceſſarium, vt ſicut non eſt renouatio, niſi veteris hominis exſpoliatio, ita nec vlla eſt expoliatio, Pſ. 104. niſi diuinæ voluntatis perfecta ſuccedat effectio. *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius ſemper.* Quid eſt quærere Dominum niſi eius volutatem? Quid eſt confirmari niſi confortari, reſtaurari, renouari? Quid rurſum quærere faciem eius, niſi ſic eius præſentem habere voluntatem, quaſi ipſe adeſſet, & iuberet vel vetaret prout vellet. Quid denique, *ſemper* quærenda illa facies niſi quod vni voluntati diuinæ ſic alia ſuccedat & alia, vt nunquam abſit eius voluntas in noſtro quouis opere? nec tam ſpectemus quid in ſe ſit quod agimus, quàm Dei faciem & voluntatem qua moueamur ad agendum. Atque in hoc tam conſtantes ſimus, vt nullo inde tædio, nullo faſtidio deficiamus. In dictum Pſ. *Ac per hoc*, inquit ſanctus Auguſtinus, *qui diligitur, etiam præſens quæritur, dum charitate perpetua ne fiat abſens, optatur: proinde quem quiſque diligit, etiam cùm eum videt,*

ſine faſtidio ſemper vult eſſe præſentem, hoc eſt, ſemper quærit eum eſſe præſentem. Et nimirum hoc eſt; Quærite faciem eius ſemper, vt non huic inquiſitioni qua ſignificatur amor, finem præſtet inuentio, ſed amore creſcente inquiſitio creſcat inuenti.

Sic ipſe Pſaltes regius, & in ipſius perſona Chriſtus Dominus.
In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam; *Pſ. 39.*
tunc dixi, ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam. Continuo *Hebr. 10.*
non acquieuit carni & ſanguini ſanctus Apoſtolus, id eſt, ſtatim *Gal. 1.*
atque vocatus eſt, ſic à ſe ipſo defecit in vnam Dei voluntatem
perfectè ſemper adimplendam, vt hoc vnum curaret. *Dum modo,*
inquit, *conſummem curſum meum, & miniſterium verbi quod ac-* *Act. 20.*
cepi à Domino Ieſu: nihil præterea vereor, nihil deſidero. Hoc eſt
verè eſſe vas electionis in manu Domini, hoc eſt verè eſſe Apo-
ſtolum, vere vinctum Chriſti Ieſu.

Vide quàm longè ſis ab hoc ardenti ſtudio diuinæ voluntatis:
iterúmque vide quantum illud in nobis optaret Apoſtolus, ita *Heb. 13.*
ſcribens & ſua omnia concludens Scripta: *Deus pacis qui eduxit
de mortuis paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamenti æter-
ni, D. N. Ieſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius
voluntatem faciens in vobis quod placeat coram ſe per Ieſum Chriſtum,
cui eſt gloria per ſæcula ſæculorum.* Amen.

Digitized by Google

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Die 2. Februar.

VIDE SVPRA IN HAC PRIMA PARTE, DIEM OCTAVAM ET NONAM IANVARII.

QVOD præcipuè conſiderandum in hoc Myſterio proponi debet, eſt illuſtre Exemplum Beatiſſimæ Virginis in ſeruanda difficili lege quà minimè tenebatur. Cuius exempli vis & efficacia vt fructuoſius communicetur, animaduertendum eſt, tria eſſe præcipua Excuſationum capita, quas ſolent prætendere homines, vt ſe à ſeruandis legibus & præceptis eximant.

Primum eſt Qualitas ſeu Conditio, cuiuſcumque ſit rationis & modi. Plus enim ſibi licere putant Viri in epulis & immunditiis, quàm mulieres. Minus ſe peccare putant Milites blaſphemando quàm Artifices. Mentiri Mercatores vix ſibi eſſe illicitum putant. Ieiunia imperata qui commodius ſeruare poſſent. Viri primarij, minus ea ſeruant; tantáque libertate ſe ab his & ſimilibus quibuſdam præceptis immunes faciunt, quaſi nulla religione præcepti tenerentur, quaſi id omne licite poſſent quod per vires & facultates poſſunt, & quaſi dicerent, *ſit fortitudo noſtra, lex Iuſtitiæ.* *Sap. 4.*

Alij, quod eſt ſecundum caput, non ſuam Dignitatem vel Conditionem ita ſpectant, quàm rei agendæ qualitatem ſeu ſpeciem, ſi tale eſt videlicet præceptum vt in eo adimplendo iactura timeatur vel honoris, vel pecuniæ, vel commoditatis cuiuſlibet, tunc pro ea quam ſentiunt animi repugnantis difficultate, affir-

mabunt ſe id non poſſe, & ſibi tam facile credent non poſſe quam difficile ſentiunt velle id facere. *Nequaquam valemus aſcendere. LEO eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.* Num. 13. Prou. 22.

Tertio denique, Nonnulla tempori concedenda eſſe quæ ſemper vſurpare nollent, contendunt alij; quod etſi non negetur in iis quæ non ſunt mala aut vetita, volunt tamen ſibi concedi generatim in omnibus, *Non prætereat nos, flos temporis. NON habent radicem in ſe: ſed temporales ſunt.* Sap. 2. Marci 4.

NON ita vero Sanctiſſima Dei Mater, non ita ſe purgat, fugiendo purgationis legem, non ita ſe excuſat ſecumue diſpenſat, quamuis id licitè poſſet pro illo triplici capite quod enarratum eſt. Primò quidem ratione ſuæ Dignitatis cum eſſet Virgo Mater tam facile poterat ſe à lege redimere quàm aperte legebatur in ipſo legis decreto, ſolam eam obligari mulierem quæ ſuſcepto ſemine maſculum peperiſſet. Deinde autem ſi ratio difficultatis ſpectanda eſſet, nihil profecto poterat pudicæ Virgini grauius & moleſtius cogitari, quàm apparere immundam, & quaſi vnam de cæteris mulieribus ſiſtere ſe Sacerdoti, vt pro ipſa oraret, ſicque mundaretur. O pudendum caſtiſſimæ frontis pondus! ô ponderoſum Virginei vultus pudorem! Leuit. 12.

Denique quid dicetur de Infante? Quid cogitabitur? An illum eſſe agnoſcet Simeon cæterique fideles quem ex Virgine naſciturum Propheta dixerat, ſi ſe mater tamquam immundam purgat? Certe videri potuiſſet cedendum eſſe tempori, nec committendum, vt pro lege ſeruanda Legiſlator deſeratur.

Sed nihil horum valuit apud obſeruantiſſimam Virginem; Obediet Virgo legi mulierum; obediet in re omnium ſibi grauiſſima; obediet omni tempore. Sicque omnibus data eſt in Exemplum, vt nemo ſua in Dignitate, aut in rei aſperitate, vel licentia temporis poſſit ſibi blandiri & indulgere; vnde & ipſa ſub nomine Sapientiæ: *Nunc ergo filij audite me: Beati qui cuſtodiunt vias meas. Audite diſciplinam, & eſtote Sapientes, & nolite abjicere eam.* Prou. 8.

Quamobrem vt conformiter huic Exemplo, caueant omnes ab illis quas prætendunt excuſationibus: ac mandatis Diuinis & Eccleſiaſticis religioſius inhæreant: Tres indicantur Veritates Practicæ contra triplex excuſationum genus, vel ſimul, vel ſeorſim, ſibi aut aliis proponendæ.

Digitized by Google

PRIMA VERITAS PRACTICA.

CONTRA EXCVSATIONES, A DIGNITATE VEL CONDITIONE PERSONÆ, PETITAS.

Indignum ſua Dignitate ſe ipſe profert, qui Dignitate ſuam Legi præfert.

RATIO EST, Quia indignum ſua Dignitate & Conditione ſe ipſe profert qui palàm abutitur ſua Dignitate, ſeu authoritate & poteſtate, ad roborandam Prauitatem. Quid clariùs? *Sed qui Dignitatem ſuam legi præfert, palàm abutitur ſua Dignitate, ſeu authoritate, & poteſtate, ad roborandam Prauitatem.*

CVM enim vt ſupponimus, non ſeruet legem aliquam cui aſtringitur, nec aliud excuſet quam quod ſibi videtur non illa teneri lege, propter ſuam dignitatem, aut vitæ degendæ licentiam; profectò & dignitatem ſuam præfert legi, & palam abutitur ſua dignitate ad roborandam improbitatem. Nam improbitas eſt quod non ſeruet legem, & abuſus dignitatis eſt quod ipſius prætextu non illam ſeruet: quaſi propterea præſideret aliis vt & ipſi legi præeſſet! Deinde vero etiam roboratur improbitas, quando inſigniorum exemplo virorum fulcitur; neque inferiores ita ſibi perſuadent eſſe vetitum, quod à ſuis vident Superioribus non obſeruatum. Adde quod nec ipſi Præſides, ſeu Religioſi ſeu Laïci tanta libertate audent legum infractores coercere quas ipſi violant, ſicque impunitas viget, & impunitate roboratur impietas. Atque hinc Sapiens hoc vno vel maxime conſulit omnibus vt altiores non appetant Dignitatum gradus, ne ſcilicet liberius ipſi peccent, aut alienis im-
Eccleſi. 7. plicentur peccatis dum illa non cohibent. *Noli*, inquit, *quærere à Domino ducatum, neque à Rege cathedram honoris. Non te iuſtifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipſe eſt: & penes regem noli videri Sapiens. Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem Potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua. Non pecces in multitudinem ciuitatis, nec te*

immittas

immittas in populum: neque alliges duplicia peccata, nec enim in vno eris immunis.

Ergo indignum ſua Dignitate ſe ipſe profert qui Dignitatem ſuam legi præfert, Quia ſic manifeſte abutitur Authoritate & Dignitate ſua: vnde ipſa Sapientia tam grauiter & horrende in primarios illos viros inuehitur, vt nihil Eius verbis ad propoſitæ Veritatis confirmationem addi queat. *Audite ergo reges & intelligite, Diſcite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem Iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & cito apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, aut verebitur magnitudinem cuiuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. FORTIORIBVS autem fortior inſtat cruciatio.* Sap. 6.

Vide & Ezechielis caput triceſimum quartum.

SECVNDA VERITAS.

CONTRA EXCVSANTES ALIQVID DIFFICILIVS.

Qui à lege excludit aliquid, excludit à ſe totam legem.

R*ATIO eſt, quia ille excludit à ſe totam legem qui legis ſeruandæ motiuum & finem excludit.*

Sed qui à lege excludit aliquid quod non ſeruet, hic legis ſeruandæ motiuum & finem excludit.

Ergo & excludit à ſe totam legem. Id eſt, non modo non ſeruat illud quod excludit, ſed neque alia quæ videtur obſeruare. Nam etſi illa quantum ad materiam ſeu rei ſubſtantiam ſeruet, quia tamen non ſeruat ex motiuo & fine quo ſunt ſeruanda, non dicitur ea magis obſeruare coram Deo, quam qui faceret aliquid tantum quia ſibi placet. Sic nempe ille qui quod eſt difficilius

Digitized by Google

non facit, ſed tantum quod eſt facilius, neque hoc facilius aliter facit quam quia eſt facile, & quàm quia placet facere quod eſt facile, non autem quod difficile. Quod certe non eſt facere propter motiuum legis ſeruandæ, quod eſt Diuinum Dominium ſeu Diuina Iubentis Authoritas, cui tenemur obedire in omnibus, & tanto magis in difficilioribus quanto magis in illis noſtra conſtaret ſubiectio, quæ vix apparet in aliis facilioribus. *Si*
Matth. 5. *enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Quaſi diceret, cùm ſint iſta facillima, non fiunt ex motiuo ſupernaturali ſed naturali, ac proinde non habent eam vim quam habere debet virtus Chriſtiana cuius merces eſt regnum Cœlorum.

Sicut de Fide diuina dicitur, quod qui non credit vni articulo propter motiuum fidei, perdit omnino Diuinam fidem, nec vlli credit articulo propter Deum: ſic plane ſanctus Iacobus
Iac. 2. de obſeruandis à lege: *Quicumque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit, & non occides. Quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.* Quaſi diceret, nihil tibi prodeſt ſeruaſſe aliud, cum iſtud tranſgrediendo factus ſis reus legis violatæ: Quo certe Apoſtoli loco nihil apertius ad Veritatis euidentiam. Sunt quidem eius loci diuerſæ Authorum interpretationes: Sunt qui explicent de Charitate per vnius præcepti violationem perdita, & cuius perditione quidquid aliud feceris, tibi perit. Sunt qui de vniuerſa lege ſic intelligant vt lex vel iuſtitia legis ſit quaſi vna corona, vna veſtis, vna cyclas aurea, circumdans & ornans totum hominem: quæ tota violatur, ſi vel vnam ex ea partem demas aut violes: ſicut in muſica, corrumpitur tota harmonia ſi vel vna vox diſſonet vel abſit: nam ſic tollitur eius integritas, ſpecies & decor: Ita Tirinus & Cornelius. Sed omnium ſapientiſſimè Menochius qui ad cæteras hanc addit quam declarauimus expoſitionem; *Quia*, inquit, *qui in vno peccat, Iubentis Authoritatem contemnit, quæ in omnibus præceptis motiuum nobis eſſe debet ad illa ſeruanda.* Quo in ſenſu eſt alia Veritas huic conformis, Feria quarta infra hebdomadam quartam poſt Paſcha in ſecunda parte.

Digitized by Google

TERTIA VERITAS.

CONTRA EOS QVI CVLPAM REFERVNT TEMPORI.

Qui culpam refert tẽpori, pœnæ tempus non aufert.

SENSVS & Ratio eſt, quia qui culpæ reus eſt, pœnæ cum ſit & reus, pœnæ aliquando ſubeundæ tempus non aufert, ſuo tẽpore punietur. Neque enim eſt vlla culpa quam non ſequatur pœna. *Verebar omnia opera mea*, inquit Iob, *ſciens quod non parceres delinquenti.* Iob. 9. *DELINQVENTI Dominus nequaquam parcit*, inquit ibi ſanctus Gregorius, *quia delictum ſine vltione non deſerit. Aut enim ipſe hoc homo in ſe pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus ſine vindicta laxatur.*

Sed qui culpam refert tempori, culpæ reus eſt, & quidem duplicis, aut certe grauioris quàm ſi ſolum peccaſſet & peccati excuſationem à tempore non repeteret. Sic enim irridet Deum, quaſi non omni tempore colendus eſſet, quaſi Deus daret tempus peccandi, quaſi tùm non eſſet ſanctus vt peccatum non odiſſe poſſet, *Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde ſuo, non requiret.* Pſ. 9. En quo maxime irritatur Deus cùm culpa ſic refertur tempori, quaſi nulla tum eſſet culpa.

Ergo is qui culpam refert tempori, pœnæ tempus non aufert. Valde is errat & decipitur; tantum enim abeſt vt impune tùm peccet, quin duplo grauius puniatur; & quod peccarit, & quod peccato tempus aſcripſerit. *Duplicate duplicia ſecundum opera eius; miſcete illi duplum?* Apoc. 18.

Vide in ſecunda parte Dominicam Quinquageſimæ.

TRES ALIÆ VERITATES PRACTICÆ DE PVRIFICANDIS AFFECTIBVS.

PRIMA VERITAS PRACTICA.

Qui ſe hodie non purificat, ſe magis inquinat.

Digitized by Google

R*ATIO eſt quia ille ſe magis inquinat qui ficte & ſimulate aliquem religionis actum exercet. Sed qui ſe hodie non purificat, ficte & ſimulate exercet illum religionis actum quo benedicti geſtantur Cerei. Ergo & ſe magis inquinat, ſi non ſe ante purificet.* Vnde profecto agnoſcitur quanta ſit hodie neceſſitas purificandi affectus noſtri: & quàm apte ſanctus Iacobus dixerit: *Purificate*
Iac. 4. *corda, duplices animo.*

Prima propoſitio nihil habet difficile quod exponatur fuſius; Nam ſeſe is manifeſte magis inquinat qui peccato peccatum addit: tum vero quiſque peccatum peccato addit quando in Dei cultu & ſeruitio fingit ſe eſſe qui non eſt, fingit ſe humilem qui eſt ſuperbus, vel obedientem qui eſt contumax, vel vno verbo, ſubditum Chriſto qui Chriſto in multis reſiſtit; hoc eſt enim agere Hypocritam & Doloſum quem abominatur Do-
Matth. 23. minus. *Væ vobis hypocritæ quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus Mortuorum, & omni ſpurcitia.*

SED qui ſe hodie non purificat, ficte & ſimulate exercet illum religionis actum quo benedicti geſtantur Cerei.

Hæc ſecunda propoſitio non ita quidem videtur clara, & fuſius declaranda eſſet quàm hic tractetur, ſed ex his paucis facile cætera colligentur. Primo indicandum quis ſit ille actus religionis ſi bene exerceatur, nempe eſt profeſſio quædam publica qua teſtamur coram Deo & hominibus, Chriſtum Dominum eſſe verum illud Lumen quod dixit Simeon ad reuelationem Gentium, & gloriam Iſraelitici populi: Nos per eius gratiam & per Euangelij communicationem illo eſſe lumine ſic illuſtratos vt quod Chriſtus dixit fideliter credamus, & pro ea fidelitate parati ſimus mori ac deficere, ſicut cera deficit à facie ignis, & toti velimus conſumi & impendi in illius obſequium, *qui nos de tenebris*
1. Pet. 2. *vocauit in admirabile lumen ſuum.* Ac proinde Eccleſia dum cereos benedicit, ſic Deum inuocat in hunc finem; *quæ extrinſecus annua tribuis deuotione venerari, interius aſſequi gratiæ tuæ luce concede: vt purgato mentis oculo ea cernere poſſimus quæ tibi ſunt placita.*

Sic itaque ſi affecti eſſemus interius, ſicut exterius profitemur, inſignis eſſet Religionis actus, quia ſic, vt dictum eſt, profitemur nos totos velle eſſe Chriſti, ſicut agnoſcimus nos illius eſſe
Pſ. 115. totos; quod maxime proprium eſt Chriſtianæ Religionis. *O Do-*

Digitized by Google

mine quia ego ſeruus tuus: ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.

Quod ſi è contra interius, quædam ſint in animis noſtris quæ huic externæ Profeſſioni repugnent & aduerſentur, ſi quidam forte ſint, vt reuera multi ſunt, deprauati affectus qui nos à Chriſti cultu & obſequio tam longe auocent quam virtus & vitium longe diſiuncta ſunt; nonne fictè & ſimulate à nobis ille actus religionis exercebitur? Nonne falſo dicemus nos eſſe Chriſti, cùm verè illius non ſimus? Nonne erimus illi duplices animo, quos ſanctus Iacobus alloquitur, niſi quod etiam imperat, corda noſtra purificemus? Quid eſt enim eſſe duplicem animo, niſi fictum & ſimulatum coram Deo, Sicut ait Sapiens; *Ne acceſſeris ad eum duplici corde*; Quando ſcilicet interiora cordis non reſpondent exterioribus, quando vt ait Dauid, *labia doloſa in corde & corde locuti ſunt*: Quando, vt deſcribit Propheta, *facti ſunt quaſi arcus doloſus*, qui nempe non rectà tendit in ſcopum, ſed emiſſam ſagittam in emittentem retorquet potiùs quam in locum deſtinatum. Sic enim aperte ſanctus Auguſtinus, iam ſuprà ſemel auditus, ac iterùm, *Deprehenderis & detegeris Chriſtiane, quando aliud agis & aliud profiteris*, Id eſt, in eo agnoſceris verus aut fictus Chriſtianus, quando cæteræ actiones non reſpondent Profeſſioni Chriſtianæ quam præ te fers: quando profiteris te eſſe Chriſti ſeruum, nec tamen Chriſto ſeruis: quando fateris te probe noſſe quid illi debeas, nec tamen reddis quod debes, non defectu poteſtatis, ſed affectu voluntatis oppoſito, quem niſi purificaueris, te fictum & ſimulatum facit eo tempore quo ſinceriùs & veriùs eſſet procedendum, nempe in ſacro Religionis actu.

Iac. 4. *Eccleſi. 1.* *Pſ. 11.* *Oſee 7.* *Tract. de Symb. ad Cathech.*

QVAMOBREM Veritas quæ de majori hodie contrahendo cordis inquinamento proponitur, niſi cor ipſum purificetur, euidenter patet. Nam qui ſic fictè & ſimulatè agit, ſe manifeſte inquinat, cum illa cordis duplicitas ſit noua cordis impuritas: atque ita neceſſario ex his duobus alterutrum hodie nobis eſt eligendum quod ſanctus Ioannes futurum dixit; *Qui nocet noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Nempe qui ritè, qui ſincerè, qui puro mentis affectu religioſæ debitum ſeruitutis exoluere ſit paratus, quemadmodum præ ſe fert hodie in hac an-

Apoc. 22.

Digitized by Google

nua Cereorum celebritate, Sanctus ille eſt qui ſanctificatur adhuc; Qui vero impuros & deprauatos gerit affectus, hic in ſordibus eſt, & ſordeſcet adhuc.

Quæ certe Conſideratio digna eſt quæ attentius expendatur; nam ſi vel de ſola maiori Puritate & ſanctitate comparanda nunc ageretur, ſatis quidem eſſet ad acuendos noſtros animos ex tantæ rei pretio; Sed cum aliud ſubeſt, & alterutrum neceſſario additur, niſi ſit puritas major, erit major impuritas; quis tam parum ſui ſtudioſus, hanc nouam hodie velit contrahere notam & maculam, vt qua die magis purificari debuit, magis fuerit inquinatus? *Si ſal euanuerit in quo ſalietur? Si ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis?* Id eſt, ſi media illa quæ ſunt apta & ordinata purificandis animis inquinentur, quibuſnam aliis ipſa modis purgabuntur? Aut non erat geſtandus hodie ſacer ille Cereus quo tuam in Chriſtum fidem producebas, aut affectus interior erat perpurgandus, quo fides illa vera eſſet & ſincera, non ficta & adumbrata. Licet enim tibi videaris nihil affinxiſſe, nihil diſſimulaſſe: ſi tamen affectus interior non is fuit qualem oportet eius eſſe qui ſe totum eſſe Chriſti profitetur; nihil niſi ficta & ſimulata fuit illa Profeſſio; nihil niſi exterior fuit religionis ſpecies & vmbra pietatis, quæ ſola dum habetur, ait Apoſtolus, *vera virtus abnegatur.*

Math. 5. Marci 9. 2. Tim. 3.

Audi eundem de hoc noſtro interiori ſtatu differentem, qui ad externos religionis actus eſt adhibendus: *Accedamus*, inquit, *cum vero corde, in plenitudine fidei, aſperſi corda à Conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda:* Quaſi diceret, tam puro corde nos eſſe tum oportet, quàm cum baptiſmi gratiam & innocentiam ſuſcepimus. Sic venturum Chriſtum ad mundanda corda noſtra, Propheta ille prædixit qui auditus eſt in hodierno Sacro: *Ipſe*, inquit, *quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum.* Id eſt, ſicut aurum & argentum purgantur ſeparatione metalli vilioris quod ipſis admixtum erat, ſic purificantur corda, dum affectu ſemouentur à terrenis & mundanis. Quod alia ſimilitudine ſanctus Ioannes præcurſor, exprimebat cùm diceret, *cuius Ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* O quis tum ſen-

Hebr. 10. Malachiæ 3. Math. 3.

ſus impuri cordis? quis porro animus iam iam morituri Chriſtiani quando religioſus ille Cereus in hunc extremum finem domi aſſeruatus, ad manus eius inferetur, quaſi teſtimonium illius fidei quam profeſſus eſt hodie. Poteritne tùm non recordari ſui hodierni ſtatus? poterîtne vero recordari & nón reformidare iudicium ſuæ perfidiæ, ſuæ deſidiæ, qua magis ac magis ſordeſcere voluit quam purgari?

Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me, dicebat beatus Iob. *Iob. 16.* *At quid per rugas, niſi duplicitas deſignatur*, inquit S. Gregorius? *Rugæ itaque ſunt ſanctæ Eccleſiæ; omnes qui in ea dupliciter viuunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant.* Et poſt pauca: *Has autem rugas in electis ſuis Sancta Eccleſia non habet, quia videlicet neſciunt aliud de ſe foris oſtendere, & intus aliud habere. Vnde rectè egregius Prædicator dicit: vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam;* *Epheſ. 5.* *Maculam quippe & rugam non habet quæ & turpitudine operis, & duplicitate ſermonis caret.* Vide eundem, tertia parte Paſtoralis, admonitione duodecima.

ALIA VERITAS PRACTICA.

Hæc eſt magis aut minus puræ mentis nota certior, velle magis aut minùs purificari.

RATIO *eſt quia magis aut minus amare puritatem, nota eſt certior magis aut minus puræ mentis. Sed magis aut minus amare puritatem nihil eſt aliud quam magis aut minus purificari velle. Ergo hæc eſt etiam magis aut minus puræ mentis nota certior, velle magis aut minus purificari.*

Quæ quidem Ratio eſt euidentiſſima, & poſſet eſſe communis omni probandæ virtuti; ſed puritati tamen particulatim conuenit, quia hæc inter Virtutes cæteras magis eſt tenera & delicata, theſaurus eſt in vaſe fictili cui conſeruando niſi mens omni cuſtodia cor ſuum ſeruauerit, facile quatitur & diſſoluitur. Non poteſt autem melius conſeruari quam ſi augeatur in dies, roboretur & ſtabiliatur firmius. Sic enim validius reſiſtit oppoſitis, & ſua ſe in incorruptibilitate tuetur. Sic Beata Virgo ſicut erat omnium Virginum puriſſima, ita puritati conſeruandæ & augendæ ſtudebat omnium vehementiſſimè. Vide quæ ſupra dicta

Fer. 6. poſt Dom. 4. ſunt in Aduentu, & in Feſto Conceptionis, quibus adde quod huius puritatis, affectu purgationis legem impleuit, vt quantum magis purificari poſſet, purificaretur, & nos exemplo ſuo efformaret ad huius Virtutis incrementum magis ac magis procurandum.

Vide quibus id poſſis modis, & ne tantum attendas quale inde bonum proueniat, ſed quale damnum importetur ex minori puritatis cura. Præclare ſanctus Auguſtinus: *quidquid pulcreſcit viſu, quidquid dulceſcit guſtu, quidquid blanditur auditu, quidquid lenocinatur odoratu, quidquid molleſcit attactu, in his omnibus ſi incauti fuerimus, ſurrepentibus concupiſcentiis malis, Animæ Virginitatem corrumpi permittimus: & impletur illud quod per Prophetam dictum eſt: Intrauit mors per feneſtras veſtras.* Lib. 50. Homil. Hom 35. Ier. 9.

Apte etiam S. Gregorius ad illa verba primi Regum capite decimo quinto: *Vade & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid*; NON POTEST, inquit, *tolli menti quod aliquo modo immunda non videat, ſed in mirabilem vſum Puritatis deducitur, vt immunda videns, nulla delectationis labe maculetur. Quiſquis ergo ſic præeſt carni, quiſquis ſic mentem regit, ideo præeſt, ideo regit, quia Amalec cuncta demoliri fortiter potuit. Quis eſt hic qui parcit Amalec niſi qui aut in cogitatione, aut in ore, aut in carne, laſciuiæ aliquid retinet? Non parcas ei, quia de tam nequiſſimo vitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti ardere in opere. Non parcas ei, vt omnes libidinoſi motus omnes obſcenæ locutiones prorſus perimantur in corpore, &c.*

ALIA VERITAS PRACTICA.

AD HÆC SIMEONIS VERBA:

Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Luc. 2.

Doloris gladium, Animæ Virginis, acerbiorem infert vita peccatoris, quàm Mors filij.

RATIO eſt, *quia Virginis anima conformis erat animæ & voluntati patientis ac morientis filij.*

Sed

Sed voluntas patientis ac morientis filij talis erat, vt ex vita peccatoris, acerbiori pungeretur doloris gladio, quàm ex morte ſua.

Ergo & doloris gladium Animæ Virginis acerbiorem infert vita peccatoris, quàm Mors filij. Quod certe eſt expaueſcendum omnibus, tum vero iis præcipue qui ſe Deuotos Virgini profitentur, nec deſiſtunt à peccatis. Hæc ſunt eorum peccata maxime quibus magis affliguntur Mater & Filius, quam ipſa morte Crucis crudeliſſima.

Ratio tota pendet à malitia peccati quæ eſt grauior apud Chriſtũ, cui haud dubiè Mater erat conformis, quàm ipſa Chriſti Mors, propter has tres cauſas. Prima, quod peccatum ſit offenſa Dei & quoddam velut Deicidium, quo Deus moritur in anima Peccatoris, in qua ante peccatum viuebat per Charitatem & gratiam. Vnde dicitur, *Quaſi Romphæa bis acuta omnis iniquitas*; ex duplici parte lethalem infert plagam, nempe Deo & animæ peccatrici, *Ecce peruenit gladius vſque ad animam.* At certe Mors Chriſti ſi tantum conſideretur vt pœna, pœna eſt & mors hominis non ipſius Dei, niſi per communicationem Idiomatum. Et Chriſtus vt homo vitam & honorem Dei Patris qui in peccato læditur, tanto pluris quàm vitam ſuam faciebat, quanto Pater maior ipſo erat. *Quia Pater maior me eſt,* inquiebat, *Et in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.*

Eccleſi. 21. *Ier. 4.* *Ioan. 14.* *Luc. 2.*

Secunda cauſa eſt, quia Chriſtus in Morte ſua, videbat ordinationem Patris iuſtiſſimam quam ſummopere venerabatur, & inde omnia conſequentia bona in Electorum ſalutem. At verò in peccato, nihil videt niſi quod eſt purum putum malum & mora inordinatio, directe oppoſita voluntati Diuinæ quæ nec velle peccatum nec amare poteſt, imo ſemper odit & punit. *Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Atque ita peccatum ſimpliciter & abſolute malum eſt & plane inuiſum Deo; Paſſio vero Chriſti vt Paſſio, & vt malum eſt pœnæ, non ita malum eſt quin maxima in eo, & pretioſiſſima bona inſint, quæ & Deus volebat, & quæ proinde Chriſtus amabat. *Vt cognoſcat Mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

Hab. 1. *Ioan. 14.*

Tertia denique eſt, quod vt ait ſanctus Thomas, Priuatio finis eſt grauior quàm eorum quæ ducunt ad finem: Finis autem patientis & morientis Chriſti quis erat niſi peccati ſublatio,

Digitized by Google

niſi Paternæ gloriæ, ſalutiſque humanæ reparatio, quæ tamen omnia pereunt per peccatum denuo perpetratum; Vnde quàm verum eſt illud commune Effatum: propter quod vnumquodque eſt tale, hoc ipſum magis eſt tale: tam verum ſit oportet quod magis acerbum eſt Chriſto, Peccati malum, quam propriæ mortis, quia propter peccatum auferendum Mors illa eſt ordinata:
Iſ. 27. propter Diuinam gloriam & humanam ſalutem recuperandam
Pſ. 29. Mors illa ſuſcepta eſt. *Iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum eius.* Et tamen per peccatorem refertur, & ſic perit eius fru-
Gal. 5. ctus & finis. *Quæ vtilitas in ſanguine meo? Chriſtus vobis nihil*
Hebr. 10. *proderit. Euacuati eſtis à Chriſto, à Gratia excidiſtis. FILIVS Dei conculcatus, & ſanguis teſtamenti pollutus eſt.* O vulnus Chriſti dirius lethali quouis vulnere!

Serm. 181. de temp. Cur me inquit grauiori tuorum criminum Cruci affixiſti! Vide reliqua eius Verba quæ ſunt ex S. Auguſtino relata, ſacro die Paraſceues: Vbi & multa quæ huc ſpectant expromes, Vnde quàm clare pateat Veritas de acerbiori doloris gladio quem infert peccator Animæ Beatæ Virginis, non eſt apertius demonſtrandum: ſed qualis inde in peccato conſiderari debeat mali Grauitas, attentius eſt perpendendum. Quid enim eſt, peccator! Quid illud eſt, vno quaſi ictu & Deum Patrem occidere; & Filium grauiori ſupplicio enecare quam morte Crucis; & Matrem acerbiori gladio tranſuerberare quàm aſpectu pendentis in Cruce filij! Iſtane poſſunt credi & fieri? Certe quod credi debeant, motiua ſunt cuiuſcumque generis; fides eſt diuina & humana: Scripturæ id aperte pronuntiant, Patres ita exprimunt, ſic ſuadet Ratio; quid ad conciliandum fidem efficacius? An vero id poſſis de peccato credere, & peccare velle! Neſciebas forte, nec cogitabas cùm peccaſti; dolendum eſt, & dolore intimo diluetur peccatum. Sed deinceps, qui hæc iam audiuiſti: Quid deinceps acturus es? An ſic liberè & effuſè peccabis? an
Ezech. 21. ſic lethalem gladium proterue inferes in ſinum dolentiſſimæ Matris? *Mucro, mucro, reuertere ad vaginam tuam.* Vrge hunc motum vehementiſſimè.

DIES FESTVS S. MATTHIÆ APOSTOLI,

nonniſi poſt Septuageſimam celebratur: quamobrem in ſecundam partem remittitur.

Digitized by Google

VERITATES PRACTICÆ.

COMMVNES OMNIBVS SANCTIS,

PRÆTERQVAM APOSTOLIS ET EVANGELISTIS, QVIBVS PROPRIÆ DESIGNANTVR, SVIS LOCIS.

COMMVNIS OMNIBVS SS. MARTYRIBVS.

Tamquam aurum in fornace probauit illos: & quaſi holocauſti hoſtiam, accepit illos. Sap. 2.

VERITAS PRACTICA.

Sicut Martyrio vita naturalis, ſic Mortificatione vita ſenſualis.

SENSVS eſt, quod ſicut ne pereat Fides, perdenda eſt Martyrio vita naturalis: ſic ne pereat Fidelitas, perdenda mortificatione, vita ſenſualis.

RATIO eſt, quia tale eſt meritum Fidei, & talis eius obligatio, vt illi poſtponenda ſit vita naturalis.

Sed tale eſt etiam meritum & obligatio Fidelitatis noſtræ, vt illi ſubjicienda ſit vita ſenſualis.

Ergo æqualiter hæc eſt exponenda, ne pereat Fidelitas: ſicut ne pereat Fides, non dubitatur exponi Martyrio vita naturalis.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

QVAM ſit mirabilis & magnificandus Deus in ſanctis Martyribus ſuis; quanta ſit horum gloria, & quantum inde ad perfectam mortificationem incitamentum, fuſiſſime habes in vernacula Meditatione, ad id inſtituta.

Nunc vero ex multis quæ inde poſſunt ad praxim erui, hæc Veritas maximè practica & fructuoſa videtur, *Vt ſicut ne pereat Fides, perdenda eſt martyrio vita naturalis, ſic ne pereat fidelitas, perdenda eſt mortificatione vita ſenſualis.*

Ratio fundamentalis hæc eſt, quia tale eſt meritum & obligatio Fidei noſtræ, vt præferri debeat vitæ naturali; Quod quidem ex triplici capite potiſſimùm declarari poteſt. Primum, quia Deus vt Dominus vitæ noſtræ id meretur, vt quando imperat, vel quando agitur de honore eius, vitam illi noſtram
Deut. 32. & 34. plane conſecremus, *Morere,* ait Dominus Moyſi: *mortuúſque eſt Moyſes ſeruus Domini, iubente Domino.* Sic plane quilibet noſtrum debet eo iubente mori. Iubere autem intelligitur quando non aliter viueres, niſi eum offenderes, fidem abnegando: Tùm po-
Dan. 13. tius dicendum cum Suſanna: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conſpectu Domini.*

Deinde id debemus Chriſto Domino, tùm quod reſtituit nobis vitam æternam, tū quòd idcirco ſuam dedit quali modo ſcimus,
1. Pet. 2. quàm probroſo, quàm indigno! *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Et quotquot Chriſtiani ſumus, hoc veluti Sacramento & iuramento fidei ad illius obſequium ita tenemur, vt citra perfidiam & apoſtaſiam
Matth. 10. reſilire non poſſumus. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.*

Denique idipſum debemus animæ noſtræ, & ſaluti æternæ, vt temporalem vitam tam libenter impertiamur, quàm pro-
2. Mach. 6. broſum, quàm inordinatum & indignum eſſet, Si *propter modicum corruptibilis vitæ tempus,* vt aiebat ille, *maculam: & execrationem ſempiternam conquiramus, Nam etſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar; ſed manum Omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam.*

Hoc attendens in agone ſuo glorioſus Chriſti Athleta, non exhorruit carcerem, ad Imitationem ſui Capitis tolerauit probra, ſuſtinuit irriſiones, flagella non timuit: Et quot ante mortem pro Chriſto pertulit ſupplicia, tot ei de ſe obtulit ſacrificia. Sic fusè S. Auguſtinus. O quàm facili pretio nobis conceditur, quod tam carò ſancti emerunt. *Numquid fratres veſtri ibunt ad pugnam, & vos hic ſedebitis!* S. Auguſt. ſer. 44. de ſanctis. Num 32.

II. PVNCTVM.

SED *tale eſt etiam meritum & obligatio Fidelitatis noſtræ, vt illi ſubjicienda ſit vita ſenſualis;*

Non eſt dubium quin ſi de peccato mortali ageretur perinde obligaremur atque in ipſa Martyrij occaſione pro Fide, eamque in rem egregius eſt tractatus apud S. Cyprianum de duplici Martyrio, vbi hæc inter alia contra peccatorem. *Cùm Tyrannus dicit, abnega Chriſtum & immola Ioui, ſæpe lingua negat corde reclamante: quamquam hoc grauiſſimum crimen, tamen aliquam impietatis culpam eleuat humanæ naturæ imbecillitas. Ibi ſatanas tibi loquitur per tuam concupiſcentiam: abnega Chriſtum, & eſto diues, ſacrifica mammonæ & Chriſto nuntium remittito: nec dicit, morere, ſed potiùs oblecta oculos. Et tamen tu hic ſponte ſubmittis genua Satanæ, & abnegato Chriſto, te totum illi mancipas.*

Et verò etiam vbi de veniali tantùm ageretur, ſicut profectò ſaltem de eo agitur, quando inordinatus eſt motus ſenſualitatis; quàm vera ſit propoſitio vel ex eo patet, quòd vita ſenſualis longè minor & inferior eſt vitâ naturali; At vita ipſa naturalis, ſi opus foret, danda potiùs eſſet, quàm illud veniale committendum; Quanto igitur magis ſenſualis? Hinc apte Sapiens: Eccleſ. 4. *Pro Iuſtitia agonizate pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro Iuſtitia.*

Quod ſi triplex illud caput, vnde meritum & obligatio fidei petebatur in primo puncto, volueris attendere, profectò etſi non eandem & omnino parem fidelitatis obligationem concludes; at certè ſimilem ſuo proportionato modo atque ita nos obſtringentem reperies, vt prorſus deſinat eſſe fidelitas, ſi non ſibi ſubjiciat vitam ſenſualem. Quale enim illud, & quàm alienum à

fidelitate, præferre Deo, Chriſto & ſaluti, ſeu perfectioni animæ, neſcio quam vanitatem, voluptatèm & commoditatem corporis, malle offendere Deum, & Chriſtum, quàm ſuum ap-
Deut.32. petitum! *Hæccine reddis Domino!* Hæccine reddis Chriſto! vbinam illud quod debes, Cor totum, tota anima, tota mens, tota virtus, tota fortitudo; & omnes vires? Certè non vbi ſenſualitas; nam quantum eſt illi datum, tantum de toto detractum eſt.
2. Cor. 5. *Charitas Chriſti vrget nos,* aiebat Apoſtolus, *æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.*

Quid porro eſt, non ſibi viuere ſed totum Chriſto, niſi ſenſualitati renuntiare? Nam certè qui cedit appetitui, ſibi viuit, quantumcumque modice cedat: Mors nobis integra per mor-
Rom. 6. tem Chriſti imperatur: *Mortui ſumus & conſepulti cum illo*; nullus igitur motus vitæ ſenſualis relictus eſt, cùm mors totam planè vitam excludat, aut mors dici non poſſit. Et cum Chriſtus Dominus in hoc eſſe mortuus, & reſurrexiſſe dicatur ab eodem
Ibid. 14. Apoſtolo, *vt & mortuorum & viuorum dominetur:* Vidéſne quomodo mortuis dominatur? Videſne vt nullo prorſus motu mortui moueantur, quàm ex eius imperio? ſic nos viuentes non ali-
Ibid. 12. ter moueri deberemus. Sic propterea monemur, *exhibere corpora noſtra hoſtiam viuentem, Sanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum.*

Quanto res verò modica & exigua nobis apparet, tantò fidelitas major probaretur, & tanto arguenda eſt infidelitas, quæ in re tantilla, ſe Chriſto prætulit. Nec porrò leue putes animæ
Luc. 16. damnum quod hac infidelitate contrahitur; *Nam qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt,* inquit Dominus. Sic probatur fidelitas, vt in igne
Prou. 27. aurum. Audi ſcripturam: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantis.* Expende hoc anime, inter omnes vitæ ſenſualis actus, *moueri ſuis laudibus,* videtur leuius, aut certè parum graue; Et tamen inde probatur fidelitas, vt tibi innoteſcat nihil tam leue eſſe in hac materia quod non ſit ſtudioſè cauendum.

Digitized by Google

III. PVNCTVM.

E*RGO ſimiliter ne pereat Fidelitas, perdenda eſt mortificatione vita ſenſualis, ſicut Martyrio perderetur vita naturalis, ne periret Fides*, quia ſic Deus vtrobique meretur, hoc æquè debemus Chriſto Domino, hoc ſaluti & perfectioni animæ, quâ nihil carius poſt Deum nobis eſſe debet. *Si oculus tuus dexter ſcandaliſat te, erue eum & proiice abs te: Et ſi dextra manus tua, ſcandaliſat te, abſcinde eam: Et ſi pes tuus te ſcandaliſat, amputa eum.* His tribus membris ſeu ſymbolis deſignatur triplex concupiſcentia, vnde tota conficitur ſenſualitas, quæ nos à Fidelitate reuocat, ſub ſpecie boni, honeſti & delectabilis. *Mat. 18.* *Mar. 9.*

At vero, hic etiam conſidera, quàm longè digniùs & ſecuriùs triplex illud bonum reperiatur in ipſa fidelitate. Quid enim & honorificientius, & ad omnem commendationem glorioſius, quàm ſe ita fidelem exhibere Deo, vt ne latum vnguem, ne pro quolibet alio prætento bono, ab eo diſcedatur? Quibus non præconiis & laudibus hunc fidelem Dominus ſeruum effert? Compara gloriam quæ à Deo eſt, cum gloria quæ à mundo? Confer iſtam Iobi commendationem, quam à Deo promeruit, cum alia quauis quam tibi mundus referre poſſit: *Numquid*, inquit, *conſideraſti ſeruum meum Iob; quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, ac timens Deum?* Vtrùm ſecurius probari à Deo, an ab hominibus? *Væ cùm benedixerint vobis homines?* Et ſi autem maledicant; *Maledicent illi, & tu Domine benedices.* *Iob. 1.* *Luc. 6.* *Pſ. 108.*

Sic perge conſiderando de aliis concupiſcentiis; Quæ commoditas ſenſualis præ vtilitate fidelitatis? quænam voluptas ſenſuum præ gaudio animi & præ illa delectatione ſecuræ mentis, quæ eſt iuge conuiuium? *Quid ergo tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam?* En Dominus Deus tuus tibi illud bonum longe præſtantius offert, & tu illo deſerto, paternìſque deliciis abdicatis, mauis ad ſiliquas porcorum recurrere! Caue id omnino, & audi Chriſtum Dominum: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Expende verba, *vſque ad mortem*, incluſiuè, ſeu de vita naturali agatur, quæ ſine dubio danda eſt, potiùs quàm vel leue peccatum admittatur: ſeu longè magis de ſenſuali, quæ potiori iure debetur, quoties fidelitas id exigit. *Prou. 15.* *Ier. 2.* *Apoc. 2.*

Digitized by Google

2. Cor. 4. Et quia ſemper & vbique exigit, *idcirco ſemper Mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferamus, vt & Vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.*

COMMVNIS SANCTIS
CONFESSORIBVS PONTIFICIBVS.

Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi. Eccleſi. 44.

VERITAS PRACTICA.

Et communia ſingulariter, Et ſingularia communiter.

SENSVS eſt, quòd ſic communia ſingulariter tractanda ſunt, vt ſingularitatis nota vitetur, Et à communibus numquam diſcedas.

RATIO EST, Quia idcirco communia ſingulariter ſunt tractanda, quod ad id Gratia quædam ſingularis, vnicuique à Deo detur.

Sed illa gratia notam affectatæ ſingularitatis abhorret, & à communi lege non diſcedit.

Ergo vtrumque ſic temperandum eſt, vt & communia ſingulariter obſeruentur, & ſingularia communiter, ſeu ſine præiudicio cõmunitatis. Quod eſt diligenter cauendum.

I. PVNCTVM.

QVOMODO de vnoquoque ſancto Pontifice dicatur, non eſſe alium ſimilem illi, quanta inde Chriſti Domini gloria, quantus vniuſcuiuſque Sancti Pontificis honor,

Digitized by Google

honor, & alia quæ in hanc rem quæri poſſent, habes in Meditatione de hoc argumento fuſiùs explanata. Inde vero hæc Veritas ad praxim, & ad eorum imitationem deducitur, *quod ſic communia ſingulariter tractanda ſunt, vt ſingularitatis nota vitetur, & à communibus, quantum fieri poterit, numquam diſcedatur.* Verendum enim eſſet, ne in aliquod extremorum iretur, ſi communia communiter ſolùm fierent, aut ſi relictis communibus, ſingularitas notaretur. Quamobrem vtraque ſimul iungenda, vt & cõmunia ſingulariter, & ſingularitas à communione ſeu communitate non ſe diſiungat. Sic ſancti omnes, eandem & communem omnibus legem Excelſi, tam perfectè obſeruârunt, vt in illa obſeruatione ſingularis vnuſquiſque extiterit, nec fuerit inuentus ſimilis illi. Rurſum verò ſingularitatem illam ſic temperârunt, vt nullum inde affectationis maculam contraxerint, nec ſe à communi lege Excelſi ſeparârint.

Hoc ergo primùm expende, quòd communia non communiter ſunt tractanda, id eſt, non communi & neglecto modo, non perfunctoriè, non tepidè, non diſſolutè, non vt fieri ſolet in iis quæ quotidiana ſunt, & quæ quodammodo præ aſſiduitate vileſcunt; *ſed ſingulariter*, id eſt ſingulari quodam affectu, quaſi res propria & noua eſſet, nouo in dies creſcente feruore, quà mentis attentione & deuotione poſſis, velut ſi primò ipſum opus inchoares, velut ſi extrema eſſet vitæ actio, de qua iam iam eſſes rationem redditurus, velut ſi de mundo conuertendo in ea quantacumq; parua actione ageretur, ſi denique quàm perfectè & abſolute poſſis, ſecundũ gratiam ſingularem ad id tibi datam. *Nam*, vt ait Apoſtolus, *vnuſquiſque proprium Donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.* Et fuſiùs paulo pòſt. *Diuiſiones gratiarum ſunt, diuiſiones miniſtrationem, Diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidẽs ſingulis prout vult:* ſicut in vno & eodem corpore multa membra, quæ non eundem actum habent. Hæc & ſimilia frequenter repetit, quæ ſic intelligi poſſunt de Virtute quapiam vnicuique ſingulariter impertita, vt ad eius ſingularem actum, ſinguláſque illas actiones, quæ communes omnibus quotidianæ ſunt, etiam referri debeant.

1. Cor. 7.

Ibid. 12.

Sic enim idem Apoſtolus expreſsè de ſe, ſinguliſque ſuis operibus: *Exhibeamus omnem hominẽ perfectum in Chriſto Ieſu, in quo* *Coloſſ. 1.*

Digitized by Google

& laboro certando ſecundum operationem eius, quam operatur in me, in virtute. Audiſne quod dicit ſecundum operationem eius quam operatur in me, Id eſt, in ſingulis actionibus, cùm ad ſingula concurreret illa Dei operatio; cúmque in hoc Apoſtolo eſſet ſingularis quædam virtus & gratia ad operandum: eius operatio, ſeu actio erat etiam ita ſingularis, & perfecta ſuo modo, vt eius perfectio non eſſet perfectio S. Petri, nec alterius Apoſtoli: ſicque omnes perfecti eſſent diuerſo perfectionis gradu, vt nullus alteri ſimilis eſſet non tantum vniuerſim pro toto vitæ decurſu, ſed pro ſingulis etiam actionibus, quas vnuſquiſque ſingulariter ex ſingulari ſuo dono exercebat.

1. Cor. 13. Sic denique, quod idem ait, *Super idem fundamentum ſuperædificat alius aurum, alius argentum, alius lapides pretioſos, alius ligna, fænum aut ſtipulam*; hoc eſt, vnam eandemque actionem quam multi facient, alius tam ſingulariter ab alio & perfectè exercebit, quàm diuerſum eſt aurum ab argento, vel ligno, vel ſtipula. O qualis diuerſitas, non quidem à diuerſis actionibus, ſed à diuerſo agendi modo. Sancti fecerunt eadem quæ nos agimus, & nobis eadem penè, quæ ipſis ſunt agenda: Sed aliter illi, & nos aliter! Illi velut aurum, argentum, aut lapides pretioſos actionibus ſuis ſingularem virtutem, quâ præditi erant, inſerebant; Nos, virtute neglectâ, ex appetitu naturali tantùm agentes, nihil niſi ligna, fænum, ſtipulam, aut aliam ignis materiam inſerimus operibus noſtris! Expaueſce.

II. PVNCTVM.

SED illa Gratia notam ſingularitatis abhorret; & à communi lege non diſcedit.

Aduerte ſingularitatis tum eſſe notam, ſi quis ſine legitima cauſa à communi lege diſcedit. Nam ſi legem ſeruandam ſeruat, etſi alij non obſeruent, non eſt ſingularitas vitioſa, imo laudabilis: ſed illa tantũ ſingularitas vitio vertitur, quando quis neglectis communibus aliquid extraordinarium ſupra alios agit, vel in ipſis communibus obſeruandis aliquem modum affectat, qui non eſt in vſu & communi approbatione ſapientum vel Superiorum. Luc. 18. *Non ſum ſicut cæteri hominum*, ait in corde ſuo homo ſingularis, & vanus. Ab hac autem affectatione ſeu nota ſingu-

Digitized by Google

laritatis longè eſt gratia, quæ ſingulis ad communia ſingulariter tractanda communicatur; Non enim ſeipſam deſtruit gratia, nec Deus eſt diſſentionis Author, ſed pacis & ordinis; ac 1. Cor. 14.
proinde cùm communitatem ipſe velit ab omnibus obſeruari, licèt ad eius obſeruantiam vnicuique det gratiam ſingularem, non vult tamen illâ gratiâ communitatem deſtrui, ſed potiùs conſeruari, efflorere, exornari, & vtiliorem reddi, ſicut diuerſi membrorum actus non impediunt, imò iuuant totum corpus; & ſicut diuerſæ voces ſimul conuenientes concentum gratiorem faciunt: ſic planè Communitas exurgit vberior & formoſior ex ſingulis cuiuſque virtutibus, dummodo illæ virtutes ad eam obſeruandam concurrant, & non deſtruendam. Hæc ſunt prima opera quæ Deus fieri vult ab illo Epiſcopo qui multis vacabat aliis: *Sed habeo*, inquit, *aduerſum te, quod charitatem tuam* Apoc. 2.
primam reliquiſti. Memor eſto itaque vnde excideris, & age pænitentiam, & prima opera fac, ſin autem, veniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo. Vide primum de Imitatione Chriſti, capite decimo quinto, vbi hæc inter alia: *Cauendum ne piger ſis ad communia, & ad ſigularia promptior, ſed expletis integre, & fideliter debitis, & iniunctis, ſi iam vltra vacat, redde te tibi prout deuotio tua deſiderat.*

III. PVNCTVM.

PATET ergo ſic vtrumque temperandum, vt & communia ſingulariter fiant, & ſingularitàs nihil communibus omnino præiudicet: Imò potius, cùm ipſa ſingularis gratia non detur niſi ad communitatem melius obſeruandam, non aliter gratiæ cooperaberis, niſi vtroque ſimul iuncto, & Communitas ſingularitate exerceatur, & Communitati ſingularitas ſeruiat. Vide in Iob. 38.
quo deficias aut excedas. Audi S. Gregorium aptiſſimè ad hæc differentem in illa Iobi verba, *Indica mihi ſi habes intelligentiam, quis poſuit menſuras eius ſi noſti, vel quis tetendit ſuper eam lineam? Cum miro*, inquit, *conſilio author ac diſpoſitor noſter huic illa largitur* L. 28. Mor.
quæ alij denegat: alij hæc denegat, quæ iſti largitur; menſuras ſibi c. 8.
poſitas egredi nititur, quiſquis poſſe pluſquam acceperit conatur. In præcipitio pedem porrigit, qui menſurarum ſuarum limitem non attendit: & plerumque amittit, & quod poterat, qui audacter ea, ad

Digitized by Google

quæ pertingere non valet, arripere feſtinat. Nam & membrorum noſtrorum tunc bene miniſteriis vtimur, cùm ſua eis officia diſtinctè ſeruamus: lucem quippe oculis cernimus; vocem verò auribus audimus: ſi quis autem mutato ordine voci oculos, luci aures accommodet, huic incaſſum vtraque patent. Si quis odores velit ore diſcernere, ſapores nare guſtare, vtriuſque ſenſus ſibi miniſterium quia peruertit, interimit, dum enim propriis hæc vſibus non aptantur, & ſua officia deſerunt, & ad extranea non aſſurgunt. Benè itaque Dauid Propheta, intra acceptas ex diuina largitate menſuras pedem cordis preſſerat, cùm dicebat, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Super ſe quippe in mirabilibus ambularet, ſi apparere magnus vltra quam poterat, quæreret: ſuper ſe namque in mirabilibus attollitur, qui & in his ad quæ non ſufficit, videri idoneus conatur. Bene intra has menſuras etiam in ipſa Paulus prædicationis ſuæ ſe latitudine coarctabat, cùm diceret, non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus.

COMMVNIS SANCTIS DOCTORIBVS.

Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum; qui autem fecerit & docuerit, hic Magnus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5.

VERITAS PRACTICA.

Sic cauendum ne Scientia præferatur Virtuti, vt tamen Scientia non negligatur.

RATIO EST, Quia idcirco ſcientia non eſt præferenda Vir-

tuti, ne Virtus detrimentum, ex hac præferentia patiatur. Sed ex neglecta ſcientia, Virtus etiam detrimentum pateretur. Ergo dum cauetur ne Scientia præferatur Virtuti, cauendum eſt ne negligatur.

I. PVNCTVM.

QVAM parua & pœnè nulla ſit coram Deo ſcientia ſine virtute; quàm magna virtus etiam ſine ſcientia; quantus vero & quàm magnus, qui ſcientiam cum virtute coniunctam habet; ſatis ampla demonſtrat Meditatio quæ eſt Communis ſanctis Doctoribus; Inde vero quæ ad Veritatem nobis propoſitam illuſtrandam faciunt, pauca hæc eruemus. Ac primò vt apertiùs videas, quod prima propoſitione præmittitur, quale detrimentum Virtus patiatur, ſi ei Scientia præferatur, aduerte quid ſit ſcientiam præferre Virtuti, nempe intellectu & iudicio ſaltem practico, pluris facere doctrinam atque doctos viros, itemque talenta docendi, concionandi, quàm humilitatem, ſimplicitatem, Religioſitatem & alias Virtutes quæ non ita parent. Deinde voluntatem plus affici erga ſtudium literarum, quàm Virtutis & propriæ perfectionis. Ac denique actu & opere tantum laboris & ſolicitudinis impendere in ſtudia, vt feruore ſtudiorum intepeſcat amor virtutum: Orationes, examina, & alia deuotionis exercitia negligentiùs fiant; paſſiones ſeu affectiones animi inordinatæ reuiuiſcant; ſuperbia, vanitas, æmulatio non bona, ambitio & alia vitia foueantur.

Ex quibus liquide patet quale quantumque detrimentum Virtutes vniuerſæ patiantur, atque imprimis Humilitas, Deuotio, Religioſitas, Pura intentio, Caritas, Fidelitas & vno verbo, Cura ſalutis ac perfectionis propriæ. *Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit; ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit.* Oſee 7. Quæ Prophetæ verba paulo diutiùs expendenda eſſent ad concipiendum detrimentum illud quod Virtutes patiuntur. Duo nempe ſimul iunguntur, ex quibus tertium ſequitur, quod eſt præcipuè expaueſcendum. Primum quod ait robur internum & ſpirituale comedi & conſumi. Secundum quod dicit hoc ipſum neſciri & ignorari: Ac tertium denique, quod inde ſequi-

tur nullum afferri remedium, & ſic in peius quotidie ruere, & prolabi in eum ſtatum, de quo dicitur: *Vtinam frigidus eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo; quia dicis, diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: Et neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper & cæcus & nudus; Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, vt locuples fias, & Collyrio inunge oculos tuos, vt videas:* Hoc item valde notandum, quia cùm præcipuè iudicio erretur in præferenda Virtuti ſcientia, vt corrigatur hoc prauum iudicium, ſanandi ſunt mentis oculi, inſpiciendus Chriſtus Dominus, inquirendum eius iudicium, quanta fiat ei iniuria qui aliter iudicauit; quanta eius Sanguini & Gratiæ, quæ non pro ſcientia, ſed pro virtute ſunt effuſa, quanta denique Cœlo, quod non ſcientiæ ſed virtuti promittitur. *Erudire Ieruſalem, ne fortè recedat à te anima mea, ne fortè ponam te deſertam, terram inhabitabilem.*

Apoc. 3.

Ier. 6.

II. PVNCTVM.

SED *ex neglecta ſcientia, Virtus etiam detrimentum pateretur.* Percurre quatuor Cardinales, ad quas cæteræ omnes Morales referuntur, & vide vt ſingulæ offendantur ex contemptu ſcientiæ neceſſariæ comparandæ, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia. Quis non videat ignorantiam, otium ruſticitatem, & alios ſcientiæ defectus cum his pugnare virtutibus? Primò quidem Prudentiam, quid magis nutrit quàm ſcientia? quid magis deſtruit quàm ignorantia? quis credet ignoranti? quis ſe illi aperiat & confidat?

Quid deinde à Iuſtitia magis alienum, quàm neſcire artem quam profiteris? Quid illo iniquius, qui conſultus de re aliqua ad fidem vel conſcientiam pertinente, malè reſpondebit, & alios in errorem trahet? *Nonne ſi cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadent?* Nonne peccaret in iuſtitiam Medicus, qui ex neglecta ſcientia malè corpus curaret? & nonne id Sacerdoti à Domino exprobratur tamquam iniquum & criminoſum; *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te à me, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Et Sapiens: *Qui euitat diſcere, ſentiet mala.*

Matth 15.

Oſee 4.

Prou. 17.

Fortitudinis etiam manifeſtus eſt defectus, qui laborem fugit ſtudiorum, & inertiæ atque otio ſe abdicat: vnde eſt illa

Digitized by Google

multa malitia quam docet otioſitas, vt ait Eccleſiaſticus. Eccleſi. 33.

Denique Temperantiæ quanta inde iactura, cùm modus & medium in quo illa tota conſiſtit, ignoratur? aut ſi ignorans ſibi nimis fidit, quanta præſumptio, quanta vanitas, quanti inde lapſus! errores, illuſiones & hæreſes, cum aperte dicatur: *propterea captiuus populus meus ductus eſt, quia non habuit ſcientiam.* Iſ. 5. *Et*, QVÆCVMQVE *quidem ignorant, blaſphemant.* Iudæ. Quod ſi plebeio & Laïco damnoſa eſt ignorantia, quanto magis Sacerdoti vel religioſo? *Ponet in Rationali iudicij*, ait Exodi 28. Dominus, *Doctrinam & Veritatem.* Et rurſus. *Præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras, vt habeatis ſcientiam diſcernendi* Leuit. 10. *inter ſacrum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea.* SI QVIS *ignorat ignorabitur*, ait 1. Cor. 14. Apoſtolus. Vnde & ſuo Timotheo: *Mali homines & ſeductores* 2. Tim. 3. *proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Tu verò permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris*; *Et quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia; vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Væ nobis ſi timidos & ignaros habuiſſemus Patres; & væ illi animæ audaci, quæ ſe ſine ſcientia neceſſaria, & ſine ſtudio ſcripturarum ſibi & aliis ſatis ſcire præſumit. *Vſquequò imprudentes odibunt ſcientiam?* Prou. 1.

LII. PVNCTVM.

SIC *igitur cauendum eſt ne ſcientia Virtuti præferatur, vt tamen ſcientia non negligatur*; Cùm non minùs detrimenti virtus poſſit accipere ex neglecta ſcientia, quàm ex nimio literarum ſtudio: Sic itaque ſimul vtrumque coniungendum eſt, vt alteri non obſit alterum, imò proſit, & ſeſe mutuo iuuent & foueant. Ex virtute ſcientia comparetur, & per ſcientiam virtus conſeruetur. Robur accedat vtrique ex vtraque, dum per virtutem ſcientia conquiritur & exercetur, ac per ſcientiam virtus operatur & præualet. Aptiſſimè Iſidorus: *Tam vitâ, quàm doctrinâ clarere deberet Eccleſiaſticus Doctor, nam Doctrina ſine vita arrogantem reddit, vita ſine doctrina inutilem facit. Vbi tamen eſ-* De ſummo bono c. 36.

Digitized by Google

ſit contentio inter vtramque, tùm planè cedat ſcientia, neque tempus aut locum virtutis vſurpet. Nam,vt ait S. Bonauentura, *ſcientia pro virtute relicta poſtmodùm melius per virtutem reperitur.*

1. Tim. 4. *ATTENDE tibi & doctrina*, ait Apoſtolus, *inſta in illis, hoc enim faciens & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.*

Ep. 81. Hinc S. Auguſtinus, *Sicut*, inquit, *per ignem & aquam tenenda eſt via, vt nec exuratur homo, nec demergatur; ſic inter apicem ſuperbia & voraginem deſidia, iter noſtrum temperare debemus, ſicut ſcriptum eſt, non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.*

Vide 3. par. diſc. 40. pag. 1168. de ordine.

Præclarè verò ſanctus Bernardus de modo ſciendi & fine, vnde penè tota eſt ſcientiæ cum virtute coniunctio: *Vt ſcias*, inquit, *quo ordine, quo ſtudio, quo fine, quaque noſſe oporteat. Quo ordine, vt id priùs, quod maturiùs ad ſalutem; Quo ſtudio, vt id ardentiùs, quod vehementius ad amorem; Quo fine, vt non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantùm ad adificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui ſcire volunt eo fine tantùm vt ſciant, & turpis curioſitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt; & ſunt qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant pro pecunia, pro honoribus: & turpis quaſtus eſt.* Serm. 36. in Cant. *Sed ſunt qui ſcire volunt vt adificent, & charitas eſt. Et item qui ſcire volunt vt adificentur, & prudentia eſt. Horum omnium ſoli vltimi duo, non inueniuntur in abuſione ſcientia, quippe qui ad hoc volunt intelligere vt benefaciant.*

SI ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentia: Pr. 2. *tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies, quia Dominus dat ſapientiam; & ex ore eius prudentia & ſcientia.*

COMMVNIS SANCTIS
CONFESSORIBVS NON PONTIFICIBVS.

Sint lucerna ardentes in manibus veſtris. Luc. 12.

VERITAS

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Quantum cuique eſt Vigilantiæ, tantum Virtutis & meriti.

RATIO EST, Quia ordinariè loquendo, tantùm cuique eſt virtutis & meriti, quantùm ſibi vim facit.
Sed quantùm cuique eſt Vigilantiæ, tantùm ſibi vim facit.
Ergo & tantùm eſt illi Virtutis & meriti. Quæ ſanè conſideratio multum valere debet ad commendationem vigilantiæ.

I. PVNCTVM.

QVOD lucernæ illæ ardentes, quæ à Domino commendantur, Vigilantiam ſignificent; quanta ſit in ſe illa Virtus, & quanta fuerit in ſanctis Confeſſoribus, quantúmque inde eluxerint, & progrediendo per tres perfectionis vias ad ſupremum eius gradum peruenerint, vide ſi vacat in meditatione ad id declarandum inſtituta. Veritas verò Practica quæ inde deducitur, & quam hîc ſolum ſpectamus, tanti eſt momenti & ponderis, quanti res ipſa quam continet, nempe Virtus in actu, vel in habitu, de vtroque enim intelligi poteſt: *Tantum ſcilicet eſſe vnicuique virtutis & meriti, quantùm erit vigilantiæ, ſeu animi vigilantis ad virtutis exercitium.*

Ratio verò quæ affertur, aperta eſt & ſæpe alibi agitata, quòd tantum cuique eſt virtutis & meriti, quantùm ſibi vim facit, vt appetitum, ſeu partem hominis inferiorem ſubjiciat rationi, & rationem Deo. In hac enim ſubiectione & ſubordinatione partium hominis, totius humanæ vitæ conſiſtit ordo, cui conſtituendo deſeruit tota virtutum connexio. Certè Virtus à Clemente Alexandrino non aliter definitur, *quàm concinna & congrua animi affectio, quæ per totam vitam rationi ſubjicitur.* L. 9. Pæd. c. 13.

Ipſæ quatuor præcipuæ & Cardinales Virtutes, ad quas cæteræ Morales referuntur, non aliâ magis de cauſâ dicuntur eſſe neceſſariæ, quàm vt iſtam ſubiectionem faciant vel conſeruent. Vnde non tantùm ſic dictæ putantur Cardinales, quòd ſint

Xxx

præcipuæ; ſed quòd iis veluti Cardinibus, anima ſuis in quatuor potentiis aperiatur Bono, quod eſt conforme & conueniens rationi, & claudatur Malo, quod eſt diſconueniens. Sícque ad vnamquamque potentiam continendam & perficiendam ſunt inſtitutæ, vt Prudentia reſideat in intellectu, Iuſtitia cum duabus aliis in voluntate: ſed Fortitudo iraſcibili continendo deſeruit, ſicut Temperantia Concupiſcibili. *Nihil autem perfectionis vſquam acquiſita, quod in iſtis virtutibus non ſit*, ait S. Proſper, & alibi fusè monſtratum ex SS. Patribus, atque ex ipſa re, totam perfectionem referri ad illam partium ſeu potentiarum animæ ſubiectionem, quæ ſicut fieri non poteſt ſine virtutum exercitio, ita nec virtutes exerceri ſine illa ſubiectione, & ſine quadam vi illata homini ad illam efficiendam.

De Cont. vitæ c. 18.

Vide ſupra Fer. 5. Dom. 4. & 3. die Ian.

Qualis enim virtutis actus eſſet, ſi non ſubjiceret appetitum rationi? An poſſet ille actus eſſe ordinatus, dum animus inordinatus eſſet? At nonne tum inordinatus eſt animus, cùm appetitus non ſubeſt rationi? Vbi ergo in illa inordinatione virtus? Planè oporteret virtutem animi tam eſſe inordinatam, aut prorſus inutilem, ſi non ſubjiceret appetitum rationi, quàm verum eſt tum inordinatum eſſe animum, quando non ſubeſt rationi appetitus. Sed virtutem eſſe inordinatam aut inutilem, nec ipſæ aures ferre poſſunt. Manet ergo virtutis exercitium conſiſtere in illa ſubiectione facienda, & tantum eſſe cuique virtutis & meriti, quantum ſibi vim facit ad illam ſubiectionem aggrediendam & continendam. *Sic regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* O quale motiuum violentiæ ſibi inferendæ.

Matth. 11.

II. PVNCTVM.

SED quantùm cuique eſt vigilantiæ, tantùm ſibi cum diuina gratia vim facit, & tantùm ſubjicit appetitum rationi, & rationem Deo.

Iſta enim ſubiectio tam rationabilis eſt, & ad eam efficiendam tot rationes nos mouent, vt ſi aduertat animus, nec vt ſolet, abripiatur à ſe ipſo, aut indormiſcat ratio, planè appetitum domet, ne ab illo dometur. Hoc eſt enim quod ſolum excuſamus in lapſibus noſtris quotidianis, non aduertebam, non cogitabam, quaſi diceretur, non eſſem lapſus ſi aduertiſſem. Hoc

Digitized by Google

eſt etiam quod in Scripturis propterea tantopere commendatur, vt nobis attendamus, nobis inuigilemus, & ad ſingula quæque animum applicemus; quaſi in hac vna vigilanti cura totum Rationis negotium eſſet poſitum, quaſi hoc eſſet Virum eſſe. *Confortare & eſto vir*, inquiebat Dauid moriturus filio ſuo Salomoni, *& obſerua cuſtodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius: vt intelligas vniuerſa quæ facis, & quocumque te verteris.* 3. Reg. 2.

Sic ipſe Salomon ſua ſcripturus Prouerbia, hunc ſibi finem proponit; *Vt detur*, inquit, *paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia & intellectus*, ad ſingulas ſcilicet dirigendas actiones ex rectæ rationis & legis æternæ regula. Quod identidem repetens his & ſimilibus ſententiis; *Sapientia*, inquit, *callidi eſt intelligere ſuam.* Prou. 1. Ibid. 14.

Quid quòd ipſe Dominus, ipſa incarnata Sapientia, nihil in ſuis præceptis repetit frequentiùs, nihil inculcat vehementiùs quà verbis, quà parabolis, quà exemplis, quàm hoc vnum: *Vigilate, videte, vigilate; quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Et quod magis mireris, cùm ipſe in horto, ſeu monte Oliuarum adeſſet præſens ſuis illis tribus diſcipulis, quos ſocios ſuæ triſtitiæ ſibi aſciuerat; *Vigilate*, inquit, *& orate, vt non intretis in tentationem:* Quaſi apertè diceret, non ſatis illis eſſe, quod adeſſet præſens, niſi etiam vigilarent: ſi tamen vigilantiam adhiberent, nihil prorſus damni à tentatione futurum, adeo potens eſt vigilantia. Marci 13.

Certè ſanctus Ioannes Chryſoſtomus non dubitauit aſſerere minorem gratiam cum hominis vigilantia plus effecturam, quàm ſi maior adeſſet gratia non ita vigilanti. Quod luculentè confirmat exemplo Salomonis & Iobi, quorum ille cum tam multis, quas à Deo conſecutus eſt, gratiis miſerè periit, quia non ſibi ſatis attentè vigilauit; hic autem in media gentilitate conſtitutus, ſolo rationis lumine, non quidem ſine gratia, ſed longè impari, quantùm ſaltem ad externa auxilia, ſeſe contra vniuerſas dæmonis vires ſeruauit, quia ſcilicet ſibi ſemper præſens aderat, quia, vt ipſe, ait, *verebatur omnia opera ſua, ſciens quòd Deus non parceret delinquenti; Et ſemper quaſi tumetes ſuper ſe fluctus timeret Deum, & pondus eius ferre non poſſet*; Id eſt, dum cogitaret ſe habiturum Deum offenſum, ſi ſe impatientiæ daret; ſeſe continuit, ne Deum haberet offenſum: ſicque ſibi aduigilans Iob 9. & 31.

nullum aut exiguum inordinati animi ſignum dedit. O quanta vis vigilantiæ, cum diuina gratia! O quanta mentis incuria, quæ ſic ſibi non vigilat!

III. PVNCTVM.

QVANTVM *ergo cuique eſt vigilantiæ, tantùm eſt Virtutis & meriti*; Quia tantam ſibi quiſque vim facit ad ſubjiciendum Rationi appetitum, quantam ad id affert curam & ſolicitudinem, ex qua ſubiectione appetitus, tota eſt Virtus & omne meritum. *Vos autem curam omnem ſubinferentes*, inquit S. Petrus, *miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam*: Et quæ plura proſequitur de ſingulis virtutibus, quæ ab illa cura procedunt: Tùm verò pergens; *Cui enim*, inquit, *non præſto ſunt hæc, cæcus eſt & manu tentans.* Quaſi diceret: Totum eſt à vigilantia; Si cui virtus ita eſt comparata & acquiſita, vt præſto ſit ad omne opus, inde eſt quia ille oculatus & vigilans fuit ad crebros virtutis actus exercendos. Si cui verò non præſto eſt virtus, non aliunde eſt, quàm quod is veluti cæcus fuit, & minimè vigilans ad rationis ductum & Gratiæ.

2. Pet. 1.

Atque hinc myſtica illa repræſentantur animalia, plena oculis antè & retro, in circuitu & intus, id eſt, in ipſis oculis alij ſunt oculi, vt qui vigilant magis adhuc aduigilent, ſicut qui iuſti & ſancti ſunt, magis adhuc iuſtificentur: Vnde eſt illud Apoſtoli: *Euigilate iuſti, & nolite peccare*; Id eſt, tantum adhibete vigilantiæ, quantùm neceſſe eſt, ad omne prorſus peccatum euitandum; vel potius quantum nouæ in dies adhibueritis vigilantiæ, tanto minùs peccabitis; Et tantò maior fiet vobis acceſſio Iuſtitiæ ſeu virtutis & meriti.

Apoc. 4. Ibid. 22. 1. Cor. 15.

Nihil ne te iſta mouebunt ad maiorem vigilantiam? Nihilne te illud Chriſti Domini, *Eſto vigilans*; *NISI vigilaueris, veniam ad te, tamquam fur, & neſcies quâ horâ veniam ad te.* Nonne omni hora poteſt venire? Nonne ergo omni hora vigilandum, ne te non vigilantem reperiat? Nonne qui furem timet, eò cautiùs vigilat, quo certò ſcit in id furem maximè vigilare, vt incautum ipſum adoriatur & ſpoliet? *Illumina Domine oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum.*

Apoc. 3. Pſ. 12.

Digitized by Google

COMMVNIS OMNIBVS SANCTIS, ORDINIS RELIGIOSI FVNDATORIBVS.

Mortuus eſt Pater eius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. Eccleſ. 30.
Laudemus Viros glorioſos & Parentes noſtros in generatione ſua. Ibid. 44.

VERITAS PRACTICA.

Virtutum Patris noſtri Gratia, non ſermonibus exprimenda eſt, ſed operibus comprobanda.

VERBA ſunt S. Maximi de ſancto Euſebio Vercellenſi, quorum ſenſus non eſt, reticendam eſſe ſermone laudem illius Sancti, quem laudat, cùm ipſe ſibi pugnantia diceret: ſed potiùs quia illum maximè laudandum putat, ſic à ſuis laudari vellet, vt nihil de eius laudibus detraheretur: ſi verò tantùm ſermone laudaretur & non operibus, multum de eius laudibus detractum putat. *Vnde,* inquit, *non ſermone ſed operibus, comprobanda eſt virtutum eius gratia.* *Hom. 2 de S. Euſebio.*

ATQVE hinc Veritatis propoſitæ Ratio eſt, Quia ſic à ſuis præcipuè Fundator Religioſi Ordinis laudandus eſt, vt quod eſt præcipuum in eius laude, non decerpatur.

Sed ſi tantùm ſermonibus & non operibus laudaretur, quod præcipuum eſt de eius laude, decerperetur.

Ergo non ſermonibus tantùm, ſed operibus eſt laudandus.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

EX multis quæ de hoc argumento habentur in Meditatione Communi ſanctis Religioſi Ordinis Fundatoribus, pauca hæc ad Veritatis propoſitæ declarationem excerpſiſſe ſufficiat: Primum eſt, maximam ex fundatione ordinis colligi eorum gratiam, virtutem, & meritum. Secundum deinde eſt, præcipuam inde mereri gratitudinem & laudationem à ſuis. Tertium denique, ſic eſſe laudandos, vt quod eſt præcipuum in eorum commendationem & laudem, non reticeatur. Quis hæc non probet? Quis Religioſi Ordinis filius ſuum laudare Parentem nollet? Quis in eius laude quod præcipuum eſt & quod maximè facit ad Religioſi inſtituti & Sancti Inſtitutoris commendationem diſſimulari vellet? Nonne præuaricari diceretur ille, qui coram populo Panegyricum ſancti Patris aggreſſus, leuia quædam & vulgaria tantùm expromeret, ſuppreſſis aliis, quæ vel maximè celebranda erant & ponderanda?

Non eſt quidem in immenſum efferenda laudatio, vt adulationis aut amplificationis oratoriæ ſpeciem præ ſe ferat; ſed neque eſt ita conſtringenda, vt quod ad Dei gloriam & Auditorum ædificationem dici poteſt, taceatur. Vide Eccleſiaſticum, vt abundè laudat ſuos quoſque præſtantes viros. Lege Apoſto-
Heb. 11. lum ad Hebræos, vbi eoſdem antiquos Patres ſatis effusè commendat: Sic & conſequentes anni Sanctorum vitas & illuſtriora
Iac. 5. facta, piè & religiosè venerati ſunt. *Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt:* Percurre aliquid mente aut etiam ore, quod in honorem Sancti profundas, & de quo hodie familiarem ſermonem habeas.

II. PVNCTVM.

SED ſi tantùm ſermonibus exprimeretur eius laudatio, & non operibus comprobaretur; quod præcipuum eſt in eius laude, decerperetur.

Illud enim eſt præcipuum in aliquo commendando quod maximè id attingit, propter quod præcipuè commendatur. Certum eſt autem ſancti Ordinis Fundatorem à ſuis maximè hoc

Digitized by Google

nomine coli, quia eorum Pater eſt & Inſtitutor: vnde ſequitur quòd quidquid ſpectat ad hanc inſtitutionem, maximè ſpectat ad Inſtitutorem; Et quò Inſtitutum eſt nobilius aut ſanctius obſeruatum, certe & Inſtitutoris gloria nobilior, & laus illuſtrior. Nam licèt propriè vita filiorum vitam patris non attingat, & merita vtrorumque ita perſonis definiantur, vt vnuſquiſque quod geſſit ſiue bonum, ſiue malum, id ſecum portet: ſi tamen ſpectes communem hominum ſenſum, & humanam æſtimationem, eámque à ratione non abhorrentem; facile iudicabis, probatos filiorum mores in Patris gloriam redundare, aut eorum degenerem vitam in eiuſdem confuſionem & ignominiam quandam refluere. Vnde aperte Sapiens, *Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato*; Viuit enim Pater in filiis, & licèt mortuus, *quaſi non mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe*, In cuius ſcilicet ſimilitudine ita viuat, vt ſi ſancto Patri filius ſit ſimilis, ſanctus in filio Pater habeatur; aut ſi filius diſſimilis, certe ne quid filio ſimile dicatur de Patre: hoc ſaltem dicetur, non repræſentari nec commendari Patrem in filio, & proinde quod eſt præcipuum in eius laude, decerpetur. *Eccleſi. 22.* *Eccleſi. 30.*

Neque verò id tantùm ex vulgi aut hominum opinione, ſed ex ipſius ſancti Patris Fundatoris, atque adeo ex ipſius Dei ſenſu id certiſſimum, quòd ſi eorum mens & ſententia quæreretur, quâ re præcipuè commendari vellent in terris, Sanctos Religioſorum Ordinum Inſtitutores: reſponderent haud dubiè, illa potiſſimùm, quæ peteretur ab inſtituti obſeruantia & conſtanti Religioſorum diſciplina. Cùm enim in Creatione talis inſtituti nihil aliud ſpectàrint, quàm diuinam gloriam & animarum ſalutem ac perfectionem, quæ inde ſequebatur ad perpetuam poſteritatem: Quid aliud deſiderare modò poſſint, quàm quod ipſi primo intenderunt? Quâ re vna magis glorificari & gaudere poſſint, quàm ſi quod inſtituerunt, ſanctè obſeruetur? Aut quid tandem de ſua glorificatione, de ſuo accidentali gaudio, & de ſua commendatione magis detrahi & decerpi dicent, quàm ſi quod maximè cupiebant, detrahatur?

Gaudium meum & corona mea, dicebat ſuis Apoſtolus: *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ, niſi vos?* Quamdiu ſcilicet integritatem vitæ ſeruabant; vnde ſi deflexiſſent in prauitatem, certè illud gaudium & coronam gloriæ Apoſtolo *Phil. 4.* *1. Theſſ. 2.*

Digitized by Google

Phil. 3. detraxiſſent. Vnde & ipſe idem: *Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, &c.*

Ah quale probrum Patri à Filio, quando inimicum ſe eius rei facit, quam præcipuè dilexit Pater! Et quale probrum à Patre filio! Ne me voces Patrem tuum, quia te filium non noui: cùm te per Crucem & diſciplinam religioſam in Chriſto genuerim, quam tu excuſſiſti.

III. PVNCTVM.

ERGO *non ſermonibus tantùm, ſed longe magis operibus à Religioſo filio, ſanctus Pater eſt laudandus:* Cùm alioquin præcipuam eius laudem laudando decerperet; quod certè impium & non ferendum. Nam ſi ſanctus Chryſoſtomus ſermonem integrum de hoc argumento inſtituit, & more ſuo grauiter & Chriſtiane probârit, non eſſe laudandos Martyres, aut eſſe imitandos: quanto magis id verum eſſe oportet de ſancto Patre à filiis, aut non laudando, aut imitando. Nam, vt ante dixi, imò vt dicit Apoſtolus, alioquin præuaricari eſt; *Si quæ deſtruxi*, inquit, *iterũ hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo.* At tu qui laudando religioſiſſimum Patrem, deſtruis Sermone mundum & mundana, quæ conculcauit: nonne & ea rurſus ædificas, cùm re & opere te mundanum oſtendis? Nonne ergo & te præuaricatorem conſtituis? *Redite præuaricatores ad cor; VIDETE vocationem veſtram;* videte Patrem veſtrum: *Attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci de qua præciſi eſtis; Attendite ad Abraham Patrem veſtrum: & ad Saram quæ peperit vos, quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.*

(Serm. de Mart. Tom. 3. — Gal. 2. — Iſ. 46. — 1. Cor. 1. — Iſ. 51.)

QVOMODO obſcuratum eſt aurum! mutatus eſt color optimus! diſperſi ſunt lapides Sanctuarij, in capite omnium platearum! Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphyro pulchriores. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.

(Thren. 4.)

Hæc melius vnuſquiſque de ſe dicat aut cogitet, quàm de aliis.

COMMVNIS

Digitized by Google

COMMVNIS SANCTIS VIRGINIBVS.

Prudentes acceperunt oleum in vaſis ſuis, cum lampadibus. Matth. 25.

VERITAS PRACTICA.

Virgo ſponſa Chriſti aut eſt vigilans ad integram perfectionem, aut non eſt Prudens.

RATIO EST, *Quia in magnis cæptis*, & iam fœliciter pene ad ſummum perductis, *non eſt prudentis deficere ob exiguos qui ſuperſunt ſumptus.*

Sed ſi virgo ſponſa Chriſti non eſſet vigilans ad integram perfectionem, ita deficeret.

Ergo aut erit vigilans, aut non erit prudens.

I. PVNCTVM.

ADVERTE primò quòd quidquid dicitur de Virginibus, id tàm competit Viris, quàm Virginitas aut caſtitas his verè conuenit.

Secundò alias eſſe virgines mundi, alias eſſe virgines ſponſas Chriſti, vt fusè habetur in meditatione de hoc argumento. Summa eſt, virginem ſponſam Chriſti eam eſſe, quæ virgo eſt, vt ſponſa Chriſti ſit, & vt illi propius adhæreat, & ei ſoli placeat. *Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. Cor. 11.

Tertiò denique talis virgo, & ſponſa Chriſti non modo debet inuigilare ſuæ puritati corporali, ſed & ipſius animæ, *vt ſit ſancta corpore & ſpiritu*, 1. Cor. 7. *& mundans ſe ab omni inquinamento* 2. Cor. 7.

Digitized by Google

carnis & ſpiritus, perſiciat ſanctificationem in timore Dei, vt ait Apoſtolus.

Hæc eſt Veritas modò conſideranda, quæ duplici ex capite deduci & declarari poteſt; Primò quatenus virgo ſeu anima, ſponſa eſt Chriſti, perfectioni ſeu perfectiſſimæ integritati corporis & animæ vacare debet, quia hoc exigit ſacrum iſtud Connubium, vt ſponſa tota ſit ſponſi, ſicut ſponſus totus eſt ſponſæ; Et tanto firmiùs ſimul cohæreant, quanto magis ſimiles & conformes inter ſe erunt. Et hoc videtur Chriſtus Dominus innuiſſe cùm virgines illas repulit à ſacris nuptiis, quibus deerat in vaſis oleum. *Columba mea*, inquit Sponſus, *perfecta mea*: Nihil illi deſit oportet, quin vere dicat; *Dilectus meus mihi, & ego illi qui paſcitur inter lilia.*

Cant. 6. Ibid. 2.

Sed quia de hoc capite ac genere perfectionis ſupra dictum eſt; Secundum, vnde veritas propoſita deducitur, & quod eſt paulo attentius expendendum, hoc ſcilicet eſt, quod alioquin virgo, ſponſa Chriſti, non eſſet ex prudentibus, ſed ex fatuis virginibus, niſi ad integram perfectionem vigilaret. Non eſt enim prudentis ſed fatui deficere ab incæptis glorioſis propter exiguos aliquos ſumptus qui ſuperſunt, quique in manu ſunt, poſtquam in illis iam plurimas expenſas feceris, facilliméque ad exitum perduceres ſi quod eſt in manu, eſſet in opere; id eſt, ſi quod commodè poſſes, id velles exequi; Nam duplex ibi jactura eſt deploranda: Illa ſcilicet quâ inchoatum eſt opus; Et ea quâ imperfectum relinquitur. Eſt porrò ſapientis ſic ante initium operis præuidere finem, vt niſi videat poſſe perficere, non illud incipiat, aut ſi præuidit poſſe, réque ipsâ poſſit perficere quod incipit, non deſiſtat. Hoc Chriſtus Dominus duplici ſimilitudine grauiter æquè ac planè demonſtrat. *Quis enim*, inquit, *ex vobis volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum, ne poſteaquàm poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit conſummare? Aut quis Rex, &c.* Certè ſi ille ridendus vt imprudens & fatuus, qui non potuit conſummare quod cæpit: quanto magis ille, qui nolit, licèt poſſit.

Luc. 14.

II. PVNCTVM.

SED *ſi virgo ſponſa Chriſti non eſſet vigilans ad integram perfectionem, ita deficeret ab inceptis, ob exiguum aliquid quod ſupereſt poſt tam multas impenſas, quas iam vltrò & ſponte fecit.*

Expende primò, quale ſit opus, quàm arduum, quàm difficile, quàm glorioſum, vouere aut conſecrare Deo virginitatem, pudicitiam aut caſtitatem, ſicut Religioſi, vel Sacerdotes, aut alij ſeſe Deo dicant. Quàm multæ ſimul virtutes concurrunt ad illud cœleſte conſilium ſuſcipiendum! quanta è cœlo gratia! quanta ex animo virtus! quot luctæ, quot certamina, quot victoriæ dè mundo, dè carne, de dæmone! Martyrij genus eſt nobiliſſimum perpetua illa caſtitas, ſiue ob rei dignitatem, ſiue ob religioſam conſecrationem, ſiue ob difficultatem. *Aſſume,* inquit S. Hieronymus, *ſcutum fidei, loricam Iuſtitiæ, galeam ſalutis, procede ad prælium: habet & pudicitia ſeruata martyrium ſuum.* Et S. Auguſtinus. *Sicut Caſtitas, Veritas, & Iuſtitia Chriſtus eſt: ſic & ille qui eis inſidiatur, perſecutor Chriſti eſt: Ille vero qui caſtitatem in aliis & ſeipſo cuſtodire voluerit, Martyr erit. GENVS Martyrij eſt,* inquit S. Bernardus, *illo quo cæduntur membra, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.* *Ep. 8. de Virg.* *De Honeſt. mul. c. 13.* *Serm. 30. in Cant.*

Eò igitur cùm virgo iam venerit, cum ſublime hoc & Angelicum viuendi genus, omnibus abdicatis oblectamentis, ſuſceperit: nonne dicenda eſt expenſas iam feciſſe plurimas & præcipuas ad illius myſticæ turris ædificationem, ſeu ad perfectionis finem attingendum? Quod vero ſupereſt, quid tandem poteſt eſſe? Vanitas fortè aliqua expurganda, ſolicitudo forte intentior in pietatis exercitiis, linguæ moderatio, aut quid ſimile, cui ſi virgo paululum aduigilaret, facillimè rem totam conficeret, & perfecta eſſet. Deſinat verò vigilare, tum certe vana erit & ſuperba, indeuota, intemperans linguæ & oculorum, vno verbo imperfecta. At nonne hoc eſt deficere propter exiguum neſcio quid, poſt tot impenſas factas? Tanta paſſa erit ſine cauſa! *cur non recogitat dicens; Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Quid prodeſt ei, quod laborauit in ventum?* Quamdiu enim vana, aut indeuota erit, non attinget perfectionem, cui tamen attingendæ tantum contulerat, quanta eſt virginitas *Gal. 3.* *Eccl. 4. & 5.*

cæteræque eius comites & adminiſtræ virtutes.

III. PVNCTVM.

ERGO *certiſſime non eſt prudens, ſed fatua illa virgo, quæ in re tam exigua deficit, qualis eſt modica vigilantia*; cuius tamen defectu totum perit, quod prætendebat, aut certe non conſummatur & perficitur. Cùm enim perfectio prætendatur, illáque deſit ob defectum vigilantiæ neceſſariæ, certè non conſummatur opus; & eſt virgo deridenda vt fatua. Neque aliter quinque illæ Virgines ſic denominatæ ſunt à Sponſo, quàm quia, vt ait S. Ioannes Chryſoſtomus, *maiori certamine ſuperato, in faciliori totum perdiderunt*. Quid eſt enim pecunia illa, vel diligentia quæ ipſis oleo conquirendo erat neceſſaria, ſi comparetur cum virginitatis gloria? & tamen defectu illius pecuniæ, vel diligentiæ, Virginitatis effectum non obtinerunt. *Neſcio vos*, inquit Sponſus, licèt virgines eſſent, licèt haberent lampades, licèt expectâſſent ad ianuam, licet pulſarent fores, & miro ſponſi affectu tenerentur: quia tamen non vigilantes, non attentæ lampadibus ſuis quæ erant ſine oleo, neſciuntur, repelluntur, & irridentur.

Hom. 79. in Matth.

O quàm illud potens & efficax ad perpetuam ſui cuſtodiam & vigilantiam! Eſt enim naturale & ſupernaturale, quatenus id humanæ naturæ eſt, velle prudentem haberi, aut certe nolle fatuum reputari: & id gratiæ ac ſupra naturam, ſic velle à Deo commendari, aut nolle ab eo reprobari. Ergo in id Anima mea quantum tibi eſt naturæ & gratiæ, in id totum confer & collige, vt vigiles ad omnia, nihil per incuriam aut deſidiam negligas: non indormites, ne ſtatim poſtea dormias, ſicut iſtæ virgines fatuæ *dormitauerunt, & dormierunt*, id eſt, à leui culpâ, ſeu negligentiâ in grauiorem ceciderunt.

Denique ſicut in materia Caſtitatis, ſic vbique vigila, ſic certa, ſic vince pro integritate perfectionis, vt poſſis vniuerſim cum Sara Coniuge Tobiæ dicere: *Mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia*. Sic apte S. Cyprianus ad virgines; *Quarum*, inquit, *quò ſublimior gloria, maior & cura eſt. Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis &c. Neque inanis hæc cautio eſt, & vana formido, quæ ad ſalutis viam conſulit, quæ Dominica & vitalia præcepta*

Tob. 3. De diſciplina & habitu Virginũ.

Digitized by Google

cuſtodit, vt quæ ſe Chriſto dicauerint, & à carnali concupiſcentia recedentes tam carne quàm mente ſe Deo vouerint, conſumment opus ſuum magno præmio deſtinatum.

COMMVNIS SANCTIS
NON VIRGINIBVS.

Mulierem fortem quis inueniet? Prou. 31.

VERITAS PRACTICA.

Quâ ratione difficile eſt Mulierem fortem inuenire, eâdem facile eſt inuentam prædicare.

R*ATIO EST, Quia idcirco difficile eſt Mulierem fortem inuenire, quòd vt mulier fortis inueniatur, multa ſunt illi expugnanda quæ difficile eſt expugnare.*

Sed ſi ſemel ea expugnauerit, ſicque fortis inuenta fuerit, tum valde laudanda eſt Mulier, atque inde propterea facile eſt illam prædicare.

Ergo quâ ratione difficile eſt mulierem fortem inuenire, eâdem facile eſt inuentam prædicare, ſeu ſummis efferre laudibus: Vnde diſces quid ſit verè laudabile in muliere: quid ſit quod fortem & laudandam efficiat.

I. PVNCTVM.

QVÆ Sancta Mulier colitur, non dubium quin fuerit fortis, cum ad ſanctitatem nonniſi fortitudine perueniri poſſit. Quod autem tam fortis fuerit, vt ad eam ſanctitatem peruenerit quæ in ea colitur, inde potiſſimum laudanda

nullum aut exiguum inordinati animi ſignum dedit. O quanta vis vigilantiæ, cum diuina gratia! O quanta mentis incuria, quæ ſic ſibi non vigilat!

III. PVNCTVM.

Q*VANTVM ergo cuique eſt vigilantiæ, tantùm eſt Virtutis & meriti*; Quia tantam ſibi quiſque vim facit ad ſubjiciendum Rationi appetitum, quantam ad id affert curam & ſolicitudinem, ex qua ſubiectione appetitus, tota eſt Virtus & omne meritum. 2. Pet. 1. *Vos autem curam omnem ſubinferentes*, inquit S. Petrus, *miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam*: Et quæ plura proſequitur de ſingulis virtutibus, quæ ab illa cura procedunt: Tùm verò pergens; *Cui enim*, inquit, *non præſto ſunt hæc, cæcus eſt & manu tentans.* Quaſi diceret: Totum eſt à vigilantia; Si cui virtus ita eſt comparata & acquiſita, vt præſto ſit ad omne opus, inde eſt quia ille oculatus & vigilans fuit ad crebros virtutis actus exercendos. Si cui verò non præſto eſt virtus, non aliunde eſt, quàm quod is veluti cæcus fuit, & minimè vigilans ad rationis ductum & Gratiæ.

Apoc. 4. Atque hinc myſtica illa repræſentantur animalia, plena oculis antè & retro, in circuitu & intus, id eſt, in ipſis oculis alij ſunt Ibid. 22. oculi, vt qui vigilant magis adhuc aduigilent, ſicut qui iuſti & ſancti ſunt, magis adhuc iuſtificentur: Vnde eſt illud Apoſtoli: 1. Cor. 15. *Euigilate iuſti, & nolite peccare*; Id eſt, tantum adhibete vigilantiæ, quantùm neceſſe eſt, ad omne prorſus peccatum euitandum; vel potius quantum nouæ in dies adhibueritis vigilantiæ, tanto minùs peccabitis; Et tantò maior fiet vobis acceſſio Iuſtitiæ ſeu virtutis & meriti.

Nihil ne te iſta mouebunt ad maiorem vigilantiam? Nihilne Apoc. 3. te illud Chriſti Domini, *Eſto vigilans*; *NISI vigilaueris, veniam ad te, tamquam fur, & neſcies quâ horâ veniam ad te.* Nonne omni hora poteſt venire? Nonne ergo omni hora vigilandum, ne te non vigilantem reperiat? Nonne qui furem timet, eò cautiùs vigilat, quo certò ſcit in id furem maximè vigilare, vt incautum Pſ. 12. ipſum adoriatur & ſpoliet? *Illumina Domine oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, prævalui aduerſus eum.*

Digitized by Google

COMMVNIS OMNIBVS SANCTIS, ORDINIS RELIGIOSI FVNDATORIBVS.

Mortuus eſt Pater eius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. Eccleſ. 30.
Laudemus Viros glorioſos & Parentes noſtros in generatione ſua. Ibid. 44.

VERITAS PRACTICA.

Virtutum Patris noſtri Gratia, non ſermonibus exprimenda eſt, ſed operibus comprobanda.

VERBA ſunt S. Maximi de ſancto Euſebio Vercellenſi, quorum ſenſus non eſt, reticendam eſſe ſermone laudem illius Sancti, quem laudat, cùm ipſe ſibi pugnantia diceret: ſed potiùs quia illum maximè laudandum putat, ſic à ſuis laudari vellet, vt nihil de eius laudibus detraheretur: ſi verò tantùm ſermone laudaretur & non operibus, multum de eius laudibus detractum putat. *Vnde,* inquit, *non ſermone ſed operibus, comprobanda eſt virtutum eius gratia.* *Hom. 2 de S. Euſebio.*

ATQVE hinc Veritatis propoſitæ Ratio eſt, Quia ſic à ſuis præcipuè Fundator Religioſi Ordinis laudandus eſt, vt quod eſt præcipuum in eius laude, non decerpatur.

Sed ſi tantùm ſermonibus & non operibus laudaretur, quod præcipuum eſt de eius laude, decerperetur.

Ergo non ſermonibus tantùm, ſed operibus eſt laudandus.

Digitized by Google

I. PVNCTVM.

EX multis quæ de hoc argumento habentur in Meditatione Communi ſanctis Religioſi Ordinis Fundatoribus, pauca hæc ad Veritatis propoſitæ declarationem excerpſiſſe ſufficiat: Primum eſt, maximam ex fundatione ordinis colligi eorum gratiam, virtutem, & meritum. Secundum deinde eſt, præcipuam inde mereri gratitudinem & laudationem à ſuis. Tertium denique, ſic eſſe laudandos, vt quod eſt præcipuum in eorum commendationem & laudem, non reticeatur. Quis hæc non probet? Quis Religioſi Ordinis filius ſuum laudare Parentem nollet? Quis in eius laude quod præcipuum eſt & quod maximè facit ad Religioſi inſtituti & Sancti Inſtitutoris commendationem diſſimulari vellet? Nonne præuaricari diceretur ille, qui coram populo Panegyricum ſancti Patris aggreſſus, leuia quædam & vulgaria tantùm exprometet, ſuppreſſis aliis, quæ vel maximè celebranda erant & ponderanda?

Non eſt quidem in immenſum efferenda laudatio, vt adulationis aut amplificationis oratoriæ ſpeciem præ ſe ferat; ſed neque eſt ita conſtringenda, vt quod ad Dei gloriam & Auditorum ædificationem dici poteſt, taceatur. Vide Eccleſiaſticum, vt abundè laudat ſuos quoſque præſtantes viros. Lege Apoſto-
Heb. 11. lum ad Hebræos, vbi eoſdem antiquos Patres ſatis effuſè commendat: Sic & conſequentes anni Sanctorum vitas & illuſtriora
Iac. 5. facta, piè & religioſè venerati ſunt. *Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt:* Percurre aliquid mente aut etiam ore, quod in honorem Sancti profundas, & de quo hodie familiarem ſermonem habeas.

II. PVNCTVM.

SED ſi tantùm ſermonibus exprimeretur eius laudatio, & non operibus comprobaretur; quod præcipuum eſt in eius laude, decerperetur.

Illud enim eſt præcipuum in aliquo commendando quod maximè id attingit, propter quod præcipuè commendatur. Certum eſt autem ſancti Ordinis Fundatorem à ſuis maximè hoc

Digitized by Google

nomine coli, quia eorum Pater eſt & Inſtitutor: vnde ſequitur quòd quidquid ſpectat ad hanc inſtitutionem, maximè ſpectat ad Inſtitutorem; Et quò Inſtitutum eſt nobilius aut ſanctius obſeruatum, certe & Inſtitutoris gloria nobilior, & laus illuſtrior. Nam licèt propriè vita filiorum vitam patris non attingat, & merita vtrorumque ita perſonis definiantur, vt vnuſquiſque quod geſſit ſiue bonum, ſiue malum, id ſecum portet: ſi tamen ſpectes communem hominum ſenſum, & humanam æſtimationem, eámque à ratione non abhorrentem; facile iudicabis, probatos filiorum mores in Patris gloriam redundare, aut eorum degenerem vitam in eiuſdem confuſionem & ignominiam quandam refluere. Vnde aperte Sapiens, *Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato*; Viuit enim Pater in filiis, & licèt mortuus, *quaſi non mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe*, In cuius ſcilicet ſimilitudine ita viuat, vt ſi ſancto Patri filius ſit ſimilis, ſanctus in filio Pater habeatur; aut ſi filius diſſimilis, certe ne quid filio ſimile dicatur de Patre: hoc ſaltem dicetur, non repræſentari nec commendari Patrem in filio, & proinde quod eſt præcipuum in eius laude, decerpetur.

Eccleſi. 22.

Eccleſi. 30.

Neque verò id tantùm ex vulgi aut hominum opinione, ſed ex ipſius ſancti Patris Fundatoris, atque adeo ex ipſius Dei ſenſu id certiſſimum, quòd ſi eorum mens & ſententia quæreretur, quâ re præcipuè commendari vellent in terris, Sanctos Religioſorum Ordinum Inſtitutores: reſponderent haud dubiè, illa potiſſimùm, quæ peteretur ab inſtituti obſeruantia & conſtanti Religioſorum diſciplina. Cùm enim in Creatione talis inſtituti nihil aliud ſpectârint, quàm diuinam gloriam & animarum ſalutem ac perfectionem, quæ inde ſequebatur ad perpetuam poſteritatem: Quid aliud deſiderare modò poſſint, quàm quod ipſi primo intenderunt? Quâ re vna magis glorificari & gaudere poſſint, quàm ſi quod inſtituerunt, ſanctè obſeruetur? Aut quid tandem de ſua glorificatione, de ſuo accidentali gaudio, & de ſua commendatione magis detrahi & decerpi dicent, quàm ſi quod maximè cupiebant, detrahatur?

Gaudium meum & corona mea, dicebat ſuis Apoſtolus: *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ, niſi vos?* Quamdiu ſcilicet integritatem vitæ ſeruabant; vnde ſi deflexiſſent in prauitatem, certè illud gaudium & coronam gloriæ Apoſtolo

Phil. 4.
1. Theſſ. 2.

Digitized by Google

Phil. 3. detraxiſſent. Vnde & ipſe idem: *Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, &c.*

Ah quale probrum Patri à Filio, quando inimicum ſe eius rei facit, quam præcipuè dilexit Pater! Et quale probrum à Patre filio! Ne me voces Patrem tuum, quia te filium non noui: cùm te per Crucem & diſciplinam religioſam in Chriſto genuerim, quam tu excuſſiſti.

III. PVNCTVM.

ERGO *non ſermonibus tantùm, ſed longe magis operibus à Religioſo filio, ſanctus Pater eſt laudandus:* Cùm alioquin præcipuam eius laudem laudando decerperet; quod certè impium & non ferendum. Nam ſi ſanctus Chryſoſtomus ſermonem integrum de hoc argumento inſtituit, & more ſuo grauiter & Chriſtiane probârit, non eſſe laudandos Martyres, aut eſſe imitandos: quanto magis id verum eſſe oportet de ſancto Patre à filiis, aut non laudando, aut imitando. Nam, vt ante dixi, imò vt dicit Apoſtolus, alioquin præuaricari eſt; *Si quæ deſtruxi,* inquit, *iterũ hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo.* At tu qui laudando religioſiſſimum Patrem, deſtruis Sermone mundum & mundana, quæ conculcauit: nonne & ea rurſus ædificas, cùm re & opere te mundanum oſtendis? Nonne ergo & te præuaricatorem conſtituis? *Redite præuaricatores ad cor; VIDETE vocationem veſtram;* videte Patrem veſtrum: *Attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci de qua præciſi eſtis; Attendite ad Abraham Patrem veſtrum: & ad Saram quæ peperit vos, quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.*

(Serm. de Mart. Tom. 3. — Gal. 2. — Iſ. 46. — 1. Cor. 1. — Iſ. 51.)

QVOMODO obſcuratum eſt aurum! mutatus eſt color optimus! diſperſi ſunt lapides Sanctuarij, in capite omnium platearum! Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphyro pulchriores. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.

(Thren. 4.)

Hæc melius vnuſquiſque de ſe dicat aut cogitet, quàm de aliis.

COMMVNIS

COMMVNIS SANCTIS VIRGINIBVS.

Prudentes acceperunt oleum in vaſis ſuis, cum lampadibus. Matth. 25.

VERITAS PRACTICA.

Virgo ſponſa Chriſti aut eſt vigilans ad integram perfectionem, aut non eſt Prudens.

RATIO EST, *Quia in magnis cœptis*, & iam fœliciter pene ad ſummum perductis, *non eſt prudentis deficere ob exiguos qui ſuperſunt ſumptus.*

Sed ſi virgo ſponſa Chriſti non eſſet vigilans ad integram perfectionem, ita deficeret.

Ergo aut erit vigilans, aut non erit prudens.

I. PVNCTVM.

ADVERTE primò quòd quidquid dicitur de Virginibus, id tàm competit Viris, quàm Virginitas aut caſtitas his verè conuenit.

Secundò alias eſſe virgines mundi, alias eſſe virgines ſponſas Chriſti, vt fusè habetur in meditatione de hoc argumento. Summa eſt, virginem ſponſam Chriſti eam eſſe, quæ virgo eſt, vt ſponſa Chriſti ſit, & vt illi propius adhæreat, & ei ſoli placeat. *Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. Cor. 11.

Tertiò denique talis virgo, & ſponſa Chriſti non modo debet inuigilare ſuæ puritati corporali, ſed & ipſius animæ, *vt* 1. Cor. 7. *ſit ſancta corpore & ſpiritu, & mundans ſe ab omni inquinamento* 2. Cor. 7.

carnis & ſpiritus, perficiat ſanctificationem in timore Dei, vt ait Apoſtolus.

Hæc eſt Veritas modò conſideranda, quæ duplici ex capite deduci & declarari poteſt; Primò quatenus virgo ſeu anima, ſponſa eſt Chriſti, perfectioni ſeu perfectiſſimæ integritati corporis & animæ vacare debet, quia hoc exigit ſacrum iſtud Connubium, vt ſponſa tota ſit ſponſi, ſicut ſponſus totus eſt ſponſæ; Et tanto firmiùs ſimul cohæreant, quanto magis ſimiles & conformes inter ſe erunt. Et hoc videtur Chriſtus Dominus innuiſſe cùm virgines illas repulit à ſacris nuptiis, quibus deerat in vaſis oleum. *Columba mea*, inquit Sponſus, *perfecta mea*: Nihil illi deſit oportet, quin vere dicat; *Dilectus meus mihi, & ego illi qui paſcitur inter lilia.*

Cant. 6. Ibid. 2.

Sed quia de hoc capite ac genere perfectionis ſupra dictum eſt; Secundum, vnde veritas propoſita deducitur, & quod eſt paulo attentius expendendum, hoc ſcilicet eſt, quod alioquin virgo, ſponſa Chriſti, non eſſet ex prudentibus, ſed ex fatuis virginibus, niſi ad integram perfectionem vigilaret. Non eſt enim prudentis ſed fatui deficere ab incæptis glorioſis propter exiguos aliquos ſumptus qui ſuperſunt, quique in manu ſunt, poſtquam in illis iam plurimas expenſas feceris, facillimèque ad exitum perduceres ſi quod eſt in manu, eſſet in opere; id eſt, ſi quod commodè poſſes, id velles exequi; Nam duplex ibi jactura eſt deploranda: Illa ſcilicet quâ inchoatum eſt opus; Et ea quâ imperfectum relinquitur. Eſt porrò ſapientis ſic ante initium operis præuidere finem, vt niſi videat poſſe perficere, non illud incipiat, aut ſi præuidit poſſe, réque ipsâ poſſit perficere quod incipit, non deſiſtat. Hoc Chriſtus Dominus duplici ſimilitudine grauiter æquè ac planè demonſtrat. *Quis enim*, inquit, *ex vobis volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum, ne poſteaquàm poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare? Aut quis Rex, &c.* Certè ſi ille ridendus vt imprudens & fatuus, qui non potuit conſummare quod cæpit: quanto magis ille, qui nolit, licèt poſſit.

Luc. 14.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED ſi virgo ſponſa Chriſti non eſſet vigilans ad integram perfectionem, ita deficeret ab inceptis, ob exiguum aliquid quod ſupereſt poſt tam multas impenſas, quas iam vltrò & ſponte fecit.

Expende primò, quale ſit opus, quàm arduum, quàm difficile, quàm glorioſum, vouere aut conſecrare Deo virginitatem, pudicitiam aut caſtitatem, ſicut Religioſi, vel Sacerdotes, aut alij ſeſe Deo dicant. Quàm multæ ſimul virtutes concurrunt ad illud cœleſte conſilium ſuſcipiendum! quanta è cœlo gratia! quanta ex animo virtus! quot luctæ, quot certamina, quot victoriæ dè mundo, dè carne, de dæmone! Martyrij genus eſt nobiliſſimum perpetua illa caſtitas, ſiue ob rei dignitatem, ſiue ob religioſam conſecrationem, ſiue ob difficultatem. *Aſſume,* inquit S. Hieronymus, *ſcutum fidei, loricam Iuſtitiæ; galeam ſalutis, procede ad prælium: habet & pudicitia ſeruata martyrium ſuum.* Et S. Auguſtinus. *Sicut Caſtitas, Veritas, & Iuſtitia Chriſtus eſt: ſic & ille qui eis inſidiatur, perſecutor Chriſti eſt: Ille vero qui caſtitatem in aliis & ſeipſo cuſtodire voluerit, Martyr erit. GENVS Martyrij eſt,* inquit S. Bernardus, *illo quo cæduntur membra, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.* Ep. 8. de Virg. De Honeſt. mul. c. 13. Serm. 30. in Cant.

Eò igitur cùm virgo iam venerit, cum ſublime hoc & Angelicum viuendi genus, omnibus abdicatis oblectamentis, ſuſceperit: nonne dicenda eſt expenſas iam feciſſe plurimas & præcipuas ad illius myſticæ turris ædificationem, ſeu ad perfectionis finem attingendum? Quod vero ſupereſt, quid tandem poteſt eſſe? Vanitas fortè aliqua expurganda, ſolicitudo forte intentior in pietatis exercitiis, linguæ moderatio, aut quid ſimile, cui ſi virgo paululum aduigilaret, faciliimè rem totam conficeret, & perfecta eſſet. Deſinat verò vigilare, tum certe vana erit & ſuperba, indeuota, intemperans linguæ & oculorum, vno verbo imperfecta. At nonne hoc eſt deficere propter exiguum neſcio quid, poſt tot impenſas factas? Tanta paſſa erit ſine cauſa! *cur non recogitat dicens; Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Quid prodeſt ei, quod laborauit in ventum?* Quamdiu enim vana, aut indeuota erit, non attinget perfectionem, cui tamen attingendæ tantum contulerat, quanta eſt virginitas Gal. 3. Eccl. 4. & 5.

cuſtodit, vt quæ ſe Chriſto dicauerint, & à carnali concupiſcentia recedentes tam carne quàm mente ſe Deo vouerint, conſumment opus ſuum magno præmio deſtinatum.

COMMVNIS SANCTIS
NON VIRGINIBVS.

Mulierem fortem quis inueniet? Prou. 31.

VERITAS PRACTICA.

Quâ ratione difficile eſt Mulierem fortem inuenire, eâdem facile eſt inuentam prædicare.

RATIO EST, *Quia idcirco difficile eſt Mulierem fortem inuenire, quòd vt mulier fortis inueniatur, multa ſunt illi expugnanda quæ difficile eſt expugnare.*

Sed ſi ſemel ea expugnauerit, sicque fortis inuenta fuerit, tum valde laudanda eſt Mulier, atque inde propterea facile eſt illam prædicare.

Ergo quâ ratione difficile eſt mulierem fortem inuenire, eâdem facile eſt inuentam prædicare, ſeu ſummis efferre laudibus: Vnde diſces quid ſit verè laudabile in muliere: quid ſit quod fortem & laudandam efficiat.

I. PVNCTVM.

QVÆ Sancta Mulier colitur, non dubium quin fuerit fortis, cum ad ſanctitatem nonniſi fortitudine perueniri poſſit. Quod autem tam fortis fuerit, vt ad eam ſanctitatem peruenerit quæ in ea colitur, inde potiſſimum laudanda

eſt & prædicanda : Sicut enim tam rarum eſt mulierem fortem inuenire, vt ſapiens quærat, quis eam aliquando inueniet ; ita, ſi quæ fortis inuenta fuerit, inde profectò eſt tanto magis laudabilis, quanto eſt rarior. Atque ipsâ illâ ratione, quâ difficile eſt fortem inuenire, eâdem facile fiet, vt inuenta laudetur & prædicetur ; ſeu quod idem eſt, vt quam ſit laudabilis, demonſtretur. Quæ quidem Veritas modò expendenda ſic vniuerſim declaratur, vt particulatim ſanctæ Mulieri de qua celebritas ſiue ſermo inſtituitur, accommodari poſſit, & vnicuique fructum inde colligenti qui poteſt elici.

Age ergo quænam eſt ratio, cur ſit tam difficile mulierem fortem inuenire ? Hæc nempe eſt, quòd vt fortis inueniatur, multa ſint illi expugnanda, quæ difficile eſt & perrarum expugnare. Eſt enim omnis mulier, atque illa præſertim quæ viro nupſit, naturali propenſione tam variis affecta & addicta mundi rebus, vt humanum affectum inde extrahere, ſit quàm difficile. Niſi autem affectu ſuo ſit valde temperata, numquam fortis cenſebitur ; cùm in eo potiſſimùm ſita ſit fortitudo, vt affectionibus animi reſiſtatur, quibus qui cedit, non niſi mollis, infirmus, & imbellis habetur.

Quænam porro ſint illæ res, quibus nupta Mulier ſeu materfamilias communi ſexus inclinatione, ſeu particulari ſui ductu ingenij afficiatur ; tu ipſe vide quantæ ſint, quæ naturalem appetentiam vehementiùs excitent, & agnoſce illas omnes eſſe, quæ illius animum implicant ; diuitiæ abundantes, domus ampla, ſupellex varia, veſtes excultæ, ornatus omnis, viri ſumma authoritas, natorum gratia non vulgaris, & quicquid demum oculis placet, hoc totum mulier appetit ; & in hoc appetitu tota conquieſcit & tota viuit, niſi totis viribus ſibi reſiſtat, niſi ſecum pugnet, vt appetitum rationi & gratiæ ſubjiciat. Quod quàm ſit difficile, vel ex eo patet quòd ſibi ab aliis reſiſti vix vmquam patiatur mulier, quanto minùs à ſe, ſi poteſt ſibi indulgere quod cupit ? Quod ſi non poteſt, eò acriùs cupiditas excitatur, amor in dolorem tranſit, & dolori reſiſtere non eſt minor difficultas,
Eccli.25. quàm amori. Hinc aptè Sapiens, *Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo, & ſi non ambulauerit ad manum tuam, confundet te in conſpectu inimicorum :* Quia ſcilicet cupiditate ſolâ mouetur, qua etiam cæteros mouere vellet potiùs, quàm ab ea

Digitized by Google

dimoueri. O quàm ſapienter Apoſtoli toties iterant & commendant, *vt ſint mulieres ſubiectæ viris ſuis.* *Epheſ. 5. Coloſſ. 3. 1. Pet. 3.*

II. PVNCTVM.

SED *ſi ſemel difficultates illas expugnârit Mulier, ſicque fortis inuenta fuerit, tum valde laudanda eſt, atque inde propterea facile eſt illam prædicare.*

Certè ſi ſit inde valde laudanda, facile eſt etiam, inde illam prædicare, ſeu ſuis ornare laudibus. Quòd inde autem ſit valde laudanda, tam manifeſtum eſt, quàm Virtutem eſſe laudabilem, & quàm apertè patet ſeipſum vincere, virtutem eſſe præcipuam, totque eximios eſſe virtutum actus, quot variæ occurrent ſui vincendi occaſiones & difficulates. Atque hîc ſi à theſi ad hypotheſim ſeu ad particularem alicuius mentionem deſcendas, exponi poſſunt, quæ & quanta habuerit peruincenda, quâ fortitudine peruicerit, quibus inde virtutibus eluxerit, & quibus propterea laudum encomiis ſit euehenda. Neque enim duntaxat vitium quod à cupiditate proficiſcitur, hac fortitudine impeditur, ſed illâ cupiditate ſemel repreſsâ, omne genus boni in domeſticos & externos exercetur. Nam ſicut vbi malè mulier, nihil peius; ſic vbi bene, nihil melius. Vide Eccleſiaſtici caput viceſimum quintum, & viceſimum ſextum, in quorum altero, quantùm de muliere nequam, tantùm in altero de muliere ſancta fuſe differitur. Percurre etiam quæ de forti muliere Prouerbiorum trigeſimo primo capite referuntur, & quanta inde virtutum & laudum ſeges colligi poſſet, facile eſt intueri. *Eccleſi. 25. & 26.* *Prou. 31.*

O quantum nobis bonorum quotidie deperit noſtrâ negligentiâ! En mulier in re ſua domeſtica, in lana & lino, in omni denique manuum ſuarum opere, ſanctitatis cumulum ſibi collegit, nos ne toto anno id conſequemur, quod vno illa momento!

III. PVNCTVM.

QVA *ratione igitur difficile eſt mulierem fortem inuenire, eâdem facile eſt inuentam prædicare,* Cùm difficultas inueniendæ fortis proueniat à difficultate fortitudinis exercendæ

contra naturalem ſexus propenſionem in omnium rerum cupiditatem, quæ cupiditas quando etiam reprimitur, tum fortis apparet mulier, & tantis propterea digna eſt laudibus, quantæ res erant concupiſcibiles quæ fortiter vel omnino contemptæ ſunt, vel ad ſolum vitæ vſum ex virtutis præſcripto reſeruatæ.
In Officio Eccleſ. *Regnum mundi & omnem ornatum ſæculi contempſi propter amorem Domini mei Ieſu Chriſti.* Hoc eſt eſſe mulierem fortem; hoc eſt eſſe tam præclarum, quàm rarum; hoc denique eſt quod tam facile de inuenta prædicatur, quàm difficile eſt inuenire de qua prædicetur.

Hinc fortaſſis Iſraelitæ, cùm de acceptis donis inſigniores Deo gratias referre vellent, vel offenſum ſibi efficaciùs propitiare *Num 31.* Numen, nihil excogitarunt accommodatius, quàm vt Deo præſentarent, quod cupiditatem habendi ſolet vehementiùs, ſeu in viris, ſeu præcipuè in mulieribus excitare: nempe periſcelides & armillas, annulos & dextralia, ac murenulas, quæ cuncta Deo magnificè ab ipſis oblata commemorantur, non tam ex rei oblatæ pretio, quàm ex Offerentium animo, qui re admodum carâ & deſiderabili ſeſe viriliter denudabant.

Eximia eſt in hoc genere, Temperantia & Fortitudo Reginæ *Eſth. 14.* Eſther, quæ ſic de ſe, Domino. *Tu ſcis*, inquit, *neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei.* Si ſic Iudæa mulier, quid Chriſtiana? Numquid hæc Regina ſurget in iudicio contra mundanam animam, quæ à Chriſto edocta mundum contemnere, minùs contemnit quàm illa Chriſti prorſus ignara? Rectè admodum ſanctus Gregorius Nazianzenus: qui ex omnibus humanis & terrenis bonis hoc vnum verè bonum reperiebat, quod in his haberemus quæ propter Deum poſſemus deſerere, & nos ei ſimul cum bonis dare.

IN DEDI-

Digitized by Google

IN
DEDICATIONE
ECCLESIÆ.

Pauete ad ſanctuariũ meum, ego Dominus. Leuit. 26.

VERITAS PRACTICA.

In loco ſacro non pauere, pauendum eſt.

RATIO eſt, qui vbi ſe Deus magis præſentem & magis colendum præbet, ibi non pauére, pauendum eſt.

Sed in loco ſacro ſe Deus magis præſentem & magis colendum præbet.

Ergo ibi non pauére, pauendum eſt, & profectò cauendum.

I. PVNCTVM.

QVOD ait Sapiens, *Nemini ſpatium peccandi dediſſe Deum*, de locorum ac temporum ſpatio perinde poſſe intelligi, nemo ignorat, qui ſciat Deum non minus eſſe immenſum quàm æternum. Sicut enim æternitate ſua Deus omnium ſpatia temporum ſic comprehendit vt nullum ſit tempus quo non ſit Deus, & quo colendus non ſit; ita prorſus immenſitate ſua, locorum vaſtitatem omnium ſic complectitur, vt nullus ſit omnino locus, in quo non ſubſiſtat, & vbi non ſit timendus. *In ipſo enim viuimus & mouemur & ſumus.*

Eccl. 15.

Act. 17.

Verùm his non obſtantibus, ſicut certos quoſdam dies deſi-

Digitized by Google

gnauit, quibus inſigniùs coleretur; ita quædam ſibi loca ſacrat & dedicat, in quibus ſingulari cultu vult timeri. *Cuſtodite,* inquit, *Sabbata mea, & pauete ad ſanctuarium meum.* Videſne vt loci ſimul ac temporis venerationem iungat? Audiſne verò quo exprimat verbo loci cultum quem exigit? *Pauete*, inquit, ad illum quem mihi dico conſecroque locum. Quis crederet ita eſſe tremendum; niſi Deus ita ipſe imperaret? Quis autem dubitet ſic ipſo edicente? Et tamen quàm id paucis perſuaſum eſt? quàm multi è contra ſunt, qui non modo non pauent aut tremunt in locis ſacris ſed vix à profanis ea diſcernunt, neque minus audacter & liberè quidquid animo libuerit, & cogitant & effutiunt, quàm ſi ſacer & ſanctus non eſſet locus, aut quàm ſi nulla ſanctitatis eius eſſet habenda ratio.

Quamobrem illud in primis ad praxim, quando de locis ſacris agitur, intelligendum eſt, quo ſint à nobis cultu frequentandi. Sicut verò ille cultus non alio potuit expreſſius verbo deſignari quàm *pauoris*, ita quàm ſit debitus ille pauor vix aptius repræſentari queat, quàm ſi dicatur, *In loco ſacro non pauere; pauendum eſt.* Sic enim cum diuina gloria non modo res noſtra coniungitur, ſed in re noſtra damnum æquè proponitur ac emolumentum, id eſt, damnoſum æque demonſtratur, non pauére; ac pauére, fructuoſum: Quod genus perſuadendi plurimùm valet.

Sic vtrumque porrò demonſtratur. Vbi ſe Deus magis præſentem ac colendum præbet, ibi non pauére, pauendum eſt; Qua quidem in propoſitione tria videntur diſtinctè perpendenda. Primum, quid ſit quòd Deus ſe in vno magis loco præſentem ſtatuat quàm in alio, cum ſit æquè præſens in omnibus. Secundum, quid ſit & quamobrem Deo præſenti pauor ille concitandus? Ac denique Tertium, cur niſi tum paueas, ſit propterea magis pauendum.

De primo, non minor eſſe poſſet quæſtio, cur dicatur Deus eſſe in loco: quàm cur dicatur in vno potius quàm alio? nam ſi propriè loqui velis, Deus nullibi eſt quàm in ſeipſo; quapropter à ſanctis Patribus dicitur illocabilis, incomprehenſibilis, incircumſcriptus, & non eſſe in loco, ſed ipſum ſibi eſſe locum. Sic
L. 1. de fide c. 16. inter alios S. Ioannes Damaſcenus. Quid eſt igitur cur non tantum eſſe in loco, ſed vbique locorum & creditur, & ipſe per Pro-
Ier. 23. phetam teſtatur: *Numquid non cælum & terram ego impleo? dicit*

Digitized by Google

Dominus? Reſpondet, & acutè ſimul ac piè difficultatem ſoluti ſanctus Gregorius. *Ipſe manet intra omnia, ipſe extra omnia, ipſe ſupra omnia, ipſe infra omnia, & ſuperior eſt per potentiam, & inferior per ſuſtentationem, exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem; ſurſum regens, deorſum continens, extra circumdans, interius penetrans; nec alia parte, ſuperior; aliâ, inferior; aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior, ſed vnus idemque totus vbique præſidendo ſuſtinens, ſuſtinendo præſidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Vnde ſuperius præſidens, inde inferius ſuſtinens, & vnde exterius ambiens, inde interius replens; ſine inquietudine ſuperius regens, ſine labore inferius ſuſtinens, interius ſine extenuatione penetrans, exterius ſine extenſione circumdans. Eſt itaque inferior & ſuperior ſine loco, eſt amplior ſine latitudine, eſt ſubtilior ſine extenuatione.* Ac tandem paucis hæc omnia contrahens ſic concludit, *dum per molem corporis nuſquam eſt, per incircumſcriptam ſubſtantiam nuſquam deeſt.* *L. 2. Mor. c. 12.*

Quod & ſanctus Iſidorus inſigniter: *Immenſitas Diuinæ magnitudinis ita eſt vt intelligamus eum intra omnia, ſed non incluſum: extra omnia, ſed non excluſum: & ideo interiorem vt omnia contineat, ideo exteriorem vt incircumſcripta magnitudinis ſuæ Maieſtate omnia concludat.* *L. 1. de ſummo bono c. 2.*

Ex quibus Sanctorum Patrum dictis cùm pateat nihil repugnare quod nullibi ſimul & vbique Deus dicatur eſſe propter miros & diuerſos exiſtentis agentiſque Dei modos; ſic plane fit euidens, cur in vno prædicetur potius eſſe loco quàm alio; quia videlicet in vno potius ſe præſentem exhibet quàm in alio. Quid eſt ſe præſentem exhibet, niſi quòd maiora ſeu noua ſuæ præſentiæ ſimul & operationis ſigna ponit, aut alicuius monimenta beneficij, natiuæque bonitatis argumenta, quæ dum in vno ſignificantius præſtat loco quàm alio, non ſe aliis propterea ſubtrahit locis, nec minus vbique præſens eſt, ſed non eſt tamen ita præſens nec tam aperto præſens modo, quàm vbi ſe adeſſe & intereſſe nobis apertiùs manifeſtat. *Et ad eum veniemus,* inquit, *& manſionem apud eum faciemus. VENIVNT ſcilicet cùm ſe illic eſſe oſtendunt; veniunt ad nos, dum venimus ad eos: veniunt ſubueniendo, illuminando, implendo; venimus obediendo, intuendo, capiendo.* Sic S. Auguſtinus. Vnde in cœlo potius quàm in terris eſſe Deus præſens dicitur, quia ſe illic indeſinenter Beatis *Ioan. 14.*

omnibus videndum ac fruendum per omnem exhibet æternitatem, ac propterea cœlum in ſcripturis vocatur eius Domus, eius
Iſ. 66. tabernaculum & eius ſedes. *Cælum, inquit, ſedes mea. Deus autem*
Pſ. 113. *noſter in cœlo.*

Pari quoque ſenſu dum in terris vnum deſignat locum, vbi aliquid ſingularius operetur, & ſingularem operis ſui velit à nobis haberi rationem, nonne tum in illo etiam ſingulariter dicendus eſt eſſe loco? Nonne ſic Iacob apertè loquitur: *Verè Dominus*
Gen. 28. *eſt in loco iſto & ego neſciebam.* Nonne ſciebat vbique Deum eſſe? Cur ergo dicit ſe neſciuiſſe quod in iſto eſſet loco, niſi quia ſingulari quem ignorabat modo præſens illic aderat, quem vt cognouit, in has protinus erupit voces: *Verè Dominus eſt in loco iſto*; quaſi non illic ante, vel quaſi non eſſet alibi, quia reuera nec ante nec alibi, tali erat modo, quo tum eſſe agnoſcebatur; vnde & locum Iacob vocauit *Bethel*, id eſt, Domum Dei.

Sicut anima licet in toto ſit corpore, magis tamen in capite vel in oculis reſidere dicitur, quia maiores ibi & inſigniores ſenſuum præſtat effectus; ſic vbi ſe ſuaque Deus attributa vel Iuſtitiæ vel Bonitatis & Potentiæ notiora facit, ibi adeſſe potiſſimum
Ier. 7. denuntiatur, *Ego ego ſum, ego vidi, dicit Dominus.*

Si à mortali homine ſic videretur, quis non tremeret, quis in
Iob. 26. eius conſpectu non paueret? *cum columnæ cæli contremiſcant &*
Exodi 33. *paueant ad nutum eius.* Sed infirmiores ſunt oculi carnei. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet*, ait
Hebr. 11. ipſe Deus Moyſi, de quo Propheta ſic Apoſtolus; *Inuiſibilem tamquam videns ſuſtinuit*, quaſi diceret, ſatis Moſi fuit, & fidei noſtræ ſatis eſſe debet ad omnem cultum inuiſibili Deo tanquam viſibili perſoluendum, quod talem ille cultum à nobis exigat his ipſis ſignis, quibus ſenſibilem ſuam facit præſentiam. Atque hoc eſt ſecundum ex tribus propoſitum, quod explanemus, de affectu pauoris qui tunc loci & temporis ſingulariter Deo debetur. Certe non eſt in toto Terrarum orbe locus vbi Deus non ſit ſummè colendus, ſed tamen vt eſt Optimus ſicut & Maximus, remittit ipſe aliquid de illa ſumma veneratione cùm interna tùm externa, quam meretur & quam teneremur reddere, niſi indulgeret. At verò in illis locis vbi ſe magis præſentem indicat adeo non remittit de reuerentia ſibi exhibenda, vt illam imperet, niſi reddatur. *Solue*, inquit Moſi, *calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas*

Digitized by Google

terrra ſancta eſt. Et paulo poſt cum deſcenderet Dominus ſuper montem Sinai; *Conſtitues*, inquit, *terminos populo per circuitum, & dices ad eos, cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Ibid. 19.

Licet igitur hoc vnum eſſet, quòd in illis locis vbi apparet, ita religioſe velit coli; nonne id ſufficeret ad omnem ei cultum deferendum, ſicut hoc vnum ſuffieit ad illum præcipua veneratione colendum certis quibuſdam diebus, quia ſic præcipit? Verùm adde huic diuinæ ordinationi iuſtiſſimam cauſam & æquiſſimam rationem, quæ petitur à dignitate & Maieſtate ſe manifeſtantis Dei, à Bonitate Benefacientis, à Potentia operantis, à Iuſtitiâ punientis, aut alia quauis perfectione, quam illuſtriùs exhibet. Quanta putas eum veneratione dignum? quanto tum credis animi corporiſque famulatu, religione, obſequio, Deum eſſe demerendum?

Quis non timebit te Domine? Hoc videlicet in Apocalypſi dicūt Apoc. 15. quibus inſigniora quædam notifiunt diuina opera; vnde in ſtuporem rapti dum mirantur quàm ſit inde timendus Deus, ſimul admirantur ſi quis illum non timeat: ſic enim pari affectu omnes, in vnum & idem conueniunt vt dicant: *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens. Iuſta & vera ſunt via tua, Rex ſæculorum, quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?* Quaſi dicerent, nullus eſt, vbicumque locorum ſit, qui te ſibi præſentem & operantem attentiùs cogitet, qui non illicò timeat.

Atque hic timor qui ex Diuina concitatur præſentia talis eſt, vt non aliter aptiùs poſſit ſignificari, quàm hoc pauoris nomine, qui ſingularis affectus eſt quo totus in ſe homo colligitur, vt ſe totum in diuinum impendat cultum; & cùm ſe totum etiam impenderit, agnoſcat ſe nihil præſtitiſſe præ ſumma illa Maieſtate quam Primores & Beatiores creaturæ non ſatis dignæ ſunt venerari.

Sic Iacob ille vir Dei, qui dixerat, *verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam,* nonne ſtatim in hunc tranſiit affectum, cùm ſtatim ſcriptura de illo dicat *pauenſque, quàm Terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hîc aliud niſi Domus Dei & porta cæli!* Mirum ſanè ſi non paueret ad terribilis conſpectum loci, ſed magis mirum quòd locus ille dicatur terribilis qui eſt Domus Dei & porta cæli! Quid de Purgatoriis aut aliis infernis locis diceretur acer-

Digitized by Google

bius, quàm quod terribilis illorum eſſet aditus & ingreſſus? ſed aliud eſt eſſe terribilem horrore pœnæ ac præſentiæ dæmonum, & aliud horrore ſanctitatis ac diuinæ præſentiæ.

Iac. 2. *Dæmones contremiſcunt*, inquit ſanctus Iacobus; numquid & ipſæ tremunt ſupremæ poteſtates? ſed tam diuerſus eſt vtrorumque ſpirituum tremor, quàm ſupremi diſtant ab infimis, quàm cæleſtes ab infernis, quàm Beati à damnatis. Sic in nobis aliud eſt tremere vel terreri propter ſolam pœnam, & aliud propter ſolam offenſam, ſiue propter ſolum Deum, à quo verearis te ſubducere, & in cuius conſpectu apparere timeas, quòd non ſis ſatis mundus & purus. Sic dicebat ſuis Mo-Exodi 22. ſes, *nolite timere, vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis & non peccaretis.* Quibus ex verbis duplex neceſſariò colligendus eſt timor. Nam & vetat ſimul & præcipit vt timeant ad aduentum ſiue ad præſentiam Dei; non timeant, inquit, vt fugiant Deum; ſed timeant vt eum colant. Sic expreſsè Hebr. 12. Apoſtolus poſtquam dixit, *non acceſſiſtis ad tractabilem montem & accenſibilem ignem*, vt ſcilicet timeretis ſupplicia, ſic tamen conſequenter addit, *ſeruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia; Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.* Quaſi apertè diceret, non apparet quidem nobis Deus ſicut olim in accenſo & ardenti ſupra montem igne vt nos terreat & diſperdat: ſed tamen ignis eſt qui metu & timore quem vocat reuerentialem, ſit timendus: aut certè licet occultus ſit, non deſinit illos tamen conſumere qui non præſentem timeant.

Ex quo ſane Apoſtoli dicto, quod tertium eſt declarandum, ſatis clarè innoteſcit, *non pauére pauendum eſt.* Vel enim prorſus Atheum illum eſſe oportet, qui dum ſe magis præſentem Deus exhibet, non magis eſſe credat; vel omnino ſtupidum & impium, qui diuinæ ſigna præſentiæ non ſentiat, aut nullo pietatis ſenſu moueatur. Qui ab igne recedit longiùs, non accendetur, aut qui accedit propiùs, conſumetur. Sic illi planè, vel abſunt à Deo longiùs, quem non eſſe præſentem credunt; vel audaciùs ſeſe illi communicant qui nullo præſentis metu deterrentur. At nonne vtrumque pauendum eſt? Qui te adire nimis verentur, neſciunt manſuetudinem tuam; dicebat Auguſto Cæſari quidam adulator: aut qui non ſatis verentur, neſciunt Maieſtatem tuam. Nonne hoc verius inuerecundis illis qui nil timent, obiicias? Nec di-

Google

cant ſibi non eſſe liberum aut in ſua poſitum poteſtate, moueri, pauére, & terreri ad præſentem Deum; Neque enim tam affectus ſenſibilis quæritur, quàm effectus rationalis, vt tum eo ſe componant modo quem diuinæ decet reddere Majeſtati, quæ ſe propterea præſentem reddit. An minùs illi poſſunt quod Babylonij, Perſæ, & Medi, quibus Rex Darius imperauit, *vt contremiſcerent & pauerent Deum Danielis?* aut ſi æquè poſſunt, cur non æquè velint Chriſtiani: Nonne id ſtupendum & pauendum? Patebit paulò pòſt, etiam apertiùs. *Dan. 6. & 14.*

II. PVNCTVM.

SED in locis ſacris, nempe in Eccleſiis ſeu templis Deo dicatis ac conſecratis, ſe Deus magis præſentem facit, maioraque ſuæ præſentiæ ſigna, Bonitatis Beneficentiæ, Potentiæ, Iuſtitiæ, cæterarumque virtutum ſiue perfectionum monimenta conſtituit.

Quod primò quidem patuit in illa deſerti parte, vbi Tabernaculum & quidquid ad diuinum ſpectabat cultum cœpit erigi & ſpectari: ſic enim ſcriptura refert; *poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini impleuit illud: Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia & MAIESTATE DOMINI CORVSCANTE.* Deinde verò pòſt apertius etiam in templo Salomonis, dum Deo dicaretur, ſic tum præſens adfuiſſe Diuinum numen refertur, *vt impleretur Domus Dei nube, nec poſſent ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter caliginem: compleuerat enim gloria Domini domum Dei. Tunc Salomon ait, Dominus pollicitus eſt vt habitaret in caligine; ego autem ædificaui domum nomini eius, vt habitaret ibi in perpetuum.* Et poſt multa: *Cúmque compleſſet Salomon, fundens preces, ignis deſcendit de cælo, & deuorauit holocauſta & victimas; & MAIESTAS DOMINI impleuit domum: nec poterant Sacerdotes ingredi templum, eo quod impleſſet Majeſtas Domini templum Domini.* Et nonnullis interiectis, ſic ipſe Dominus: *Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius qui in loco iſto orauerit: elegi enim & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* *Exodi vlt.* *2. Par. 5. 6. 7.*

Poterantne dari Diuinæ Præſentiæ teſtimonia certiora? atque hæc cum dicerentur & fierent, quo tempore templum Domino

dedicabatur, quis non videat quàm ſit antiqua & religioſa tẽplorum dedicationis inſtitutio? cuius cum feſtus etiam dies ſolenni ritu Ieroſolymis ageretur, ipſe Chriſtus Dominus intereſſe voluit: & quam vocabant Encæmiorum celebritatem, ſua cohoneſtauit præſentia. *Ioan. 10.*

Nec ſileri debet quod in libris Machabæorum refertur de quodam Heliodoro qui cum impietatis pænas in templo malè mulctatus dediſſet, non ceſſabat illam quam ſuo licet damno & pudore ſenſerat diuinam præſentiam deprædicare, venerari & ſuſpicere, *eo quod*, inquiebat, *in loco ſit verè Dei quædam virtus; nam ipſe qui habet in cælis habitationem, viſitator & adiutor eſt loci illius.* Sic ille palam profitebatur. *2 Macch. 3*

Quæ quidem potiori iure de noſtris Templis Chriſtiano more ſolenniter dedicatis debent intelligi, vbi longe eſt aliud ſacrificium, vbi Deus, vbi Deus ipſe homo factus, ſacerdos eſt & iuge ſacrificium incruentum, ratione cuius prædictum eſt à Propheta, quòd noſtrorum maior templorum futura eſſet gloria quàm templi Salomonici. *Spiritus*, inquit, *meus erit in medio veſtrum, nolite timere quia hæc dicit Dominus exercituum: adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram & mare & aridam, & mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum eſt argentum & meum eſt aurum dicit Dominus. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ, dicit Dominus, & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum*, Id eſt, omne bonorum genus, & præſertim internorum ac ſpiritualium, quæ certè templo illi Ieroſolymitano quod vel à Zorobabele vel ab Herode reſtauratum eſt, non ita planè conueniunt ac noſtris modo Eccleſiis, vbi Deſideratus Ille gentibus nobiſcum indeſinenter adeſt vſque ad conſummationem ſæculi: completurque fideliter illud, quod ab alio prænuntiatum fuit Propheta: *Dabit vobis Dominus panem arctum & aquam breuem; & non faciet auolare à te vltra doctorem tuum; & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea ſicut immunditiam menſtruatæ. Egredere, dices ei*, Nempe omni profano ritui. *Aggæi 2.* *Iſa. 30.*

Quod

Quod & alius Propheta palam fecit, cum ſic Iudæis templum ſuum reſtaurantibus, Dominum loquentem refert: *Non eſt mihi voluntas in vobis & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: Et in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt Nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum,* Id eſt, in omni terrarum tractu locus erit ad ſacrificium oblationis mundæ mihi deſtinatus: Ego autem in illo magnificabor loco, ſiue per oblatum tale ſacrificium, ſiue per gratias inde ac per reliqua Sacramenta tam vbertim & effuſe profluentes, quàm erunt capaces hominum mentes ad eas recipiendas. *Mal. 1.*

Ibi *fons ille patens* promiſſus *in ablutionem peccatoris*. Ibi *præparatus ille mõs Domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi & dicent, venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.* Ibi *germen Domini eſt in magnificentia & gloria & fructus terræ ſublimis, & exultatio his qui ſaluati fuerint de Iſrael.* Ibi *piſcina* ſalutifera non vni perſanando, non in anno ſemel, non per Angelum commouenda, ſed quoties quiuis ægrotus, ô beneficium, ô præſentem diuinam manum; quoties quis ſanari velit, promptiorem ſentiet ipſius Dei ſanantis manum quàm æger vulnus detexerit. Ibi aperta menſa, ibi *Cæna magna* nunquam deficiens eſurientibus. Ibi *Ieſus Chriſtus heri & hodie & in ſæcula,* clamare nunquam ceſſat, *ſi quis ſitit, veniat ad me. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ibi Pater miſericordiarũ expectat filium prodigum; ibi eum in gratiam recipit, veſte, annulo, conuiuioque excipit ſingulari. Illuc bonus Paſtor perditam ouem refert; illic denique Cœlum reſerat pænitenti & infernum claudit. *Zach. 13.* *Iſ. 2.* *Ib. 4.* *Ioan. 5.* *Hebr. 13.* *Ioan. 7.* *Matth. 11.* *Luc. 15.*

Quid manifeſtius ad declarationem Præſentiæ? quid ſublimius ad excellentiam Maieſtatis? quid vtilius ad Bonitatis & miſericordiæ largitatem effundendam? quid ad Potentiæ vim & operationem efficacius? cùm ſemper ſenſibilibus ſignis Sacramenta contineantur, & ſuũ ſemper effectum habeãt, niſi quid à nobis obſtet. Certè illic ſæpe Chriſti viſas imagines nulla humana depictas manu, ſæpe ipſum Chriſtum ſeſe multis ſpectandum & colendum dediſſe, ſæpe olim ac modò etiam ſat fre-

Digitized by Google

3. Dial. c. 30. quenter multa illic patrata miracula legimus & videmus. Sanctus quoque Gregorius quod ſuo contigit tempore refert *in magna ſerenitate aëris ſuper altare Eccleſiæ nubem cœlitùs deſcendiſſe, ſuoque illud velamine operuiſſe, omnemque Eccleſiam tanto terrore ac ſuauitatis odore repleuiſſe, vt patentibus ianuis nullus illic præſumeret intrare.* Sic ille ad verbum. Sed quantumcumque mira ſint & ſtupenda quæuis prodigia, mihi nihil validius ad diuinam in templis credendam & colendam præſentiam, quàm quod Chriſtiana fides docet de Sacramentis, quæ ibi quotidie conficiuntur, & de perennibus gratiis quæ inde ad nos omnes indeſinenter fluunt.

3. Reg. 8. *Ergo-ne putandum eſt, quòd verè Deus habitet ſuper terram? ſi enim Cœlum & cæli cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis Domus hæc quam ædificaui?* quaſi diceret Salomon, non eſt dubitandum quin verè Deus habitet in hoc loco, cum tot ibi ſingularis ſuæ præſentiæ Bonitatis & prouidentiæ ſigna manifeſtet: ſed id mirum quod ita velit ea manifeſtare; aut quod eâ manifeſtatione tam parum homines moueantur, vt nec debitum Deo cultum exhibeant, nec fructum pietatis reportent.

Non ſic Dauid, non ſic Regius ille Pſaltes qui non aliter ſe introiturum in templum affirmabat, quàm in timore Domini. *Introibo*, inquit, *in Domum tuam, adorabo ad templum ſanctum* Pſ. 5. *tuum in timore tuo.* QVOD *magnum eſt præſidium procedentibus ad ſalutem*, ait ibi ſanctus Auguſtinus.

III. PVNCTVM.

QVantùm *hinc igitur patet, locis ſacris ſacrum & debitum eſſe panorem, tantùm ibi non pauere, profectò pauendum eſt.* Quia quidam Dei præſentis contemptus eſt, qui ſe propterea magis præſentem indicat, vt magis ibi timeatur; & quis ſit ille timor, ſatis euidenter exprimit, cum expreſſè dicat, *Pauete ad ſanctuarium meum*; pauete non corporali ſenſu ſed ſpiritali, talem exhibendo cultum quem excitaret Diuina ipſa maieſtas, ſi præſens oculis cerneretur, aut ſi quod patraret miraculũ; aut ſicut deniq; cum animus ad aliquod inſolitum & ſtupendum ſpectaculum ſic totus pauet & rapitur, nullâ vt aliâ re prorſus à ſpectando reuocetur. Sic planè ſic attentum eſſe oportet, & affixum vel ſacrifi-

cio quod peragitur, vel officio quod celebratur, vel orationi quam fundis, vel imagini quam revereris, vel Chriſto quem adoras, vt ibi totus ſis animo & corpore ſic ad pietatem & venerationem compoſitis, nulla vt parte deſis.

Hoc eſt pauere ſicut iubebat Dominus, hoc eſt pauere non ad malum, ſed ad bonum, ſicut Propheta futurum prædixit in noua præſertim lege. *Pauebunt*, inquit, *ad Dominum, & ad bonum eius in nouiſſimo dierum*. Hoc eſt pauere, hoc eſt quod pij quique, quod Angeli, quod ipſe Angelorum Dominus, dum oraret, pauebat, & toto ſe, contremiſcebat, quantus quantus ille eſſet, toto ſe ipſo, contremiſcebat, dum oraret; ſic enim habes, poſtquam *cœpit pauere & tædere, procidit ſuper terram & procidit in faciem ſuam*, non tantum ſemel cum in horto Patrem orauit, ſed *in diebus carnis ſuæ*, inquit Apoſtolus, id eſt ſemper pro more ſuo, *preces ſupplicationeſque ad Deum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia*. Quæ certæ verba ſi accuratiùs expendantur, tam ſtupendam in orãdo, Chriſti deſignant demiſſionem & quãdam velut trepidationem ſpiritus, vt te contrà nil trepidare in conſpectu Dei, prorſus ſtupendum ſit & pauendum!

Oſee. 3. *Matth. 26* *Marci 14.* *Hebr. 5.*

Quid, quòd modò dum hæc meditaris, vel dum in templo inambulas, aut ſedes otioſus, aut negotia mente tractas, aut colloquia miſces cum alijs; quid quod inquam, ipſe Chriſtus Dominus in altari factus hoſtia Deo Patri mactanda, tam demiſſo, tam humili, tam omni prorſus ex parte religioſo ſe conſtringit modo! Tu verò, tu quis es? tu peccator! tu tam multis obnoxius criminibus, tam multis addicendus ſuppliciis, tu non modo nil vereberis, nil pauebis! Sed neque tuam præfractam agnoſces audaciam? Plane id pauendum, ſed miſerando illo pauore quem minatur Deus, *Pauor & terror & laqueus ſuper te*. Recordare zeli quem præ ſe tulit in templo, cùm inde ſemel & iterum eiecit vendentes & ementes, dicens: *Domus mea, Domus orationis eſt*. *Quantâ putas animaduerſione puniret*, inquiunt ſancti Patres, *ſi inueniſſet ibi riſui vel vaniloquio vacantes, aut alij cuilibet vitio mancipatos? ſi enim ea quæ alibi liberè geri poterant, Dominus in domo ſua temporalia negotia geri non patitur: quantò magis ea quæ nuſquam fieri licet plus cæleſtis iræ merentur, ſi in Ædibus Deo ſacratis agantur?*

Ier. 48. *Matth. 21.* *Ioan. 2.* *S. Aug.* *Beda, 25.*

Poſtquàm vero Diuus Chryſoſtomus liberiorem hanc Chri-
Hom. 36. in 1. ad Cor. ſtianorum licentiam arguit, tum vehementius ad eam coercendam, & ad ſanctum illum pauorem qui à nobis deſideratur excitandum, ſic pergit: *Nec enim tonſtrina aut vnguentaria taberna, Eccleſia eſt, aut officina forenſis, ſed locus Angelorũ, locus Archangelorum, Regia Dei, Cœlum ipſum. Quemadmodum igitur ſi cœlum quiſpiam in anguſtum redactũ illuc inducat, etiamſi fratrem, etiamſi Patrem videas, tamen præ ſtupore non alloquare; Sic nec hic aliud quidquam quã ſancta ſeruare decet.* Et nonnullis interiectis: *Nunc autem foro nihil differt, & ſi non ſit temerarium dictum, fortaſſe nec ſcena ipſa; adeo proſtitutis ſcortis petulantius, quæ hùc mulieres congregantur ſeſe comunt, & ſine dubio non paucos hic ſolicitant homines intemperatos. Si quis corrumpere matronam conatur, locum hunc maximè idoneum*
Hom. 15. ad Hebr. *putat.* Ah nimis vera verba! Ruſuſque alibi: *Stat Sacerdos Dei orationem offerens cunctorum: tu autem rides, nihil timens, non contremiſcens, non colligens te ipſum: & in aulam quidem regiam intraturus, & habitu, & oculis, & inceſſu, & in cunctis aliis componis & ornas temetipſum: huc autem ingreſſurus, vbi eſt aula regis, & talis, qualis cœleſtis eſt, rides!*

Vide quid in hoc genere pecces, aut alios peccare videas, quos
Ezech. 9. poſſis arguere. Iam ante pridem contra profanos in Templis auſus, lata eſt ſententia, cùm ex omnibus puniendis eos in primis Deus plecti velit qui grauius ibi deliquerint. *A ſanctuario meo*, inquit, *incipite.* Cui quidem ſententiæ ſatis apertè Princeps Apo-
1. Pet. 4. ſtolorum videtur ſubſcribere, dum ait, *tempus eſt vt incipiat iudicium à Domo Dei.* Verùm, non eſt ſatis, non peccare in templo, ſed ne quidem illuc cum peccato, eſſet accedendum. Qua de re ſequens eſt Veritas quæ præcedentem plurimùm confirmabit.

AD HÆC OFFICII ECCLESIASTICI: DE HODIERNO FESTO, VERBA.

In graduali Miſſa. *Locus iſte à Deo factus eſt, inæſtimabile Sacramentum, Irreprehenſibilis eſt.*

Digitized by Google

VERITAS PRACTICA.

Ad ſacrum locum, velut ad Sacramentum.

SENSVS & RATIO eſt, quòd ſicut ſacer locus, locus eſt à Deo factus, in quo præcipuè decenti colatur cultu, ſic nos decet hunc ei cultum exhibere.

Sed niſi ad ſacrum locum accedatur velut ad Sacramentum, talis ei cultus non exhibetur.

Ergo ad ſacrum locum velut ad Sacramentum, non æquali quidem ex cauſa, ſed prope ſimili, prout dicebat Dauid: Domum tuam decet ſanctitudo Domine; & prout in diſcurſu declaratur. Pſ. 92.

I. PVNCTVM.

MVLTVM certè Dauidi debet Religio, quòd primus de Domo Dei conſtruenda cogitarit, quòd magnificam idcirco cogitationem ſuſceperit, atque ad illam cumulatè perficiendam ingentes pararit ſumptus; quos impendendos Salomoni reliquit filio. Sed meâ quidem ſententiâ, plus eſt Dauidem nos diuinum coluiſſe cultum quem in templo ſeruaremus, quàm paraſſe ſumptus in templi fabricam. Quid eſt enim templum ſine diuino cultu? ***Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto. Nolite confidere in verbis mendacij dicentes, templum Domini, templum Domini eſt, quoniam ſi bene direxeritis vias veſtras & ſtudia veſtra,*** Ier. 7. & quæ plura proſequitur, quibus aperte indicat ſe ſui cultum magis velle, ſine templo, quàm templum ſine ſui cultu.

Quod nos autem Dauid docuit, non illos tantum intelligo Pſalmos, quos in Eccleſia non decantari peius eſſet, inquit ſanctus Chryſoſtomus, quàm ſolem non lucere; ſed ex multis illis Pſalmis tres duntaxat volo verſiculos, quibus totum pene cultum, quem nos in templis adhibere par eſt, comprehendit. ***Domine dilexi decorem Domus tuæ & locum habitationis tuæ:*** Pſ. 25. hoc primum quo templo cultus redditur, decor loci ſiue omnium quæ

ad eum ſpectant locum. Deinde verò reuerentia quam ſic exprimit: *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Ac denique quod eſt præcipuum, ſanctitas non loci tantum aut ſacrarum rerum, ſed perſonæ templum adeuntis, de qua ſic pronuntiat. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine.* Quod ego quidem dico eſſe præcipuum colendo in templis Deo, quia hoc præcipue Deus in his ſpectat. *Reſpexit ad Abel & ad munera eius*, inquit ſcriptura de primo ſacrificio, non ex muneribus Abel, ſed ex Abele munera. *Numquid carnes ſancta auferent à te malitias tuas?* quaſi diceret, niſi tu ipſe ſanctitati tuæ ſtudeas, niſi tu ipſe nolis malitias tuas, nulla loca, nulla ſacrificia, nulla Sacramenta, quantumcumque ſacra & ſancta poterunt illas à te auferre. Ne alio accedas animo.

Pſ. 5. *Pſ. 92.* *Gen. 4.* *Ier. 11.*

Quod ita certè nobis eſt perſuaſum, vt nemo niſi deſperatus audeat ad Sacramentum quoduis accedere niſi cum animo reſipiſcente qui lethali opponatur culpæ: neque enim aliter prodeſſet Sacramentum, imò & noceret, ac nouum eſſet peccatum accedenti cum peccato.

Non ita quidem affirmandum de acceſſu ad templum: non eſt dicenda noua eſſe culpa ſi cum culpa ſacrum locum ſicut ſi Sacramentum frequentares: ſed hac poſita differentia, Veritas eſt plurimum commendanda, quâ dicitur: *Ad Sacrum locum, ſicut ad Sacramentum,* non ex tali neceſſitate, non ex æqualitate, non ex pari omnino ratione, ſed ex ſimili quadam proportione. Sicut ſi dicerem, accedendum eſſe pari ſanctitate ad Cœnam magnam quæ hîc in Sacramento ſumitur, ſicut ad illam quæ in Cœlo percipitur; quis non videt ſanctitatis diſparitatem quæ ad vtramque neceſſario requiritur? Et tamen rectè id poteſt dici, dum rectè intelligatur non de omnimoda paritate. Sic plane de locis ſacris, ſicut dixit Dauid, *Domum tuam decet ſanctitudo*, ſicut ſemper intellexit Eccleſia, ſicut denique ſacer locus dicitur *Sacramentum*, vnde propoſita veritas eſt deducta, quæ ex adiectis verbis, *Locus iſte à Deo factus eſt*, ſic declaratur.

Sicut ſacer locus, locus eſt à Deo factus in quo præcipuè decenti colatur cultu, ſic nos decet hunc ei cultum reddere. Cur enim à Deo factus eſſe dicitur, niſi vt à nobis ibi præcipuo colatur cultu? Nonne omnia fecit ille loca & ſpatia, ſine quo nihil eſt factum? An putes ſibi locum feciſſe quaſi palatium terre-

ni Regis cuius ambitu concludatur? cuius ornatu decoretur? cuius propugnaculis protegatur? Nonne ille eſt quem *cælum & cæli cælorum non capiunt*, vt ait Salomon, *& qui non in manufactis templis habitat, indigens aliquo*, ſicut ait Apoſtolus. Gentilium iſta credulitas eſt, qui nihil humanum ſupra vel regium morem de Dijs ſuis cogitantes, illos credebant ita ſuis habitare in delubris, vt illic molliùs & tutiùs quam alibi requieſcerent & tegerentur. At Deus noſter cum ſit Cœli & terræ Dominus, cum in ſe contineat omnia, cum nihil extra ſe prorſus ad beatitatem ſuam quærat, ſibi ſuus eſt locus, ſua domus, ſua quies, ſua tranquillitas; nec ipſe ſibi locum facit quaſi loco indigeat, qui ſibi vnus ſufficit, & qui propterea *Saddaj* dicitur, id eſt, ſibi ſufficiẽtiſſimus. 2. Par. 6. Act. 17.

Reſtat igitur finis ille propter quem locum faciat, vt ſtudium eò tuum acrius excitet ad ſanctiorem ſui cultum, quò ſanctior erit locus ab ipſo propterea factus & electus, ſicut ſanctiora quædam ſunt tempora quæ nos vehementius acuant. *Elegi enim & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum & cor meum ibi.* 2. Par. 7.

At nonne decet talem loco, ſeu potiùs Deo, talem à nobis adhiberi cultum quem poſtulat? an poterit ibi cor tuum cum corde Dei eſſe, ſi non illi conforme fuerit, in eo præſertim fine propter quem ibi cor habet? Cur illùc Eum adis potius quàm aliò, niſi quia potius ſe vult illic à te coli quàm alibi? At quo vult etiam ibi coli cultu, cur non eum coles? Nonne ſi modus colendi Deum tam verè factus à Deo eſt quam ipſe locus, tam verè decet modum ſeruare cultûs quàm locum? Nonne hoc denique metuendum ne inde accidat quod ſuis exprobrat Dominus: *appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longe eſt à me, ſine cauſa autem colunt me*, vel vt ait Sanctus Marcus *in vanum me colunt*. Quæ poſtrema verba ſic à Chriſto prolata non leue pondus addunt ſententiæ. Perinde enim eſt ac ſi Deus diceret, non ſum ipſe cauſa cur me colant, cùm me non corde colunt & quo velim ab eis modo. Non mei gratiâ me conueniunt; nam ſimul aliud, quod requiro non negarent; ac proinde etiam fruſtra me colunt & in vanum, quia nullum aut certè modicum nec eum referunt ſuarum precum fructum quem retuliſſent. Vide in 3. p. fer. 4. hebdomada 14. Iſ. 29. Math. 15. Marci 7.

Digitized by Google

II. PVNCTVM.

SED niſi ad ſacrum locum accedatur velut ad Sacramentum, cultus hic decens quem petit Deus, & quem decet nos ei reddere, non redditur, non exhibetur.

Non enim fruſtra nomen hoc Eccleſia de ſuis vſurpat templis; non fruſtra in altari, hoc eſt in ſanctiori officio quod de hodierna feſtiuitate celebrat, poſtquam dixit, *locus iſte à Deo factus eſt*, ſtatim adiungit, *inæſtimabile Sacramentum, irreprehenſibilis eſt*. Certè reprehenſibilis eſſet iſte loquendi modus, niſi quadraret, niſi conueniret rei de qua eſt ſermo: Non conueniret autem niſi de Sacramenti nomine, ſeu potius de vi ac virtute nominis participaret aliquid ſacer locus. Non eſſet, inquam, nec verè ſacer locus dici poſſet Sacramentum, niſi Sacramentum inter & ſacrum locum intercederet non leuis aliqua ſimilitudo. Quod ita verum eſt vt licet nominis Sacramenti ſit varia multiplexque ſignificatio, vix tamen vlla ſit quæ non ſacro conueniat loco.

Triplex potiſſima reperitur quam hic obiter explanare non erit alienum. Prima eſt, qua ſerium & momentoſum aliquid deſignetur, quod non paſſim diuulgari, ſed ſecreto teneri debeat, & religioſo ſilentio ſeu pia quadam ignorantia venerationem habeat. Sic Tobiæ duodecimo, *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*; & quarto Danielis: *omne Sacramentum non eſt impoſſibile tibi*. At quis neſciat in locis ſacris ſiue dum conſecrantur, ſiue dum ſacra ſunt, tam multa multum ſeria religioſaque fieri, quæ pene omnes latent, vt verè locus dici poſſit hoc ſenſu *Sacramentum?* Quid enim eſt quod Epiſcopus antequam templum ſacraturus ingrediatur, foris expectat, & clauſas templi fores ipſe ſuo baculo paſtorali pulſat & aperit? Quid, quòd ingreſſus templum eodem baculo deſcribit in pauimento conſperſo cinere, græcis & latinis literis, alphabetum? Quid quod parietibus Cruces certa imprimuntur forma, & ſacro inunguntur oleo? Cur fit ibi mixtio quædam aquæ, cineris, ſalis & vini? Sacramenta ſunt, ſecreta ſunt quæ nos venerari magis decet quàm curioſiùs indagare. Sic ſanctus Auguſtinus ſuis Neophytis ſeu Catechumenis: *Omnia*, inquit, *Sacramenta quæ acta ſunt & aguntur in vobis per miniſterium ſeruorum Dei, exorciſmis, orationibus, canticis ſpiritalibus, inſufflationibus,*

Tract. de Symbolo ad Catech.

inſufflationibus, cilicio, inclinatione ceruicum, humilitate pedum, Et quæ plura pergit ad ſacri loci cum Sacramento ſimilitudinem exprimendam.

Secundò, Sacramenti nomen vſurpatur pro ipſa rerum vniuerſa mole quam Deus condidit, vt ex viſibilibus inuiſibilia, ex corporalibus ſpiritualia, ex terrenis cæleſtia, ex humanis diuina cognoſcamus, iuxta illud Apoſtoli: *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit: inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles*; ſi videlicet non cognouerint nec amauerint inuiſibilia quæ noſſe poterant ex viſibilibus. Sic illos expreſsè Sapiens arguit: *Errauerunt & neſcierunt Sacramenta Dei.* Rurſumque paulò pòſt; *Non abſcondam à vobis Sacramenta Dei*, hoc eſt, ignota quæ rebus creatis Diuina Sapientia recondidit, & quæ inde ad veſtram animorum vtilitatem poſſunt erui, faciam vobis manifeſta. Quo in ſenſu quis non videt quàm aptè locus hic ſacer dicatur Sacramentum; non quia tantum quod ait S. Auguſtinus, *quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis ſpirituali ædificatione completur:* ſed quia viſibilis ipſa templi moles, velut moles vniuerſitatis in ſe aliquid myſtici continet, quo inuiſibile, ſpiritale, & cæleſte cognoſcamus.

Rom. 1.

Sap. 2. 6.

Videtis quanta qualiſque ſit hæc ſtructura? quàm multi ſimul compacti lapides? quàm diuerſi diuerſos in vſus compoſiti? Quàm ſint alij demiſſi & alij ſublimati? Quantis quoſque neceſſe fuit tundi, ſecari, cædi malleorum ictibus, vt ſic cohærerent & ſuo quique conſiſterent gradu? Sic plane nos ædificamur, ſic conſtruimur, ſic *tamquam lapides viui* dicimur, ſiue in terris, ſiue in cælis conſtituti. In terris quidem vna ſimul fide, ſpe, & charitate coniuncti templum vnum ſiue Eccleſiam quæ vna eſt, in toto terrarum orbe, conficimus. In cælis verò charitate ſtrictiori, & eadem vniti beatitate longe felicius vnam in Domino ſeruamus vnitatem. *Etenim quod & ciuitas ſurſum ſit, & Eccleſia & celebritas*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *audi Paulum dicentem, acceſſiſtis ad ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cæleſtem, & Eccleſiam primitiuorum qui conſcripti ſunt in cælis & ad multorum millium Angelorum frequentiam.*

1. Pet. 2.

In orat. de S. Philog. Hebr. 12.

Sed quod Sacramenti vim ac virtutem præcipue connotat,

Digitized by Google

quamdiu mortales hic agimus, ſic ſumus antè poliendi, tundendi & parandi lapides, vt poſſimus in vnum conuenire; primò hic quidem charitate chriſtiana, tum aliquando felicitate perpetua; ſicut videmus lapides iſtos, non aliter quàm prout contuſi ſunt & præciſi ſimul inter ſe cohærent. Sic apertè S. Auguſtinus, *præciduntur de montibus lapides per manus prædicantium veritatem, conquadrantur vt intrent in ſtructurã ſempiternam.* Et alibi: *quod hîc fiebat, quãdo iſta ſurgebant, hoc fit modò cùm congregantur credentes in Chriſtum: credendo enim quaſi de ſylua & montibus ligna & lapides præciduntur: cum verò catechiſantur, baptiſantur, formantur, tanquam inter manus fabrorum & opificum dolantur, collineantur, compaginantur. Ligna iſta & lapides ſi non ſibi certo ordine cohærerent, ſi non ſe pacificè connecterent, ſi non ſe inuicem, cohærendo ſibi, quodammodo amarent, nemo huc intraret.* Et quæ plura proſequitur de charitate mutua, quæ ſic tandem concludit: *quod hic factum corporaliter videmus in parietibus, ſpiritaliter fiat in mentibus: & quod hîc perfectum cernimus in lapidibus & lignis, hoc ædificante gratia Dei, perficiatur in corporibus veſtris.*

In Pſ. 121.

Ser. 256.

Sic alij ſancti Patres ſentiunt, eòque referunt quod de templo Salomonis ſcriptum habetur: *Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt: & malleus & ſecuris & omne ferramentum non ſunt audita in domo cùm ædificaretur.* Hoc nempe eſt quod alibi dicitur de habitantibus cæleſte tabernaculum quod deſcribitur; *abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.* Quaſi diceretur, prima illa ſunt primò ferenda in terris, luctus clamor & dolor, antequam illò perueniatur, vbi nihil tale cernitur nec auditur.

3. Reg 6.

Apoc. 21.

Quod & vniuerſa ſentit Eccleſia, dum de vtroque loci ac temporis diuerſo ſtatu ſic canit; *hîc Margaritis emicant patentque cunctis oſtia; Virtute namque præuia, mortalis illuc ducitur; amore Chriſti percitus, tormenta quiſquis ſuſtinet. Scalpri ſalubris ictibus, & tunſione plurima: fabri polita malleo, hanc ſaxa molem conſtruunt; aptiſque iuncta nexibus, locantur in faſtigio.*

TERTIA denique Sacramenti ſignificatio vulgarior ſimul & auguſtior, ipſa eſt quæ ſeptem ſolis Sacramentis propriè conuenit, nempe vt ſit ſignum viſibile ſeu ſenſibile non modò aliquid aliud in ſe contentum ſignificans, ſed illud quod continet,

Digitized by Google

cum ſit gratia ſanctificans, ſic illam conferunt gratiam, vt ipſa nos ſanctificare dicantur Sacramenta. Quo in ſenſu præcisè conſiderato, manifeſtè quidem patet, quòd locus ſacer non ſit ita Sacramentum, quia non ita certam ex ſeſe ſiue ex ordinatione ſua communicat gratiam, quæ ſuum ſingularem & determinatum ſemper producit effectum. At verò tamen cùm quiuis ſacer locus idcirco ſit conſecratus & à Deo factus, vt dum ibi Deus ſingulariter colitur, ſingularem & ipſi cultores inde referant gratiam quam ex alio non referrent loco: Quis neget hoc etiam poſtremo ſenſu dici Sacramentum? cum præſertim gratiæ quæ illic potiores conferuntur, ſignis quibuſdam ſenſibilibus contineantur & exprimantur, in qua expreſſione vt diximus, tota videtur eſſe poſita Sacramenti ratio?

Cum ſint autem illa plura ſigna ſenſibilia, tum ad quinque potiſſimum referuntur, de quibus aptè S. Bernardus in primo quem de Dedicatione Eccleſiæ ſermonem habet. *Quando*, inquit, *domus iſta per manus Pontificum dedicata eſt Domino, propter nos ſine dubio factum eſt, non ſolum qui præſentes ſumus, ſed & quicumque vſque in finem ſæculi Domino ſunt in hoc loco militaturi. In nobis proinde ſpiritualiter impleri neceſſe eſt, quæ in parietibus viſibiliter præceſſerunt. Et ſi vultis ſcire, hæc vtique ſunt, aſperſio, inſcriptio, inunctio, illuminatio, benedictio. Hæc vtique in hac viſibili domo fecere Pontifices, hæc & Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum inuiſibiliter quotidie operatur in nobis. Primò ſiquidem aſpergit nos hyſſopo, vt mundemur, lauemur, dealbemur, dicaturque de nobis, Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata? lauat, inquam, nos in confeſſione, lauat nos lachrymarum imbre, lauat ſudore pænitentiæ, magis autem lauat nos aqua illa precioſa, quæ de fonte pietatis, id eſt ab eius latere emanauit. Aſpergit nos hyſſopo quæ humilis herba eſt & pectoris purgatiua: aqua ſapientiæ ſalutaris, quæ eſt timor Domini, initium ſapientiæ & fons vitæ: etiam condimentum ſalis admiſcens, ne ſit inſipidus timor ſine ſpe, ſine deuotione. Non ſolum autem ſed inſcribit digito Dei, in quo eiiciebat Dæmonia, haud dubium quin in Spiritu ſancto. Inſcribit, inquam, legem ſuam non iam in lapide, ſed in tabulis cordis carnalibus, propheticam implens promiſſionem, qua ſe pollicitus eſt ablaturum cor lapideum, & carneum cor eſſe daturum, id eſt, non durum, non obſtinatum, non Iudaicum; ſed pium, ſed manſuetum, ſed tractabile, ſed deuotum. Beatus quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris*

Digitized by Google

eum. Beati, inquam, qui docti & memores ſunt mandatorum eius ſed ad faciendum ea. Alioquin ſcienti bonum & non facienti peccatum eſt illi; Et ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens plagis vapulabit multis. Vnde neceſſe eſt vt vnctio ſpiritualis gratiæ adiuuet infirmitatem noſtram, obſeruantiarum & multimodæ pænitentiæ cruces deuotionis ſuæ gratia leniens: quia nec ſine cruce ſequi Chriſtum, & ſine vnctione crucis aſperitatem ferre quis poſſet? Hinc eſt quod multi abominantur & fugiunt pænitentiam, crucem quidem videntes, ſed non etiam vnctionem. Vos qui experti eſtis, ecce ſcitis quia verè crux noſtra inuncta eſt, & per gratiam ſpiritus adiuuantis, ſuauis & delectabilis eſt pænitentia noſtra, & ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima. At poſtquam vnctio gratiæ huius præceſſerit, iam lucernam ſuam Chriſtus non ponit ſub modio ſed ſuper candelabrum: quia tempus eſt vt luceat lux noſtra coram hominibus, & videant opera noſtra bona & glorificent Patrem noſtrum qui in cælis eſt. Iam verò benedictionem quidem expectemus in fine, quando aperiet manum ſuam & implebit omne animal benedictione. Nam in quatuor præmiſſis merita conſtant, in benedictione ſunt præmia, in benedictione tota complebitur gratia ſanctificationis, quando iam in domum tranſibimus non manufactam, æternam in cælis.

Ex quibus ſancti Patris verbis cùm euidenter pateat, gratias illas quæ in loco ſacro conferuntur, ſenſibilibus ſignificari ſignis, ac proinde rationem continere Sacramenti, quid reſtat, niſi vt qua ſanctitate acceditur ad Sacramentum, accedatur ad ſacrum locum, cum ſit eadem non ſolum nominis, ſed & rei quædam ſimilis ratio: ſiue poſitiuum quod aiunt bonum, ſiue negatiuum ſpectes? Cur enim non niſi ſanctè & purè adeuntur Sacramenta? Nonne quia ſic exigit cultus diuinus qui Deo redditur in vſu Sacramentorum, & noſtra vtilitas in recipienda Sacramenti gratia, quæ non niſi à puris recipitur? At nonne eſt eadem prope ratio de ſacris locis? nonne ſic adeuntur ad reddendum diuinum cultum, & ad noſtram vtilitatem, ſeu ad referendas inde quas poſtulamus gratias? Nonne ad hunc vtrumque finem ſi non omnino neceſſaria, ſaltem ita decens & opportuna videtur eadem ſanctitas, vt nulla quidem poſſit decentior, ſed & nulla inferior debeat adhiberi?

Eſto non imperarit Deus, vt quo imperio & quo iure iuſſit afferri ſanctitatem ad Sacramentum, ſic ad ſacrum afferretur lo-

Digitized by Google

cum: an idcirco non eſt adhibenda? Semperne trahendi ſumus ad debita noſtra perſoluenda grauioris metu ſupplicij? Numquamne duci nos ſinemus quo filios decet, pietatis ac obſeruantiæ liberali motu? Timeſne plura perſoluere quàm Deo debeas, cui cùm dederis omnia, plus ei debes quod illa receperit, quàm ille tibi quod dederis? Affer quantumuis ſanctum & decentem cultum in Eccleſia, profectò mirum ſi fuerit ſatis colendo tantæ Maieſtatis Deo, quem non ſatis digni ſunt colere qui ſunt digniores in cælo Spiritus: Tu tamen ex illa tenuitate tua non times etiam detrahere, quod vnum erat dignius nempe ſanctitatem & puritatem animæ? Quid quæris in Dei domo, ſi non quæris Dei cultum? Quid quæris in Dei cultu ſi non quæris Deo placere? At quomodo te placiturum Deo putas in peccato? aut quomodo peccatum tolles ſine illa ipſa ſanctitate qua Sacramentum adis? *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum, & venite.* Nonne his inuitaris ad ſacrum locum ſicut ad ipſum Sacramentum, nonne his ſaltem decet vocibus obſequi? Iſ.

Quod ſi dicis te tuam etiam in Domo Dei ſalutem quærere, cæteraque tibi opportuna vitæ præſentis ac futuræ ſubſidia; Veni ſanè tua quæſiturus; ſed an putas illa tam certò reperies non gratus & acceptus Deo, ſicut ſi gratus eſſes? An neſcis quòd qui promiſit ſe ſuas aures aperturum orantibus in loco ſacro, dixit peccatoribus; *cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* An ignoras quod mortale tuum peccatum longe eſt grauius, longe Deo magis odioſum, & tibi pernicioſius quàm originale Infantis nondum baptizati: nam illud tuum eſt actuale & voluntarium in teipſo, tua eſt culpa, tua malitia. Et tamen ille infans quando in templum Deo præſentandus affertur, non vltra primum effertur templi aditum, quin ſacris tingatur aquis, quin peccati labe purgetur, quin illa denique ſanctitate quæ domum Dei decet, decoretur, quia non placeret alioquin Deo ſibi ſuo in templo præſentatus infans, niſi prius eſſet natali culpa purus. Tu verò impie, non vna, non aliena culpa, ſed & tuis & multis & grauibus maculatus peccatis, audebis illam ipſam Dei domum ingredi? nec vereberis ſacra ipſa & tremenda penetrare adyta? & dum caput aperias, dum genu flectas & aliquid ore promas, tu ſatis decenti cultu Deum putabis colere? ô te inconſultum! Iſ. 1.

Digitized by Google

Dic ſodes, quem tu facis Deum? an externo duntaxat intentum cultui? nec internis noſtri cordis vacantem motibus? An putabis ſine corde corpus ſufficere Deo decenter colendo? quid eſt autem cor adhibere niſi cor ſit purum & expers illius maculæ, quæ cor inuiſum Deo facit? An neſcis quod dixit Chriſtus, *Venit hora & nunc eſt quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate: nam & pater tales quærit qui adorent eum in Spiritu & veritate, Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Quibus ex verbis ſi quis inferret ſolo ſpiritu non etiam corpore Deum colendum, malè inferret; ſed peius etiam ſentit qui ſolo corpore non etiam ſpiritu cultum Deo diceret exhibendum, aut qui ſe ſpiritum putaret adhibere niſi rectus eſſet: aut qui ſe rectum habere ſpiritum crederet, niſi prius cor ſibi mundum procuraret. Sic enim ordinate Dauid precabatur *cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Vbi ſanctus Gregorius. *Vide*, inquit, *ordinem, primò cor mundum, deinde ſpiritum rectum, Propheta à Deo requirit. Prius enim abrenuntiandum eſt tibi omni peccato, & omnis à corde vitiorum fœditas eliminanda, vt omne quod agitur aut dicitur, eo purum in conſpectu Dei ac lucidum appareat, quòd ex bonæ intentionis origine quaſi de puro quodammodo fonte manat. Scriptum eſt enim, bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala.* Quod ſancti Doctoris dictum ſi de omni actione, de omni tempore, ac de omni loco poteſt intelligi, quantò magis id verum eſt de actione illa, de tempore, ac de loco quibus præcipue Deum intendas colere. Nam ſi nuſquam Deus colitur niſi colentis pura ſit intentio; nec ſit pura intentio, niſi ſit prius cor mundatum: quanto minus colitur Deus in illo loco qui tantum factus eſt vt mundo corde colatur.

Ioan. 4.

Pſ. 50.

Non eſt itaque tantùm decens ille Dei cultus, ſed non eſt Dei cultus, niſi ſit ille decens, quem idcirco dicimus illi ſimilem quo ad Sacramentum accedimus, vt ſic apertius intelligatur, quis ille ſit, & quàm nullus decens abſque illo, ſit alius. Hinc quod ait Eccleſiaſtes, *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei*, ſic Chaldæa reddit, *ne venias plenus peccatis ante Dominum.* Vnde & ibi addit Sapiens, *multò enim melior eſt obedientia quàm ſtultorum victimæ qui neſciunt quid faciunt mali*; hoc eſt, qui antequam Deum adeant, non recogitant peccata ſua pœnitentes, ſic ſe ſtultos eſſe produnt,

Eccl. 4.

Digitized by Google

quia non agunt quod agunt, non colunt Deum quem præ ſe ferunt colere: multòque meliùs & veriùs Deum colerent abſtinendo peccatis quàm victimas offerendo, vel peccata prius deplorando quàm ſe Deo vel quidquid aliud in templis offerant.

III. PVNCTVM.

ERGO *ad ſacrum locum ſicut ad Sacramentum*, quocumque ſenſu vox iſta ſumatur, dum ſubſit etiam ille ſenſus qui declaratus eſt, non quaſi pecces ſi cum peccato accedas ad ſacrum locum, ſicut peccares accedendo ad Sacramentum, ſed quia ſic ſacrum decet locum, ſic decet finem propter quem locus eſt ſacer, ſic decet Dei cultum quem ſibi Deus optat ibidem exhiberi, ſic decet noſtram erga illum pietatem, ſic decet noſtram circa ſalutem animæ curam ac prouidentiam. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit ipſorum Deus.* Apoc. 21. Ecce vox magna quam audiuit Ioannes de Throno Dei, ecce quo modo Deus habitat & conuenit cum hominibus, nempe in Sanctitate & decentia, nam expreſsè de ſancta Ciuitate Ieruſalem quam tùm idem vidit Apoſtolus, ſermo eſt, & quam ait *paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Quæ qualis illa ſit Ciuitas, & qualis eius ornatus, non exprimitur, ſed hoc vnum affirmatur quod quæcunque ſit illa, ſancta eſt, & ornata quàm decenter: atque vt ſic ſancta eſt, tum declaratur eſſe *tabernaculum Dei cum hominibus.* Certè hoc dignum quod paulò attentius conſideretur. Quadruplex reperitur in ſcripturis Ciuitas Ieruſalem quæ ſit tabernaculum Dei, ſecundum quadruplicem ſcripturæ ſenſum, & huic quadruplici ciuitati ſanctitas tam apprimè conuenit, vt non ſit aliter tabernaculum Dei quàm prout ſancta eſt. Prima ex ſenſu anagogico, cælum eſt ſeu *Caleſtis* Heb. 12. *Ieruſalem*, quæ vox expreſſa eſt Apoſtoli. Quàm ſit porro verè tabernaculum Dei cum hominibus & quàm verè ſancta ſit illa ciuitas, clarius eſt quàm vt magis illuſtretur: *non intrabit enim in* Apoc. 21. *eam aliquod coinquinatum.* Secunda ex ſenſu allegorico, Deiparæ Virginis vterus eſt in quo *Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis*, vel ipſa Chriſti humanitas in quo *Diuinitatis omnem plenitudi-* Col. 2. *nem inhabitaſſe corporaliter*, ait Apoſtolus. De quo vtroque tabernaculo quàm ſit ſanctum, vel hoc vno conſtat verſiculo, *ſanctiſi-* Pſ. 45.

Digitized by Google

cauit tabernaculum ſuum altiſſimus. Tertia ex ſenſu tropologico ſeu morali, eſt anima Iuſti, quæ hoc ipſo quo ſancta eſt ſanctificante gratia quæ lethali noxæ opponitur, dicitur habitaculum & templum Dei. *Sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus: propter quod exite de medio eorum & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis & ego recipiam vos.* Quarta denique ex literali ſenſu eſt Eccleſia, non modo illa quæ dicitur Congregatio fidelium, ſed ipſe ſacer locus vbi fideles congregantur, de qua illud Apoſtoli perinde vſurpatur, quod Timotheo ſuo commendat, *vt ſcias quomodo oporteat te in Domo Dei conuerſari quæ eſt Eccleſia Dei viui.* Sic diſertè Cornelius ex S. Ioanne Chryſoſtomo, cuius hæc verba ſunt ad hunc Apoſtoli locum: *Alludit ad Bethel de qua viſo ibi Domino, Iacob dixit, verè non eſt hic aliud niſi Domus Dei & porta cœli; & ad tabernaculum templumque Iudæorum quod Eccleſiæ typus fuit.* Et pergens de Apoſtolo dicere, quod in primis noſtrum ſpectat ſcopum; *Simul,* inquit, *tacite admonet omnes fideles vt reuerenter & ſanctè ſe gerant in Eccleſia cogitantes ſe viuere & verſari, non in aula Regis ſed in domo Dei, adeoque in oculis ipſius Dei Optimi Maximi.*

Ephеſ. 2. *2. Cor. 6.* *1. Timot. 3.*

Nonne hoc eſt non modo dicere ciuitatem aut tabernaculum Dei cum hominibus eſſe Eccleſiam ſeu ſacra hæc loca; ſed hæc ipſa etiam debere eſſe ſancta ſanctitate perſonarum, ſicut iam ſancta ſunt ſanctitate Conſecrationis & ſanctitate rerum quæ ibi peraguntur?

Eſt enim notanda triplex illa ſanctitas quæ templis conuenit. Prima quæ dicitur relatiua, quatenus Deo ſacrata ſunt, cui quidquid conſecratur, ſanctum eſt, vt patet ex Leuitico. Quod & expreſsè de templis Dominus contra Phariſæos: *væ vobis Duces cæci qui dicitis, quicumque iurauerit per templum nihil eſt; qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti & cæci! quid enim maius eſt, aurum an templum quod ſanctificat aurum?* quaſi diceret, longe maior eſt ratio dicendi templum eſſe ſanctum quàm aurum, cum aurum non ſit ſanctum niſi ex templo cui ſeruit. Deinde verò eſt ſanctitas rerum omnium quæ in ſacris tractantur locis, nihil vt agatur vitioſum, nihil profanum, nihil non approbatum & permiſſum, cum alioquin Dominus diceret: *Auferte iſta hinc, & nolite facere Domum Patris mei, domum negotiationis.* Denique ſanctitas eſt perſonarum

Leuit. vlt. *Matth. 23.* *Ioan. 2.*

ſonarum quæ ſe ad templum conferunt, quæ non ita quidem præciſe eſt neceſſaria, ſicut diximus, vt qui forte non ſint in ea, quam vocamus, ſanctificante perſonas gratia non poſſint templum ingredi, nec ſuas preces fundere, ſolis id enim interdictum Excommunicatis, vel qui aliis Eccleſiæ tenentur cenſuris; ſed quæ ita tamen eſt opportuna & decens, vt quantum agnoſcis ibi eſſe tabernaculum Dei cum hominibus, quantum ibi optas Deum colere, & de rebus tuis cum ipſo agere, tantum tibi expediat ſanctitatem illam habere, quæ ſola vera eſt ſanctitas, & qua ſola verè ſancta, & parata & ornata eſt Ciuitas illa Ieruſalem, quæ tabernaculum Dei cum hominibus eſſe prædicatur.

Recole quod iam de cælo, de Deipara, & de anima iuſti dictum eſt, qua ſanctitate ſcilicet cælum eſſet ſanctum, qua ſanctitate Deipara, qua iuſti anima, quid videtur? Nonne illa ſanctitas eſt quæ mortali ſaltem repugnat noxæ? cur porro, niſi quia ſic iſta decet Domum Dei ſanctitudo, quæcumque ſit tandem iſta Dei domus, ſic vniuerſim ſentiendum, *Domum Dei decet iſta ſanctitudo*, non relatiua, non extrinſeca, ſed vera & ſolida, qualis eſt illa quæ nos ſanctificat. Nonne id agnoſcis? Putaſne quemquam poſſe cælum ingredi, aut cælum eſſe Dei domum cum peccato? Non putas opinor, aut ſi qui fortè opinentur id poſſe fieri, nemo tamē eſt qui non affirmet, id non decere. Quod de ſanctiſſima ipſa Virgine matre, ſanctus Anſelmus expreſsè ait, *non ea quidem neceſſitate fuiſſe ſanctiſſimam, quaſi de peccatrice parente iuſta proles naſci nequiuerit; ſed quia decebat non ex alia quàm mundiſſima Virgine Deum naſci*. Non poterat certe Chriſti humanitas non eſſe ſancta quæ tabernaculum erat Diuinitatis ita ſibi vnitæ vt non alia ſubſiſteret quam diuina hypoſtaſi; ſatis tamen Apoſtolo fuit ad eius ſanctitatis commendationem dicere, quod *talis decebat vt nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*. Cur non iſta igitur decentiæ ratio tibi ſufficiet in adeundis templis? Nonne credis & profiteris hanc Eccleſiam cuius hodierna eſt dedicatio, ſingulari quodam modo Domum Dei eſſe, ſicut cæteras quas diximus Dei Domos? cur non eandem igitur credes decere ſanctitatem, cum de omni generatim domo Dei ſit dictum, quod eam decet ſanctitudo? Vel ſi hoc credis, cur ingrediens Eccleſiam non illam affers ſanctitatem? Nam cùm ſit perſonæ non loci ſanctitas, de qua hîc modo agitur, neq;

L. de Conc. Vir. c. 38.

Hebr. 7.

Digitized by Google

hæc aliter ſanctitas loco conueniat aut applicetur quàm prout perſona locum attingens fuerit ſancta, profecto non eſt aliud dicere quod Eccleſiam decet talis ſanctitudo, quàm dicere, quod te talem decet afferre ſanctitatem quando Eccleſiam ingrederis.

Sic ſancti Patres quando dicunt tempus ieiunij vel cuiuſquam celebrandæ feſtiuitatis decere ſanctitatem, quid aliud dicunt, quam decere nos eſſe ſanctos illo quo ieiunamus vel feſtum agimus tempore? Neque enim alia eſt propriè temporis aut ieiunij ſanctitas quam perſonæ ieiunantis. Vnde ſanctus Chryſoſtomus,
Hom. 3. ad pop. *honor ieiunij non ciborum abſtinentia, ſed peccatorum fuga.* Quod & aptè S. Leo, *Excellens*, inquit, *ſuper omnia Paſſionis Dominicæ Sa-*
Serm. 4. de Quadr. *cramentum purificatis corporibus & animis celebremus.* Qua quidem ſancti Patris ſententia nihil ad confirmandam Veritatem propoſitam, concludendumque diſcurſum dici opportunius poteſt. Vides enim vt Dominicæ Paſſionis tempus vocet *Sacramentum*, non ea certe proprietate quâ ſeptena dicuntur Sacramenta, nam & excellens ſuper omnia vocat Sacramentum, quod de ſolo Chriſti Corpore fas eſt pronuntiare. Sed nouerat ille Vir magnus, nouerat ſacris temporibus atque locis hanc etiam Sacramenti vocem competere, quæ viſibili ſigno ſuas etiam ſignificarent & continerent gratias; atque hæc inter Sacramenta Tempus Dominicæ Paſſionis excellere, quia maiorem ſcilicet rectè diſpoſitis animis conferret gratiam. Quid eſt verò *recte diſpoſitis animis?* Quam ille putas animorum diſpoſitionem expetebat? audi, nec vnquam obliuiſcaris, *purificatis*, inquit, *corporibus & animis Sacramentum hoc celebremus*; quaſi apertè diceret, *ſicut ad ipſum Sacro-ſanctum Sacramentum*; neque enim ad hoc alia requiritur diſpoſitio quàm vt purificatis corporibus & animis accedamus.

Eccleſi. 19. Quamobrem hîc præſertim locum habeat, quod ait Sapiens: *Da locum timori Altiſſimi*, primas in templo Timori cede; primus
Ibid. 1. ingredientis actus ſit illius timoris actus, qui peccatum expellit. Dum te luſtrali mundas aqua, non ore tantum, ſed corde, ſed ſincero affectu petas mundari, & amplius atque amplius à pec-
Ibid. 39. cato lauari. Sic ipſe *Iuſtus aperiet os ſuum in oratione & pro delictis ſuis deprecabitur*, quantò magis iniuſtus? Qui ſi tamen cum Pu-
Luc. 18. blicano dicat, *Deus, propitius eſto mihi peccatori*, magis probabitur & iuſtificabitur, quàm qui cum Phariſæo gratias Deo agat; Nam hoc eſt quod prius & vehementius commendatum nobis vult

Digitized by Google

Dominus : *Manda prius quod intus eſt, vt fiat id quod deforis eſt,* Matth. 23.
mundum.

Hoc eſt credere quod dicitur de ſanctitate decenti Domum Dei, ſi decentem illum decorem diligas : hoc eſt autem illum diligere ſi cum poſſis illum adhibere, non negligas, ſicque reipſa cum Dauide dicas & ſentias : *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis tuæ. Ne perdas cum impiis animam meam. Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum, redime me & miſerere mei.* Pſal. 25.
Tum verò quod ſequitur longè aptius & verius fiet : *In Eccleſiis benedicam te Domine. HOC EST ENIM benedicere Deum in Eccleſiis,* inquit S. Auguſtinus, *ſic viuere vt per mores cuiuſque benedicatur Deus. Nam qui benedicit Domino lingua, & factis maledicit, non in Eccleſiis benedicit Domino. Lingua prope omnes benedicunt, ſed non omnes factis.* Et ad illum Pſalmi verſum, *Tollite hoſtias & introite in atria eius.* Pſal. 95. *QVAS hoſtias nobiſcum portaturi ſumus? ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Cum humili corde intra in domum Dei & cum hoſtia intraſti.* Ne ſit verò quælibet hoſtia, ſed quæ eſt excellentior, holocauſtum : ſic Idem ad iſtos verſus, *Introibo in domum tuam in holocauſtis; Reddam tibi vota mea, &c. TOTVM meum conſumat ignis tuus,* Pſal. 65. *nihil mei remaneat mihi, totum ſit tibi. Erunt illa holocauſta; Et quid erit in holocauſtis? Reddam tibi vota mea quæ diſtinxere labia mea. Quæ eſt diſtinctio in votis? hæc eſt diſtinctio, Vt te accuſes, illum laudes.* Atque in illud denique, *Intrate portas eius in confeſſione, atria eius in hymnis.* Pſal. 99. A CONFESSIONE, inquit, *incipite : opus eſt vt te reprehendas, ne ille reprehendat qui damnaturus eſt.* QVANDO INTRAS, TE REPREHENDE; CVM INTRAVERIS, LAVDA ILLVM.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM PRIMÆ PARTIS.

ABNEGATIO. Vide, *Appetitus. Mortificatio.*
Abſtinentia. Quale ſit perfectionis ſignum. pag. 452. V. *Temperantia.*
Acedia. Quàm ſit contraria gratiæ & deuotioni. 100.
Aduentus. Duplex Chriſti Aduentus, & duplex ei conformis renouatio. 14. V. *Chriſtus.*
Aduerſitas. Non contriſtabit iuſtũ quidquid ei acciderit. 223. non quia mala ſunt, perturbamur in aduerſis; ſed quia perturbamur, aduerſa mala ſunt. 334. æquè in aduerſis magnificandus Deus. 369. niſi probè paratus ſis ad aduerſa, nec ad ipſa proſpera benè paratus es. 400. de cohibendo murmure in aduerſis. V. *Murmur.*
Affectus. Quando eſt inordinatus, obſtat Confeſſioni & Contritioni. 2. quando ſunt boni, multum conferunt ad agnoſcendum Chriſtum. 81. quàm ſint mortificandi ad pœnitentiam & conuerſionem. 106. ſtatim ſequi debent diſcurſum in meditando. 164. circumcidendi ad puram intentionem. 177. magis tenemur omnes affectu noſtra relinquere quàm effectu Apoſtoli. 280. qui grauior in nobis eſt, eò minus curari volumus. 432. V. *Appetitus. Mortificatio.*
Amor Dei. Apparet in dono filij. 18. quàm purus noſter eſſe debeat. 84. non viuitur in amore ſine dolore. 90. Amor non eſt otioſus. 94. Amor non niſi amore compenſatur. 97. Aut non amatur Chriſtus aut amatur aſperitas. 113. amor ſponſæ Chriſti qualis. 441. V. *Charitas.*
Amor proximi. Alienis bonis gaudet vt propriis. 124. ſicut non ſunt amanda vitia propter amicos homines, ſic non ſunt odio habendi homines propter eorum vitia. 373.
Amor ſui. Tantùm proficies, quantùm à te deficies. 360. hæc ſponſæ fides eſt, vt ſicut neminem præter ſponſum velit diligere, ſic velit à nullo diligi. 440.
S. Andreas. Quo amore Crucem amauerit. 448.
Apoſtolatus. Hæc eius duo ſigna certiora: velle abſtinere libenter ab omnibus bonis, & mala quæuis ſuſtinere. 452.
Appetitus. Quomodo ſubiiciendus rationi. 392. 528. qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe Chriſti diſcipulus. 422.
Arrogans. Quàm bene de Chriſto humilis, tam malè meretur arrogans. 72.
Auaritia. Omnis copia quæ Deus non eſt, egeſtas eſt. 130.
CASTITAS. Securior eſt caſtitatis victoria fugiendo, quàm pugnando. 137. Qui diligit cordis munditiem, habebit amicũ Regem. 155. Aut puritatem Beatiſſimæ Virginis neget impurus, aut concedat ſe abnegatum à tam pura Virgine. 471. Nemo amans impuritatis amat Beatam Virginem. 474. quam in ſe amat

Digitized by Google

B.Virgo puritatem, in nobis amat, & quam in ſe odit impuritatem in nobis odit. 475.

Certamen. V. *Tentatio.*

Charitas. Sic Deus dilexit mundum, vt ſic mundus diligeret Deum, ſicut dilectus eſt. 18. cui nimis adhuc durum videtur pati pro Chriſto, nimis etiam durum videtur amare Chriſtum. 112. Eſt quidem certum in Charitate vnionem eſſe perfectionis: ſed non eſt certò hæc dicenda Charitas, neque hæc vnio niſi in obedientia quæ dicitur Charitatis. 364. V. *Amor Dei.*

Chriſtus D. Nemo Chriſtianus Chriſti iudicio condemnabitur, niſi qui prius ſuo Chriſtum iudicio condemnauerit. 1. Primus Chriſti Aduentus, mundano tam timendus quàm ſecundus. 5. Quàm rarò cogitas Chriſtum tam crebrò reſiſtis Spiritui ſancto. 24. Vix vllus eſt qui non ſe verè putet deſiderare Chriſtum, & vix vllus eſt qui eum verè deſideret. 27. ſe anteponit Chriſto qui ſe omnibus non poſtponit. 65. vbi de eius incarnatione. Affectu potius quàm ſtudio Chriſtus cognoſcitur. 79. vbi & per integram hebdomadam, de variis eius titulis, nominibus, gratiis, virtutibus & aliis quæ ad eum ſpectant. Magnificentior in præſepi quàm Salomon in throno ſuo. 144. Cũ ſimplicibus ſermocinatio eius. 166. Noui & veteris hominis diſſidium. 160. 404. Non tam à magno Regno Rex magnus eſt, quàm à Magno Rege Magnum eius Regnum. 205. V. *Concupiſcentia, imitatio, & pro variis eius titulis* à pag. 417.

Cognitio ſui. Multum ei proſunt hæc multum expenſa verba: *Tu quis es.* 72.

Communio. V. *Sacramentum.*

Concupiſcentia. Non niſi tribus oblatis concupiſcentiis Rex Chriſtus re agnoſcitur. 201. Totius difficultatis de pura intentione ſolutio, ſtudium eſt continuum reprimendæ concupiſcentiæ. 189. Febris eſt animi animo longe periculoſior, quam febris corporis corpori. 288.

Confeſſio. V. *Pænitentia.* Quod magis confert ad faciendam confeſſionem minus efficitur. 312.

Confeſſor. SS. Confeſſoribus Pontif. communis conſideratio & veritas. 518. non Pontificibus. 526.

Conſcientia. Qui contra peccant, magis peccant. 49. vox clamantis eſt in deſerto cordis poſt peccatum, peccatori audienda. 75. multorum eſt cauteriata & peruerſa. 307.

Conſtantia. V. *Aduerſitas, fortitudo.*

Contemptus. V. *Mundus.*

Contritio. Nulla eſt, non depoſito prauo affectu. 2. 107. 313.

Conuerſatio. Ne quid nimis, aut quid minus cum proximo. 170. nemo ſecurè apparet niſi qui libenter latet. 144.

Conuerſio. V. *Contritio.*

Culpa. Culpæ reatus grauior eſt quàm pænæ. 10.

DEDICATIO ECCLESIÆ. 543.

Deſideria. V. *Chriſtus.*

Deus. Quanto ſe humilis minorem facit, tanto magis magnificat Deum. 127. aut nullam vitæ partem, aut totam Deo debes. 194. niſi te ſubdas Deo, Deum tibi ſubdis. 255. non dixeris per Deum abeſt. 301. ſi non ſemper, nunquam magnificas Deum. 369. de immenſitate & ſingulari præſentia Dei ſacris in locis, ac de diuino cultu ibidem exhibendo. V. *Dedicatio Eccleſiæ. Murmur.*

Deuotio. Neſcit tarda molimina, ſicut nec ipſa Gratia. 121. ſenſitiuæ deuotionis ſubſtractio, veræ & ſolidæ deuotionis eſt probatio. 231.

Difficultas. Quanta ſit pænitendi pro-

pter affectus. 107. ſic facta ſunt aſpera in vias planas, vt tam iucunde per aſpera quàm per plana viuamus. 109. maius eſt Chriſti beneficium amaritudines ſiue difficultates nobis reliquiſſe amabiles quàm nullas reliquiſſe. 111. Quò longiùs differes, difficultatem difficilius tolles. 344. qui à lege excludit aliquid quod putet difficilius, excludit à ſe totam legẽ. 503.

Dilatio. V. *Deuotio.* Dum lucet, ambulandum; ne tenebræ fiant. 197. periculum in mora. 484.

Directio. Ne dicas ſufficiens mihi ſum. 316. *vbi de hac materia fuſius per totam hebdomadam.*

Diſcipulus. Non minus modò quàm olim Chriſtus in propria venit, nec ſui magis eum recipiunt. 114. Qui non renũtiat omnibus non poteſt eſſe Chriſti diſcipulus. 422. V. *Imitatio.*

Diſcretio. In bonis etiam operibus exercendis. 522.

Doctrina. Doctor. Si quid nos reuocat à doctrina Chriſti, vel ob id maximè recipienda eſt. 290. Chriſtum non recipit, qui doctrinam eius non recipit. 115. V. *Scientia.* SS. Doctoribus communis conſideratio & veritas.

Donum. Vt certum ſit amoris ſignũ certas habet notas. 19. ſi vis quod non habes, da quod habes. 269.

EFFECTVS. Comitari debet affectum in ſe offerendo & meditando. 21. 164.

Excuſatio. Quam ſibi fingunt homines vel à dignitate ſua, vel à difficultate rerum, vel à tempore, nulla eſt. 502.

Exemplum. V. *Imitatio.*

Exequutio. V. *Effectus.* Et communia ſingulariter, & ſingularia communiter.

FIDES. FIDELITAS. Subſtantia ſeu ſubſiſtentia eſt rerum futurarum. 10. In paruis maior eſt ſerui Dei fidelitas. 436. Sicut ne pereat fides, perdenda eſt martyrio vita naturalis: ſic ne pereat fidelitas, perdenda mortificatione vita ſenſualis. 513.

Fortitudo. Iniuriam infert Gratiæ maximam, qui pro ferenda iniuria non certat fortiter. 149. Mulierem fortem quæ faciant. 539.

Fragilitas. Quanta ſit in humano corpore. 340.

S. Franciſcus Xauerius. 451.

GAVDIVM. Non magis fidendum humano gaudio quàm homini mentienti. 275. V. *Proſperitas.*

Gloria. Nulla re homo quantumuis glorioſâ gloriari poteſt. 50. nulla res eſt in humanis verè glorioſa. 53.

Gratia. Non eſt lenta. 120, 197. 346. ſi ad humanam gratiam diuina poſtulas, diuinam ipſam repellis gratiam. 277. gratiarum diuiſiones. 519.

Gratitudo. Facit vt quo quis eſt maior, eò ſit humilior. 62. gratitudo animi nulla formari poteſt digna beneficio vocationis, niſi ſe animus dignè conformet vocationi. 386.

HVMILITAS. Ita pugnat cum honoribus, vt non repugnet obedientiæ. 59. *vbi plura per totam hebdomadam de hac virtute.*

IESVS. De pretio nominis Ieſu, tantò plus circumciditur & nobis deperit, quantò minus perfectè nos circumcidimus. 174. diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini 179.

Imitatio. Magis laudat ſanctos quàm laus ipſorum. 40. exemplo ſuo Chriſtus nos magis vrget quàm imperio. 238. qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare. 256.

Immortificatio. Facit cauteriatam & inſenſibilem conſcientiam. 309. V. *Mortificatio.*

Indifferentia. V. *Aduerſitas. Mortificatio.*

Inimici. Magis prodeſſe poſſunt odio quàm profuiſſent obſequio. 158.

Intentio. De hac fusè à pag. 177.

Inuidia. Quàm ſit contraria charitati

Digitized by Google

quæ alienis bonis gaudet vt propriis. 124.
S. Ioannes Baptiſta. Laudatur à Domino. 39. laudat Dominum. 69.
S. Ioannes Euangeliſta. Valde honorandus eſt. 153.
S. Ioſeph. Qualis quantuſque vir. 35.
Iudicium. In quo conſiſtat verum de rebus iudicium. 54. quomodo iudicent homines Chriſtum, antequam à Chriſto iudicentur. 1. quale iam Chriſtus de mundo iudicium tulerit. 6. quæ futura mundi renouatio in extremo iudicio. 24. quòd humana nimis, neque ſatis diuina timeantur iudicia. 427.
LABOR. Niſi diligenter aduertas, ſtulto labore conſumeris. 295. Vide *Difficultas.*
Laus. In quo vera conſiſtit. 40. Ad laudes noſtras tremere potius conuenit quàm exultare. 55. Meliùs laudantur Sancti noſtris operibus quàm verbis. 36. 532.
Laxitas. Nō quod liceat, ſpectandum eſt; ſed quid expediat. 217.
Libertas. Quænam ſit vera. 43.
Lingua, Loquela. Nemo ſecurè loquitur niſi qui libenter tacet. 244.
MANSVETVDO. Procurat pacem & internam Chriſto domum. 136. qualis ſit Chriſtiana. 254.
Maria Virgo. Quantæ dignitatis. 32. Quantæ poteſtatis ad procurandum hominum ſalutem. 33. Quantum à nobis colenda. 34. Quàm humilis per omnes huius virtutis gradus. 62. & tota ſequenti hebdomada. Eius conceptio. 465. Eius puritas. 471. Eius cultus maturandus. 484. Eius purificatio. 215. 500. & ſeq.
Martyrium Martyres. SS. Martyribus conſideratio & veritas communis. 513. V. *Fides.*
Mediocritas ſeu *Moderatio.* Quàm ſit vbique adhibenda. 171. 220.
Meditatio. Diſcurſum affectus & affectū effectus ſtatim ſequi debent. 164. Quàm ſit neceſſaria veritatum Euangelicarum meditatio. 413.
Mortificatio. In primis neceſſaria ad rectam intentionem 177. 189. Totus in ea profectus ſpiritualis. 362. perfecta eſt in obedientia charitatis. 366. Non eſt minus perfectæ mortificationis benè vti rebus, quàm non omnino vti. 391. ſicut à veteri lege, ſic a veteri homine abſtinendum. 404. Crux non eſſet bona, niſi bonum eſſet cruciari. 447. V. *Fidelitas.*
Mundus. A Chriſto iam iudicatus. 7. Mors mundanorum in peccato. 9. Iudicium Chriſti de rebus huius mundi. 55. Aut Chriſtus fallitur, aut Mundus errat. 140. *Vbi de eius contemptu,* & 542.
Murmur. Quantò minus murmuramus, aut omnino tacemus flagellati à Domino, tantò altiùs altiſſimum eius dominium prædicamus. 418.
S. NICOLAVS. Quàm multis ornatus donis. 452.
OBEDIENTIA. Non illi repugnat humilitas. 59. perfecta obedientia quæ dicitur charitatis. 364. V. *Voluntas.*
Oblatio. Debet eſſe effectiua ſicut affectiua. 21.
Officium. Hoc eſt vere laudabile laudari ab officio. 39. 519.
Opera. In bonis etiam operimus faciendis opus diſcretione & directione. 319.
Oratio. Iungenda illi opera faciliora quæ poſſis; vt quæ non poſſis, obtineas. 269. Non minus in proſperis quàm in aduerſis orandum ne illa noceant. 274.
Otium. Non eſt amor Dei otioſus. 84.
PASSIO. Seruilis eſt. 44. V. *Appetitus, Mortificatio.*
Patientia. Pati & amare Chriſtum, ſunt idem. 123. pati iniurias, quàm ſit Chriſtianum.

Chriſtianum. 254. veri Apoſtolatus nota certior eſt patientia. 453.

S. Paulus. Eius conuerſio. 495.

Pax. Quàm ſit idonea Chriſto recipiendo. 137. quòd ſit in amaritudine pax & in pace amaritudo. 210.

Peccatum. Eius grauitas ex Chriſto paſſo. 12. tremendum eſt in eius periculo. 57. nomini Ieſu oppoſitum. 179. Non ſunt facienda mala vt eueniant bona. 184. Non tam à dæmone immundo immunda fit anima quàm à ſeipſa. 285. Non ſcrupuloſa ſed rationabilis ſolicitudo habenda de peccatis remiſſis. 348. Ex peccato tanquam ex vulnere poteſt capi remedium perſanandi peccati. 489. Chriſto & Beatæ Virgini grauius eſt quàm ipſa Chriſti mors. 511.

Perfectio & Profectus. Progreſſus perfectionis per tres vias 360. certior perfectio in obedientia charitatis. 364. probroſum eſt incepiſſe nec proſequi. 537. Tantùm proficies, quantùm à te deficies. 360. ex ipſis proficiendum eſt culpis. 490.

Pænitentia. Licet omni peccatori ſit neceſſaria, vix tamen vllus eſt, qui quæ ſunt ei neceſſaria faciat. 106.

Perſeuerantia. Multùm ad eam confert præſidium B. Virginis. 32.

Præſumptio. Fallit præſumentes. 11. ſicut non deſperandum, ſic neque præſumendum. 349.

Proſperitas. Quàm ſit cauenda. 221. Non minus timenda quàm aduerſitas. 274. nec in ea magis gaudendum quàm in aduerſis. 127. quàm ſit aduerſum, nimis affici proſperis. 401. Vide Aduerſitas.

Prouidentia diuina. Hinc nulla re contriſtatur iuſtus, & æquali ſemper eſt animo. 225. 227. tantò his amplior & fidelior quò ſibi minùs prouidet. 462.

Prudentia. Vt eſt oppoſita ſimplicitati. Vide ſimplicitas; non quid id liceat, ſed quid expediat, attendit. 217.

Puſillanimitas. Quàm ſit cauenda. 349.

RATIO. Quomodo ſubiiciatur Deo. 392.

Religio. Religioſus, Vide vocatio. Religioſorum Ordinum SS. Fundatoribus communis conſideratio & veritas. 531. Non verbis, ſed moribus à filiis Religioſis Pater laudatur. *ibid.*

Reſpectus humanus. Quantùm noceat. 49.

Renouatio. Quid ſit, & quàm debita Chriſto, mundum aduentu ſuo renouanti. 14. non tam aliud agendum quàm aliter, 152. quàm ſit crebrò facienda, & facilis eius praxis. 496.

SACRAMENTVM. Suam ille veſtem nuptialem recuſat induere, qui recuſat inſtrui de debito Sacramenti vſu. 319. Ad ſacrum locum velut ad Sacramentum. V. Dedicatio Eccleſiæ. Vbi fusè, cur Eccleſia dicatur inæſtimabile Sacramentum.

Salus. Valde periculoſa in hoc mundo. 339. Incerta. 348. nulla eius certior certitudo quàm in ſua vocatione. 379. quod grauius in nobis malum eſt, hoc minus curari volumus, quod eſt ſaluti valde obnoxium. 432.

Sanctitas. In certo eſt propriæ vocationis gradu. 382. quænam decet Dei Domum. V. Dedicatio.

Scandalum. Actiuum eſt & paſſiuum, & vtrumque damnoſum. 47. 217.

Scientia. Sic cauendum ne ſcientia præferatur virtuti, vt tamen ſcientia non negligatur. 522.

Senſualitas. Si quid interdum ſenſibus licitè indulgetur, non vt ſenſuale eſt, ſed vt eſt licitum, accipiendum eſt. 395.

Seruitus. Seruus. Dura ſeruitus cupiditatum. 44. quàm ſit debita Chriſto D. noſtra ſeruitus. 237. In paruis maior eſt ſerui Dei fidelitas. 436.

Digitized by Google

Silentium. Vide *Loquela.*

Simplicitas. Cum ſimplicibus ſermocinatio Chriſti. 166. quàm ſit Chriſto accepta. 266. Væ duplici corde 324. 507.

Solicitudo. Quænam ſit habenda de peccatis remiſſis. 348. de ſeruando corde 355. quanta de ſuis, aut de Chriſti rebus. 462.

Spiritus. Tantò magis ei reſiſtitur, quantò minus de Chriſto cogitatur. 24. ſeptem eius dona. 87. Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. *ibid.*

S. *Stephanus.* Quanta eius fortitudo & virtus. 149.

Superbia. Superbus qui contra obedientiam vult eſſe humilis. 61. quàm ſit timenda in donis. 64.

TEMPERANTIA. Sibi non Domino viuit qui temperatè non viuit. 103. V. *Mortificatio.*

Tentatio. Timenda ex noſtris laudibus. 57. nemo periculosè magis tentatur, quàm qui ſe non putat tentatum. 246. peregrinantis in corpore animæ maius eſt periculum, quàm periclitantis in naui corporis. 339. improuiſis inſtat. 357.

S. *Thomas Apoſtolus.* Quantæ poſt lapſum fuerit fidei. 489.

Timor. Quis ſit bonus & ſalubris de ſalute. 348. commendatur à B. Virgine. 478.

Triſtitia. Quàm ſit cauenda. 221.

VANITAS. Vanus & ſtultus labor mundanorum. 295.

Veritas. In quo conſiſtat. 54. veritatum Euangelicarum neglectus. 3. quò minus dignæ apparent quæ conſiderentur; tantò magis conſiderandæ. 412. quomodo veritas in iniuſtitia detinetur. 45.

Vigilantia. Quanta ſit adhibenda ſeruando cordi. 354. quantùm cuique eſt vigilantiæ, tantùm virtutis & meriti. 527. 535.

Virginitas. SS. Virginibus communis conſideratio & veritas. 535. non Virginibus. 539.

Virtus. Probatur in contrariis. 232. veras virtutes magis times quàm amas. 265.

Vita. Tota Deo debetur. 194.

Vocatio. Salutis & perfectionis certior eſt via. 379. *vbi plura de hac materia.*

Vnio. In obedientia charitatis. 364. quæ ſpectant & promouent viam vnitiuam. 74.

Voluntas. In adimplenda diuina voluntate, vera laus hominis. 40. Ex obedientia cognoſcitur diuina voluntas. 60. nihil fructuoſum ſine illa 224. hinc in aduerſis & proſperis idem animus. 227. in illa magis ac magis facienda, renouandi animi ratio conſiſtit. 497. Quænam ſit bona noſtra voluntas. 22. 190. Niſi tuam voluntatem diuinæ ſubdas, diuinam ſubdis tuæ voluntati. 235. grande malum propria voluntas. 320.

ZELVS. Non viuitur in amore Chriſti ſine zelo & dolore. 92. zelum communicandi Chriſti, multum promouere debet hæc veritas, quòd nemo magis ſibi Chriſtum ſeruat, quàm qui minus ſibi ſoli ſeruat. 260.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ogle

by Google